






AM



MORES, LEGES, ET RITVS OMNIVM GENTIVM,

*

Per I. Boëmum Aubanum, Teutonicum, ex multis clarissimis rerum scriptoribus collecti.

Ex Nicol. Damasceni historia excerpta quædam eiusdem argumenti.

Itidem & ex Brasiliana I. Lerij historia.

Fides, religio, & mores Æthiopum, ac deploratio Lappianæ gentis, Damiano à Goes auctore.

De Æthiopibus etiam nonnulla ex Ios. Scaligeri lib. VII. de Emendatione temporum.

Cum Indice locupletissimo.







GENEVAE.

APVD I. TORNÆSIVM.

CIↃ. IↃCXX.

HENDECASYLLA-
bon ad Lectorem.

*

Non si Herodotum, haud quidem Strabonē,
Haud Trogum, neque Plinium, haud Solinum.
Scriptorem haud Siculum, haud Senē Berosum,
Facundis aliquem nec ex nouellis,
Non Papámque Pium, Sabellicúmque
De rebus breuiùs, fidelúsque,
His tractasse. Videre nationes
Hîc omnes Asiæ queas vagantes,
Persas, atq; Arabes, Scythas, & Indos;
Parthos, Assyrios, Syrósque Medos:
Europæ pariter Getas, Dacásque,
Thraces, Sauromatásque, Pannonésque,
Germanos, Italos, Gallos, Iberos,
Hybernos quoque, Cantabros, Britannos:
Et gentes titulo sub Africano,
Pœnos, Aethiopes, & incolentes
Ægyptum, & Libyæ aridas arenas;
Nonnullásque per insulas morantes:
Turcarum insuper atque Tartarorum
Sectas, Christigenúmque nationum.
Quæ latè dominantur, & gubernant
Nunc regna, imperia, atque principatus
Mundum prædualidè per vniuersum.

SIGISMVNDO GRYM, AVGVSTANO, OPTIMARVM artium & Medicinæ eximio Doctori, Ioannes Bœmus Aubanus Teutonicus S.

COLLATVRVS me ad celeberrimum hunc morem, quo omnes, qui vnquam à se scriptos libros in lucem dedere, vnum aut plures e præstantioribus viris eligere solent, quibus, velut defensoribus patronis, illos adscribant, dedicentq; : Quum huc atque illuc multum diuq; circunspicerē, cui & ego lucubrationes hasce meas de Gentium moribus, ac earundem viuendi ratione, nominatim dedicare, & ad propugnandum tradere cum primis velim, cui acceptas ferre considerem : nemo mihi te, splendidissime Doctor, cùm dignior, tum aptior occurrit : nō eo solùm, quòd eas sub expensis tuis, tuoq; sub mundissimo castigatissimoq; literario prælo impressurus laudem (quantulacumque mihi vnquam à grato & humano lectore pro habitis laboribus cesserit) communem mecum habiturus sis : verùm quòd te materia ea haud mediocriter delectari notanter cognoui, qui anno superiori similes libellos duos, vnū de Septētrionalibus Gentibus, cuius auctor Mathias de Michau, aliū

de Meridionalibus cuiusdam Ludouici de Bononia, impresseris : méque librum præsentem in Germanicam linguam nostram trásferre interpretariq; adhortatus sis E: hoc dignißimè: quippe qui optimè diu anteà hæc atque alia, quæ de externis nationibus memorantur, omnia cognoris, sciasq; : licet non ex leuibus circulatoribus, non ex vagis medicis, qui vt vulgò admirationes, acceptioresq; sint , adeò nefandißimè absq; omni verecundia plerumq; mentiuntur , vt non ipsis modò non fides etiā minima habeatur, verùm omnibus iuxtà, qui aliquid de his aut scribunt, aut recitāt: Sed ex grauium fide dignißimorum auctorū scriptis, quibus perdius & pernox tu quoq; quādocumq; à medicis curis vacare datur, operam summam impendis. Atque ex hinc homini in publica præsertim administratione cōstituto nihil vtilius, nihil gloriosius , iucūdiusq; magis, quàm veraciter aut legendo aut peregrinando cognoscere, qua religione . quibus moribus, qua regiminis forma , quibus legibus, institutisq; aliæ per orbem gentes vitam traducant. Quod ita compertum est, vt illis, qui extra patrios agros ad secundum vix lapidem vnquā peruenerint , quiq; ingenuorum morum & artium in iuuentute parum aut nihil perceperint, quamuis naturæ suæ bonitate opulenti, facundi & solertes satis superq; in patriæ sinu populos moderentur & vrbes: tantum tamen felicitatis adimatur, vt propemodū pro despicato quicquid

dicant

dicat faciantq;, ab omnibus habeatur. E diuerso alijs, qui peregrè aliquando profecti, sub fidelibus & eruditis præceptoribus in claris probeq; instituti urbibus egregia multa viderint, didicerintq;, tantum gloriæ & maiestatis adijciatur, ut nihil ab eis attentetur, nihil fiat, quod non secus, quàm à diuinißimo oraculo præceptum alacriter non omnes amplectantur, cunctisq; non summè placeat. Quapropter, ornatißime Sigismunde, scripta hæc nostra, quæ ex multis præclarißimis rerum scriptoribus, iam triennio fermè non sine maximis laboribus in librũ istum collegi, congeßi, & quantum ingenio atque industria potui, augmẽtaui, à me obuijs manibus & serena fronte suscipe, susceptaq; tanta diligentia, tanta fidelitate perlege, perlustra, examina, ab omniq; macula expurga, ut nihil usquam prætermittatur, nihil præterfluat, quod secum minutuli quippiam subripiat inuoluatq;, quod postea à lynceis vitilitigatorum obstrigillatorumq; oculis inuentum, sphingeis unguibus enodatum, vipereis linguis compunctum, exsibilatumq; in famæ & nominis nostrorum amborum dispendium, atq; obfuscationem in omnibus triuijs pro fabula iactetur. Quod ubi diligentißimè perfeceris, sub dædaleo tuo literario prælo accuratißimè imprimere curabis.

Vale.

IOAN. BOEMI AVBANI TEVTONICI AD LECTOREM

*

PRAEFATIO.

Authores quos in hoc opere sequitur.

MEMORABILIORES gentium mores, ritus, leges, locorumque vbi degunt situs, quos Historiæ pater Herodotus, Diodorus Siculus, Berosus, Strabo, Solinus, Trogus Pōpeius, Ptolemæus, Plinius, Cornelius Tacitus, Dionysius Afer, Pomponius Mela, Cæsar, Iosephus: & ex recentioribus nonnulli, Vincentius, Aeneas Syluius, qui postea Pii secundi Pontificis maximi nomen tulit: Antonius Sabellicus, Ioannes Nauclerus, Ambrosius Calepinus, Nicolaus Perottus in Cornucopiis: aliique permulti clarissimi rerum scriptores in commentariis suis diffusè & ceu per partes celebrauêre: vt in vno libro conscriptos haberes, facileq; quādo vsus deposceret inuenires, historiarum lector cultórque studiosissime, per otium succisiuis horis vndique conquisiui, collegi, & in diarium hunc conscripsi, digessi: non spe lucri vllius, non popularis auræ ambitione: verumen

Causa quæ eum ad scribēdum impulerit.

rum enim uerò tam libero & planè otioso studio, quàm rei ipsius mira dulcedine atque vtilitate. Congessi, inquam, tum veteres, tum recentes, bonos item & malos, indifferenter, vt ipsis tanquam præsentissimis atque optimis exẽplis perspectis vitam instituendo, laudabiles sanctosq; æmulabundus secteris, culpabiles & obscænos vitabundus prætereas: Cognoscasq;, mi lector, quam pulchrè & feliciter hodie, quàm item inculte & simpliciter olim primi mortalium, a creatione sua ad generale vsque diluuium & vltra multis seculis, terra fusi vixerint: quum in vsu adhuc æs signatum haberent nullum, mercimonia nulla, beneficia mutuò beneficus æquarent, nihil proprij cuiquam esset: quemadmodum aër & cælũ, ita terra & aqua omnibus communes: Non honoribus, non diuitijs inhiarent: quum quisque sibi & admodum paucis contentus in rure sub dio, aut saltem vmbrosa sub arbore aliqua, humiliue casa, cum consorte vna vel pluribus, cum dulcibus natis securus & penè otiosus ageret, congestis agrorum fructibus, pecorúmque lacte vesceretur, aquam potaret, vestimentum ex arborum corticibus latisque folijs primùm, deinde ex inconcinnatis animalium pellibus sibi consueret: nullis obseptus mœnibus, nullis fossis, liber vagansq; inter libera & vagantia pecora, vbicumq; nox deprehenderit, resideret: non latrones, non fures vllos metueret: lætus prorsusq; ignarus eorum

Libelli farrago.

Vtilitates enumerat.

Mortalium veterũ simplex vita.

Securitas & libertas.

omnium esset. Quæ postea vna cum adolescente mundo ex varijs discordibus mortalium studijs, voluntatibus, æmulationibus, subsequuta sunt, quando propter fructuum absque cultura nascentium insufficientiam, aliarumq; rerum defectum, bestiarum hominumq; externorum in primis crebram incursionem, grassantemq; violentiam, congregati hominum cœtus eam pervagandi nocendiq; libertatem communibus auxilijs prohibituri: quiq; sibi certos terræ limites, certos agros vendicauêre, in quibus coadunatis tugurijs populariter habitare cœpêre: se muris ac fossis præmunire legesq; sibi & magistratus, vt pacatè & ipsi, inter se viuerent, eligere. Iam non ex rure, non ex pecore solùm sed varijs inuentis artificijs, varijsq; laboribus vitæ emolumenta quærere: per mare colligatis ratibus quàm longissime, deportandi primùm colonias gratia, deinde mercandi, ire: iunctis equis curribus vti, æs in monetam signare, cultiùs molliusq; vestiri, humaniùs loqui, pacatiùs conuersari, splendidiùs vesci, magnificentiùs ædificare, per omnia iam mitiores, cultiores, prudentioresq; esse: agnatam barbariem feritatemq; famosam sponte sua exuêtes, à mutua cæde, ab humanarum carnium esu, à rapinis, à publico & indifferenti matrum filiarumq; congressu, talibusq; multis abstinuere: Rationi & viribus iam innitentes terram, quæ tota tunc opacis syluis, nocentibus bestijs, & stagnant

Congregati hom. nes primùm.

Varia mortali. studia & inuenta.

Homines cultiores sa Ai.

stagnantibus vndis, humano incolatui inconueniens, deserta, horrida, omninoq; inculta & infrequens iacebat, industria & labore à saxorum salebris, ab arborum truncis, à superfluis vndis expurgauere, planauere, & totam fœcundam spectabilemq; fecere: Campos aruis, colles vinetis adaptauere, sarculo proscissos frumentum atque vinum largiter producere instituere, qui grauatè priùs glandes syluestriaq; poma dedere: valles irriguis pratis hortisq; amœnissimis decorauere, suprema montiū syluis relicta: adeò omne solum fructificationi assignauere, vt quod lignationi pabulationiq; satisfaceret, superesse vix passi sunt. Loca ad hæc omnia frequentissime incolere cæperunt, passim ædificare, ex modicis pagis amplissimas vrbes, ex villis pagos, in excelsis montibus arces, in vallibus deorum templa struere: fontes, vt salubriores vtiq; delectabiliores essent, cæsis marmoribus complexi sunt, circumcircaq; consitis arboribus amœnissimè obumbrauere, à quibus in vrbes salientem aquam per canales, latentesq; siphones quàm longissimè deriuauere: vbi naturaliter deerat, defossis in terram puteis profundissimè quæsiere, torrentes, impetuosaq; flumina, quæ frequenter priùs pro libito in maximam interdum accolarum perniciem expatiabantur, obiectis aggeribus coercuere: atque vt transuadabilia, nihiloq; negotiationibus humanis obstantia essent, immissis in

Terra vberior facta & cultior.

imum palis aut arcubus eductis validissimos pontes superimposuere: In mari scopulos, à quibus nauigantes periclitari solebant, vt plurimum deiecere Insulis & continenti solo portus multos fecere, ac, in quibus admotæ naues à ventorum flatibus securè quiescerent, naualia stationesq; amplissimas effodere: adeò omnia per terram, per mare excoluere, elaborauereq;, vt terra ipsa ad priscum eius situ, naturalemq; squalorem hodie comparata, alia esse credi possit quàm quæ olim fuerit, deliciosissimo huic horto certè haud multum dissimilis, ex quo propter diuini præcepti transgressionem, infelices protoplasti Adam & Eua eiecti sunt. Præterea multas ingeniosissimas disciplinas, multas artes inuenere homines: quibus per excogitatas etiam varias literarum notas libris, tabellisq; (vt ad posteros peruenirent) demandatis, sese extra mortalem conditionem in tantum vindicauere, extuleréque vt indigetum deorum beatissimam vitam iam consequuti videri potuissent; si non mundi princeps iniquissimus S. tan superseminata pestilentissima Zizania integrum & felicem hunc statum confudisset: qui vt homines & numero succrescere cognouit, & meliùs in mundi delicijs iam habere, inuidia permotus, teterrimus omnis generis sceleribus primùm sibi obnoxios factos, mox futurarum supercælestiúmque rerum curiositate affectos, per obscuras oraculorum

Terra paradiso æqualis.

Homo extra mortalē conditionē se vindicauit.

Mali dæmonis inuidia homo pessum datus.

lorum ambages, iniecta superstitione atque timore, deorum dearúmque profanam culturā (vt vnius veri singularis Dei cognitionem aboleret, mortaléſque ipsos aliquo insigni malo afficeret) edocuit: hic Delphica, illic Euboica, alibi Nasamonia adyta. Dodoneásque quercus maligna inspiratione resonare fecit: quibus in Latio Saturno, in Creta Ioui, Iunoni in Samo, Baccho Thebis & in India, Isidi, Osirique in Aegypto, in Ilio Vestæ, in Africa iuxta Tritonem Palladi, Mercurio sub Teutatis nomine in Gallia & Germania, Mineruæ Himetto atque Athenis, Apollini Delphis, in Rhodo, Chio, Patara Lyciæ, in Troade & Thymbra: Dianæ in Delo & Scythia: Veneri in Cypro, in Papho, Gnido, Cytheráque: Marti in Thracia, Vulcano in Lipara & Lemno, Priapo in Lampsaco Hellesponti, alijsq; multis in locis (quorū adhuc nomina, ob præclarissima inuenta & beneficia popularibus suis collata, in recenti memoria erant) diuinos honores fieri excitauit. Deinde etiam postquàm Christus Iesus verus Dei omnipotentis filius assumpta carne apparuisset, atque erranti mundo rursus verum æternæ beatitudinis iter ostendens, verbo & exemplo ad patris sui cælestis gloriam, ad bene beateq; viuendum hortatus esset, missisq; in orbem viuersum discipulis, salubri illorum prædicatione nefandissimos superstitionis ritus damnasset, religionem nouam, nouaq; saluberrima

Verus Deus obliuioni datus.

Pluralitas deorum inducta.

Vbi locorū quiq; deorum magis culti.

Christus Iesus ab errore vindicauit mundū.

vitæ

vitæ instituta promulgasset: & iam eò quidem deduxisset, vt ipsis ab omnibus in orbe gentibus receptus, ad veram felicitatem desiderari vlterius potuisset nihil:

Malus dæmō iterum homini insidiatus.

Ipse satan in genuinam malitiam reuersus, curiosa hominum pectora, quæ destituere coactus fuerat, iterum circumueniens, quædam in priorem errorem reduxit, quædam nouis hæreticis opinionibus adeò corrupit, adeò excæcauit, vt multo melius ipsis fuisset, ingressam semel veritatis viam quodammodo ignorasse, quàm sic temere, sic malitiosè dereliquisse.

Gentes Mahumetanæ.

Obseruant hodie, diuinoq; honore quàm deuotissimè prosequuntur, Asiæ minoris, Armeniæ, Arabiæ, Persidis, Syriæ, Assyriæ, Mediæ: & in Aphrica Aegypti, Numidiæ, Libyæ, Mauritaniæ: In Europa totius Græciæ, Mysiæ, Thraciæ, Turcici nominis gentes omnes Christo abiecto, epilepticum Mahometum, & illius vesanum dogma.

Idololatræ Scythæ.

Scythiæ latissimi populi, qui Tartari hodie vocātur, pars Imperatoris sui Chami idola, pars astra, pars etiam vnum Deum ex Apostoli Pauli doctrina veneratur.

Schismatici.

Indiæ ac Aethiopiæ gentes, quæ presbytero Ioanni parēt, Christianam pietatem tuentur, sed instituto longè à nostro diuerso.

Veri Christiani.

Synceram orthodoxámque Christi fidem, qua gratiosè olim orbis vniuersus illustratus fuit, Germani retinemus, Itali, Galli, Hispani, Angli, Scoti, Hyberni, Daci, Liuonij, Prussi, Poloni, Hungari, & insulares [illegible] Rhodij,

Rhodij, Siculi, Corsici, Sardinij, paucíq; alij. Efficit acerbißimus humani generis hostis hac inducta morum diuersitate, hac sacrorum & rituum perdita damnosáq; superstitione, vt dum vnaquæque gens Deum, quem religiosè colit, quemq; præ se fert verum summumq; esse, dum se rectam æternæ beatitudinis viam ambulare, cæteras verò omnes per deuia per abrupta oberrare magnis rationibus contendit, dumq; vnaquæque sectã suam longè latéque propagare & extendere nititur, sese mutuo tantis inimicitijs, tantis odijs habeant prosequãtúrque, vt ad externas hodie nationes peregrinari non solùm non sit tutum, sed ferè omnino prohibitum & occlusum: vnde fieri persuasum mihi habeo, vt dum vicinarum gentium nomina vicinis gentibus vix cognita sint, pro mendacijs hodie repudientur quæcunq; de ipsis aut scribantur aut referantur: quorum cognitio tamen adeò dulcis, adeò vtilis, gloriosáq; semper reputata est, vt clarè constet, non ob aliam causam quàm illius amore atque desiderio plerosque relicto natali solo, relictis charis parentibus, coniugibus, liberis, & amicis, relicta (quod magis est) propria salute, cum maximis difficultatibus, periculis, curis, augustijs, vt aliquid experirentur, remotißimas transmarinas interdum assumpsisse peregrinationes: vt compertum habeamus non hac tempestate nostra solùm, verùm ab exordio ferè mundi omnes perquàm maximæ auctor

Discordiæ omnis femi narũ cult° diuini dißparitas.

Cognitio externarum rerũ iucunda & vtilis.

auctoritatis, prudentiæ, eruditionis ab omnibus existimatos, in Republicæ (pacis & belli tempore) magistros, consiliarios, iudices, censores, administratores, duces publico consensu electos, ascitosq; esse: qui ad remotas terræ oras aliquando profecti, multorum populorum mores cognouere & vrbes: quemadmodum Græciæ atque Italiæ priscos illos philosophos, Socratem Socraticam, Platonem Academicam, Aristotelem Peripateticam, Anthisthenem Cynicam, Aristippum Cyrenaicam, Zenonem Stoicam, Pythagoram Pythagoricam: tantas sectas tantamq; discipulorum frequentiam instituere cōciliareq; sibi potuisse conspicimus: quemadmodum veteres quoque legumlatores Minoëm & Rhadamanthum Cretensibus, Orphea Thracibus, Draconem Solonémque Atheniensibus, Lycurgū Lacedæmonibus, Mosen Iudæis, Zamolxin Scythis, aliósque multos popularibus suis præscriptas sacrorum ceremonias, ciuilesq; disciplinas ferre potuisse videmus: Quòd non à se intra patrios muros eas excogitasse, sed à sapientissimis seculi hominibus Chaldæis ipsis, Magis Bragmanis, Gymnosophistis, & ab Aegyptiorum sacerdotibus, cum quibus aliquandiu conuersati essent, deportasse scirent: quemadmodum postremò præstantissimos heroas Creteum Ionem, qui quinquies terrarum orbem perlustrasse prædicatur. Pari quoq; studio succesluq; eius duos filios Dionysium cognomento

Prisci Græciæ philosophi vnde philosophiam & gloriā auspicati.

Primi legūlatorū vnde auctoritatē cōsecuti.

Sapientes seculi.

Præstantissimi heroes vnde militaré gloriā obtinuere.

mento Bacchum, & fortissimum Herculem, æmulumque illius Thesea, Iasonem cum cæteris argonautis, naufragum Vlyssem, & ex Troia profugum Aeneam, Cyrum, Darium, Xerxem, Alexandrum Magnum, Annibalem Pœnum, Mithridatem Ponti regem, quinquaginta nationum linguis loqui peritum, Antiochum magnum, innumerosq; Romanorum principes, Scipiones, Marios, Lentulos, Pompeium magnum, Iulium Cæsarem, Octauianum Augustum, Constantinos, Carolos, Othones, Conrados, Henricos, Federicos, perfactas à se in exteras nationes bellicas expeditiones, immortalem hanc gloriam sempiternamq; memoriam comparare potuisse cognoscimus. Quapropter quum tanta sit in gentium earundemq; morum cognitione voluptas, tãta vtilitas, quæq; omnibus remotas terras adire inuiseréque ob plurimas causas non concedatur, non liceat etiam: velis, suauissime mi lector, conscriptos in hoc libro celebriores gentium mores, celebrioráque, in quibus habitant, loca non minori alacritate promptitudineq; legendo amplexari & cognoscere, quàm si te per manus regionatim circumducens fidelissimè, quo instituto & quo in loco vnaquæq; gens vitã egerit hodiéque agat, & ore ad os referrem, & ad oculum digito demonstrarem. Non moueri, non auerti velis, quòd à rigidiori censore mihi obijci, exprobrariq; possit. Peroratio. Veniam precatur.

rem

auctoritatis, prudentiæ, eruditionis ab omnibus existimatos, in Republica (pacis & belli tempore) magistros, consiliarios, iudices, censores, administratores, duces publico consensu electos, ascitosq; esse: qui ad remotas terræ oras aliquãdo profecti, multorum populorum mores cognouere & vrbes: quemadmodum Græciæ atque Italiæ priscos illos philosophos, Socratem Socraticam, Platonem Academicam, Aristotelem Peripateticam, Anthistenem Cynicam, Aristippum Cyrenaicam, Zenonem Stoicam, Pythagoram Pythagoricam: tantas sectas tantamq; discipulorum frequentiam instituere cõciliareq; sibi potuisse conspicimus: quemadmodum veteres quoque legumlatores Minoëm & Rhadamanthum Cretensibus, Orphea Thracibus, Draconem Solonémque Atheniensibus, Lycurgũ Lacedæmonibus, Mosen Iudæis, Zamolxin Scythis, aliósque multos popularibus suis præscriptas sacrorum ceremonias, ciuilesq; disciplinas ferre potuisse videmus: Quòd non à se intra patrios muros eas excogitasse, sed à sapientissimis seculi hominibus Chaldæis ipsis, Magis Bragmanis, Gymnosophistis, & ab Aegyptiorum sacerdotibus, cum quibus aliquandiu conuersati essent, deportasse scirent: quemadmodum postremò præstantissimos heroas Creteum Iouem, qui quinquies terrarum orbem perlustrasse prædicatur. Pari quoq; studio successuq; eius duos filios Dionysium cognomento

Prisci Græciæ philosophi vnde philosophiam & gloriã auspicati.

Primi legũlatorũ vnde auctoritatẽ cõsequuti.

Sapientes seculi.

Præstantissimi heroes vnde militarẽ gloriã obtinuere.

mento Bacchum, & fortissimum Herculem, æmulumque illius Thesea, Iasonem cum cæteris argonautis, naufragum Vlyssem, & ex Troia profugum Aeneam, Cyrum, Darium, Xerxem, Alexandrum Magnum, Annibalem Pœnum, Mithridatem Ponti regem, quinquaginta nationum linguis loqui peritum, Antiochum magnum, innumerosq; Romanorum principes, Scipiones, Marios, Lentulos, Pompeium magnum, Iulium Cæsarem, Octauianum Augustum, Constantinos, Carolos, Othones, Conrados, Henricos, Federicos, perfactas à se in exteras nationes bellicas expeditiones, immortalem hanc gloriam sempiternamq; memoriam comparare potuisse cognoscimus. Quapropter quum tanta sit in gentium earundemq; morum cognitione voluptas, tãta vtilitas, quuq; omnibus remotas terras adire inuiseréque ob plurimas causas non concedatur, non liceat etiam: velis, suauißime mi lector, conscriptos in hoc libro celebriores gentium mores, celebrioráque, in quibus habitant, loca non minori alacritate promptitudineq; legendo amplexari & cognoscere, quàm si te per manus regionatim circumducens fidelißimè, quo instituto & quo in loco vnaquæq; gens vitã egerit hodiéque agat, & ore ad os referrem, & ad oculum digito demonstrarem. Non moueri, non auerti velis, quòd à rigidiori censore mihi obijci, exprobrariq; possi- Peroratio. Venia impretatur.

rem

rem me peruetustißimam, & plus quàm à mille auctoribus anteà pertractatam, etiam non alijs quàm eorum verbis, nunc pro meo proq; nouo aliquo attulisse: verùm institutum meum diligentiùs introspiciês cognoscas, me tam ex ingenij mei, quam librorum meorum thesauro haud vulgari tibi (ceu liberalis his Paterfamiliâs, cui in Euangelio Christus omnem scribam doctum comparauit) dilecto hospiti non aliena modo & vetera, sed mea etiam & plurima noua exhibere.

Vale, & quicquid est boni consule, acceptumque habe.

*



DE ORIGINE HOMINIS OPINIO THEOLOGORVM VERA.



CAPVT I.



IVINA *maiestas, quum cælum, & hanc vniuersi faciem quæ ab ornatu, & eleganti forma mundus appellata est, ac omnia quæ illius ambitu comprehenduntur, quinto creationis die absoluisset, sexto hominem masculum, vt esset, qui illis & præesset & frueretur, nobilissimum animal fecit: vnum omnium animantium, quod cælestem mentem sortitum est. Illi, quòd ex rubentis terræ vena fieri contigisset, Adami nomen dedit: tum mulierem ex dormientis Adæ latere depromptam, ne solus esset, illi sociam & coniugem commisit: simúlque in amœnissimam terræ partem constituit, fluminibus quaque versus irriguam. Locus à viridante facie, hilariq; aspectu παράδεισος est Graia voce appellatus. Primò beatissimam vitam agere, malorum omnium expertem, terra*

Mundus vnde appellatus.

Primorum parentũ origo. & appellatio.

Adamus.

Paradisus.

sua sponte ferente omnia. Cæterùm, lege aberrantes, amœnissimo incolatu, sedéque illa beatiore depulsi, solum flebiliter vertere. Cohibita deinceps & tellus est, quum nihil vltro ferret amplius, per sudorem & ærumnam vitam agere: subijt inde morbus, tentareq; cœperunt frigora & æstus humana corpora. Cainus primò ex his genitus, secundo loco Abelus, & tum multi alij: ita adolescente mundo, quum iam terra frequentior coleretur, quò maior humanarum gentium vis erat, eò magis vitia inualescere, vitaq; in peius labi, iniuria pro innocentia haberi cœpta est, pro pietate numinis contemptus: eóque scelus ipsum processit, vt Deus (vix Noë vno mortalium iusto reperto, quem propter hoc cum domo sua seruari voluit, vt esset per quem humanum genus ex integro reparari posset) cataclysmum immiserit, qui inundans omnem terram, vna clade omnia animantia, quæ tunc in terris fuere, præter admodum pauca, quæ mystica nauis tuebatur, cum volucribus etiam exstinxit. Post quinos deinde menses, quibus ea inundatio sæuijt, arca in Armeniis montibus desedit: Noë cum suis in terram egressus, mortale genus breui tempore propitio numine reparauit: & vt rursus omnis terra incoleretur, filios, nepotes, ac pronepotes alios ad alias terrarum oras velut in colonias habitatum misit. In Aegyptum (vt Berosus habet) cum colonijs Chami Esennium, in Lybiam & Cyrenem, Tritam

Fertilitas terræ cur cohibita.
Protoplastorũ vita.
Cainus primogenitus.
Cataclysmus.
Diluuium quanaiu durauit.
Noë propagatio.
Noe filios ac nepotes habitatum transmittit

Tritamen, & in totam reliquam Africam Iapetum Priscum Atalaa: in Asiam orientalem misit Gangem, cum aliquot ex filijs Comeri Galli, in Arabiam felicem Sabum cognomine Thurifirum, Arabum præficit Arabiæ desertæ, & Petreiū Petreiæ: Chanaam posuit in Damasco vsque in extima Palæstinæ: In Europa regem Sarmatiæ fecit Thuysconem à Tanai ad Rhenum flumen: iunctique sunt illi omnes filij Istri & Mesa cum fratribus suis ab Adula monte vsque in Mesembriam Ponticam: sub quibus tenuerunt Tyrus, Arcadius, Aemathius Italiam, Comerus Gallias, Samotes possedit Celtas, & Iubal Celtiberos. Fuit breuis illa & immatura filiorum alienatio à progenitoribus (quorum viuendi ritus & mores nondum adhuc satis imbiberant (omnis diuersitatis, quæ sequuta est, causa. Chamus siquidem ob ludibrium, quo patrem habuit, cum vxore & liberis profugere coactus, in ea Arabiæ parte consedit, quæ ab eo postea nomen sortita est: posteris nullum sacrorum ritum tradidit, quum nullum à patre accepisset. Vnde factum, vt quum procedente tempore alij post alios ex ea terra rursus velut in colonias missi, diuersa mundi loca tenuissent (creuit enim supra modum abdicata soboles) quidam in errores inciderint inextricabiles: lingua variata est: cognitio veri dei, & omnis cultus perijt. Adeoq; quidā inculto & barbaro modo, vt audies, vi-

Vnde morū & linguæ diuersitas orta.

Chami immaturū exiliū.

Homines brutis non d(iss)erebant.

tam duxere: vt quid differentiæ inter eos, & syluestria animalia extiterit, vix videas. Qui in Aegyptum transiere, cælestium luminum motum pulchritudinémque mirati, Solem & Lunam, velut certum ipsis numen inesset, pro dijs colere cœpere, Isidem hanc, illum Osyrim nominantes: vitali spiritui etiam sub Iouis appellatione: sub Vulcani igni: Aetheri sub Palladis: sub Cereris, telluri, alijsq; sub alijs nominibus diuinos honores tribuere. Nec tenebræ illæ rerum tantùm in Aegypto stetere: sed quascumque à principio terras tenuerunt à Chamo procreati, veræ pietatis ignorantia simul & infanda seruitus cepit. Cæterùm nulla vnquam tellus plurium fuit colomarum mater, quàm Arabia pars illa, quam is cum suis insedit: tantam humano generi cladem intempestiuum vnius attulit exilium. Contra Semi & Iapheti prognati, legitime à maioribus instituti, modicis finibus contenti, haud tam latè, vt illi, sunt per omnes terras euagati. Quo accidit, vt veritatis studium, pietatis dico, & veri Dei cultus, apud vnam dumtaxat gentem ad Messiæ vsque tempora in occulto permansit.

Sol & Luna diuinos honores consequuti.

Isis Luna. Osiris sol. Aer Iupiter. Ignis Vulcanus. Aether Pallas. Terra Ceres.

Arabia multarum coloniarum mater.

Semi & Iapheti prognati.

Quare veri Dei cultus apud tam paucos permansit.

De origine hominis opinio Ethnicorum falsa.

CAP. II.

VEteres verò illi Philosophi, qui præter veri numinis cognitionem, ante multa secula naturam & historias tradiderunt, de hominis origine aliter senserunt. Quidam enim mundum ingenit

Philosophorum de mundo duplex opinio.

ingenitum & incorruptibilem, & genus humanum ab æterno extitisse, neq; habuisse ortus principium credidere. Quidam genitum corruptibilemq; arbitrati, & homines dixerunt generationis initium tempore esse sortitos. Nam à rerum primordio & cælum & terram vnicam habuisse ideam immixta eorum natura. Exinde distinctis inuicem corporibus cepisse mundum hunc ordinem quem videmus. Aërem quidem motum hunc continuum sortitum, & igneam partem eius superiora loca propter leuitatem appetisse. Eadem causa solem astraq; cætera cursus suos sortita. Quod verò humori mixtum, eodem stetisse in loco, propter grauitatem, quæ quum mixta essent, ex humidis quidē mare effectum, ex durioribus verò terrā lutosam euasisse & omnino mollem. Hæc primùm quum solis ardore densior euasisset, eius postmodum superficie vi caloris tumefacta, multis in locis humores quosdā esse cōcretos: in quibus putredines tenui contectæ pellicula sint excitatæ, quemadmodū in paludibus Aegyptijs & stagnis accidere videmus, quum frigidam terram subitò æstus aëris calefacit: tum verò in humidis calore adhibito generatio fiat: & noctu quidam circumfusus aër humorem præstet, qui in die, solis virtute consolidetur: tandem putredines illæ ad summum perductæ, aduenientie veluti partus tempore, exustis confractisq; pelliculis omnis generis educunt animantium formas, quarum ea,

Leuia superiora, grauia inferiora appetisse.

Animantium naturalis creatio.

Aegyptiæ fœcunditas.

quæ maiorem calorem sortita sunt, in superiorem regionem volatilia effecta, obierunt: quæ verò plus terræ continebant, serpentia, aliaq; terrestria euaserunt animãtia. Naturam aquosam nacta in sui generis elementum delata sunt, & pisces appellata. Terra deinceps, tum Solis ardore, tum ventis in dies magis arescens, à gignendis maioribus animalibus desiit: sed quæ generata erant, mutua commixtione alios animantes procrearunt. Primorum hominum inculta vita. *Eodem quoque modo & homines à principio genitos dicunt, in agris pastum quærentes, syluestri & incondita vita vixisse: quibus herbæ & arborum fructus vltro victum præberent.* Primi homines à beluis infesta ti. *Beluas insuper ijs fuisse infensas, quibus vt obsisterent, cœtus hominum ob timorem factos aiunt communis vtilitatis gratia, auxiliaq; inuicem præbita, & loca habitaculis quæsita: sonus oris confusus quum esset, paulatim discreuisse vocem aiunt, & res omnes suo nomine appellasse.* Diuersitas linguarum vnde facta. Gentium diuersitas. *Verùm quum diuersis siti essent in orbis locis, non eisdem vsos verbis fuerunt: propterea & diuersos literarum characteres extitisse. Primósque hominum cœtus suæ quemq; gentis initium fuisse. Verùm primi homines nullo subsidio fulti, duram agebant vitam,* Homines periculo prudentes facti. *quum ignorarent agrestes fructus in vsum futurum condere, & ad egestatem seruare: hinc fiebat, vt hyeme plurimi aut fame, aut frigore interirent. Experimento deinde edoctos,*

& spel

& speluncas aiunt quæsisse, ad vitandam frigoris vim, & fructus seruare cœpisse. Ignis adhac notitia, cæterarumq; vtilium rerum percepta, & cæteras quoq; vitæ hominum commoditates breui tempore esse adinuentas, deniq; necessitatem ipsam rerum magistram factam, singulorum peritiam ingenijs mortalium subministrasse: quibus coadiutores datæ sunt manus, sermo, animiq; præstantia. Et illi, qui eam hominis originem fuisse persuasum habuere, & non ad diuinam retulerunt prouidentiam, Aethiopes omnium mortalium primos fuisse dixerunt, hac coniectura vsi, quod Aethiopicum solum ante omnes terras syderis propinquitate intepescere cœpisset, quum terra esset ab initio vliginosa: quo contigit, vt ex prima illa humoris calorisq; tēperie homo sit ipse genitus, atq; eam terrā in qua nasci cōtigisset, libentiùs tenuerit, quàm diuersam vllam, quum ignota adhuc essent omnia, quæsierit. Ibi ergo exordientes, vbi prius paucula de Africa vna trium partium, in quas totus terrarum orbis, & hic liber noster partitus est, præmiserimus: de Aethiopiæ situ & eius gentis moribus primùm, tum singularum regionum, & gentium per ordinem, qua poterimus diligentia, referemus.

Magistra rerum necessitas.

Aethiopes omniū mortaliū primi

Captatio beneuolentiæ à dicendorū propositione.

De terræ situ & partitione.

CAP. III.

MAiores nostri, vt refert Orosius, totius terræ circulum Oceani limbo circumseptū

Terra in partes tres diuiditur.

 triquet

Africa ab Asia diuiditur.

triquetræ esse figuræ statuere eiusq; tres partes, Africam, Asiam, & Europam. Africam ab Asia disterminat Nilus, qui à meridie in Aethiopiam diffunditur, & Aegyptum perlabens, ac mirabili fœcunditate irrigans, ostijs non minus septem mari infunditur. Europam ab Africa diuidit mare mediterraneum, quod ab occidentali oceano circa Gades insulam, & columnas Herculeas, non amplius decem millibus passuũ patens, terras aperit atq; intrat, ait Pomponius Mela. Asiam ab Europa Tanais fluuius separat, à septemtrione in mediam fere paludem Mæotidem defluens, cum Ponto reliquum Asiæ ab Europa diuidit. Africa ab Orientis parte Nilo, à cæteris partibus mari terminata, Europa breuior, vbi mare attingit latior: vnde in iuga exsurgens, pergit incurua ad occasum, fastigiatq; se molliter, & fit paulatim abductior. vbi finitur, angustißima est. Quantum incolitur fertilitate prestat. Verùm maxima inculta est, & vel ab arenis sterilibus obducta, vel ob situm cæli deserta: vel multo ac malefico animalium genere infesta. Mare, quo à septemtrione cingitur, Libycũ vocatur, à meridie Aethiopicum, ab occidente Atlanticum. à quatuor non amplius nationibus ab initio Africum solum incolebatur, quarum duæ (sic scribit Herodotus) indigenæ sunt, totidem alienigenæ. Indigenæ quidem Pœni atque Aethiopes: quorum alteri ad Aquilonem Africæ, alteri ad Austrum

Europa ab Africa diuiditur.

Asia ab Europa diuiditur.

Africæ situs, qualitas, & géres

Africæ incommoda.

Quatuor Africæ latera.

Indigenæ Africæ gentes.

Austrum incolunt. Aduenæ verò Phœnices & Græci. Vetustiores Aethiopes, nec non & Aegyptij, si vera sunt quæ ipsi de se prædicāt, asperi & inculti ab initio, ferinæ carnes herbæq; veluti pecoribus, vulgo cibus fuere: neque moribus, neq; lege, neq; imperio vllo vsi: vagi, temereq; palantes, nullas certas sedes habuere: vbi nox oppresserat, ibi corpora quieti dabant. Postea verò ab Hercule, qui & in eam terram colonias deportasse dicitur, mitiores, cultioresq; facti, ex ijs nauibus, quibus in Libyam transfretauerunt, tuguria fecerunt, & conuenire cohabitareq; cœperunt. Sed de his plura posteà dicemus. Inequaliter terra Africa colitur, ad meridiem plurimum ob nimios æstus deserta: contrà quà Europam spectat, frequentior illi cultus. Eximia & propemodum portentosa agrorum feracitas, vtpote qui locis quibusdam centesimo fœnore reddant cultoribus messem. Mirum est, quod de Mauritaniæ vbertate dicitur: esse in ea vites, quas duorum hominum complexus capere non possit, vuarum racemos cubitales: Stapinilini, Hippomarutri & cgrduorum scapos duodenûm cubitorum, enormi crassitudine calami Indici similes, quorum nodi octo capiant modiolos. Asparagos adhæc videri haud minus notabili magnitudine. Arbores circa Atlantem proceritate insigni enodi, nitore, folio cupressi: sed omnium nobilissima Citrus Romanis

Aduenæ.

Aphri ab Hercule cultiores facti.

Terræ Africæ qualitas.

Portentosa Africæ feracitas.

Mauritaniæ mira vbertas.

Africæ mirabilia.

Quæ animalia in Africa nascantur.

manis delicijs inserta. Alit & Africa Elephantos, & Dracones, qui ipsis beluis insidiantur, suoq; complexu enecant Leones, bubalos, pardales, capreas, & simias, quibusdam locis supra modum frequentes: Sunt & camelopardales, Rhizes tauris similes. Herodotus cornutos Asinos ibi nasci auctor est, Dracones insuper, Hyænas, Histrites, agrestes arietes, Thoas ex Hyæna & Lupo genitas, Pantheras, Ciconias Pigardos, Strutios, & præter multa serpentum genera Cerastas & Aspidem: cui pesti Ichneumonem minimum animal opposuit natura.

De Aethiopia, & gentis eius priscis moribus. CAP. IV.

Aethiopia duplex. Aethiopia hodie India dicitur.

AEthiopia duplex regio est, Asiæ & Africæ: altera, quæ & hodie India dicitur, ad orientem solem rubro & barbarico mari aluitur, ad septentrionem Libyæ & Aegypto contigua: ad occasum interiorem habet Libyam: ac reliqua parte, qua austro iacet obuersa, alteri iungitur Aethiopiæ, quæ maior est & australior: sic appellata ab Aethiope Vulcani filio, qui illi præfuit, vt Plinius ait: vel à Græco αἴθω cremo, ὄψ aspectus: quòd Solis vicinitate torreat. Est enim ingis æstus. Quicquid eius est, sub meridiano cardine est.

Qualitas Aethiopiæ

Montuosa est circa occiduum, arenosa in medio, ad orientem deserta. Plurimas habet gentes diuerso vultu & monstruoso, specie horribiles.

biles. Primi omnium mortalium creduntur, verissimiq; indigenæ, & seruitutem nunquàm experti: Semper genti libertas incolumis mansit. Primò deorum cultum apud eos institutum memorant, primasq; sacrorum ceremonias. Duplicem literarum vsum, vtque sacræ dicerentur sacerdotibus duntaxat notæ essent: Alterum earum, quæ vulgo paterent. Fuerunt tamen literarum figuræ haud tales, vt ex illis syllabæ coalescerent: sed animantibus extremisq; hominum partibus, varijsq; instrumentis artificum perquàm similes: singulisq; sua inerat figuris significatio: vt in accipitre celeritas, in crocodilo malum, custodia in oculo, sicq; aliæ in alijs. Ex sacerdotibus, quem phanatico cursu circumferri viderint, omnium sanctissimum iudicant. Quem vbi regem creauerint, veluti numen insit, aut sit ad minus diuina prouidentia eis datus, vulgò adorant: vitam is agere statutam legibus debet, omniaq; facere iuxta patrios mores. Neminem neque præmio neq; pœna afficere. In quem autem animaduersum volet, lictorem signum mortis habentem ad eum mittit. quo inspecto confestim, quisquis ille est, domum reuersus sibi mortem consciscit. Tantus regibus honor, tantumq; studium ab his tribuebatur, vt si quando aliqua corporis parte ex quauis causa debilitaretur Rex, domestici homines sponte sua eandem partem debilitarent: turpe existimantes, Rege claudo aut monoculo & non

Vetustissimi Aethiopes.

Deorū cultus ab Aethiopibus institutus.

Literæ quibus vsi Aethiopes.

Rex ex sacerdotibus phanaticus eligitur.

Obediētia Aethiopū.

non amicos omneis claudos aut vnoculos esse. Ferunt quoque consuetudinis esse, amicos vltro in regis morte vita defungi, existimantes eum interitum gloriosum, veræq; amicitiæ testem. Plures syderis propinquitate nudi agunt, ouillis caudis pudenda obtegunt, pauci omnino pecorum vestiuntur pellibus. Alij subligacula capillis contexta ad nellium corpus induunt. Pecuariam rem vulgò exercent: pecora pusilla admodum duri hirtiq; velleris. Canes & ipsi nihilo maiores, cæterùm asperi & pugnaces. Milij hordeiq; frequens vsus, vnde potum etiam conficiunt: cæteris carent frugibus, præter palmulas, easq; perraras. Quidam herbis victitant, tenuioribusq; harundinum radicibus, carnibus, lacte, caseo vescuntur. Meroe fuit olim regni caput: clypei figuram ea insula imitatur, ad tria millia stadiorum cum Nilo protensa. Accolunt pastores eam, qui passim venantur, & agricolæ aurifodinas habent. Herodotus auctor est, apud Macrobios Aethiopes æs pluris existimari, quàm aurum, cuius tam vilis sit vsus, vt Cambysis legati eò profecti, sontes viderint aureis catenis in custodia vinctos. Quidam Sisamum, alij Lotum serunt: Hebeno abundant, & Siliquastro: Elephantes venantur & comedunt: Leones habēt, Rhinocerotas, Basiliscos, Pardales, Draconésque, qui multiplici nexu implicitos Elephantes haustu sanguinis conficiunt. Hyacin-

Vestitus Aethiopum.

Studium & exercitium

Meroe olim regni aethiopici caput.

Aurū apud Aethiopes ære vilius.

thus ibi & Chrisoprasus reperiuntur. Colligitur & Cinnamonum. Arcubus vtuntur quadricubitalibus, ligneis & perustis: instruuntur bello & mulieres, quarum pleraque oris labium aeneo traiectum habent circulo. Venerantur eorum quidam orientem solem, occidentem diris supplicationibus insectantur. Mortuos nonnulli in profluentem deijciunt, alij fictilibus condunt dolijs, quidam etiam vitreis conditos domi in annum asseruant, religioséque interim colunt, primitias offerunt. Sunt qui tradant Regem ab his potissimum declarari, qui forma & alendorum pecorum peritia, roboréque, & opibus ceteros antecellat. Fuisséque ius olim (vt Memphiticis Sacerdotibus) mortis per internuncium imperandae, alteriúsque in demortui locum quum libitum esset, constituendi. Deum alterum immortalem credere, eum qui rerum sit princeps atque vniuersi conditor: mortalem alterum, eúmque incertum regem, vt dictum est, & eum, qui de ciuitate meritus sit, secundum post Regem, vt deos venerantur. Et talis fuit ab initio, & iam ante multa secula Aethiopiae status: hi gentis ritus & mores. Hodie verò, vt se Marcus Antonius Sabellicus (ex quo maiorem partem eorum, quae hîc, & in sequentibus à nobis dicuntur, accepimus) ab ipsis locorum illorum indigenis cognouisse, dicit, Aethiopiae Rex (quem nostri Pretoianem vocant, at sacer

Religio Aethiopum.

Sacerdotum Aethiopum auctoritas.

Dij Aethiopum.

Recentes Aethiopum mores.

Pretoianes

...c sacerdotem Ioannem siue Ianem: illi Giam (id est, potentem) tam potens est, vt duobus & sexaginta alijs regibus imperitare prædicetur: magnorum Antistitum desideria ad ipsum omnia referri, atque sacerdotia impetrari, quod Romanus pontifex Regum Maiestati dedit. Sacerdos tamen ipse non est, nec vllis sacris initiatus. Primorum Antistitum ingens numerus: atque cuique horum, vt minimum, viginti obediunt episcopi. Principes atque alios maiores dignitatis Antistites, quum in apertum exeunt, crux præcedit, & aureum vas terra refertum, vt hoc inspectum euntem sua admoneat mortalitatis, illa dominicæ passionis. Sacerdotes procreationis causa ducunt vxorem, quam si morte amiserint, nefas est aliam superducere. Magna diuorum templa, ac nostris opulentiora, plurimúmque fornicato opere ad summum educta. Multæ piorum ordinum familiæ, Antonij, Dominici, Calaguritani, Augustini, Macarei. Colore amiciuntur indiscreto antistitum permissu. Secundùm deum optimum, deiparámque virginem summa in his terris veneratio Thomæ cognomento Didymo. Regum ille maximus, quem Giam vocant, à Dauide procreatus, stirpe vnius gentis in tot ætates (vt ipsi persuasum habent) propagata. Estq; non atro, vt plurimi Aethiopum, sed candido colore. Garama vrbs regia, quæ non muris, non parietibus constat, sed tabernaculis in ordinem

[Margin: ...Aethiopiæ rex]

[Margin: Sacerdotes coniugati sunt.]

[Margin: Thomæ apostoli in Aethiopia summa veneratio.]

nem digestis, ex serico, bysso, purpura intextis. Veteri instituto rex in aperto agit, nec se intra mœnia plus biduo continet: aut quia id turpe ducunt, & molle, aut quòd lege quadam non liceat. Decies centum millia hominum ad bellum instruit, quingentos Elephantos, equorum adhæc & camelorum ingentem numerum: & hæc vel mediocri rerum motu. Suntq́; in tota gente familiæ stipendiariæ, ex quibus orti, signo crucis, velut cauterio insigniuntur, cute leniter incisa. Arcu in bello vtuntur, conto, lorica, galea. Sacerdotium in summa dignitate. Secunda dignitas sapientum, quos Balsamatos & Tenquatos vocant: tribuitur etiam non parum innocentiæ & probitati, quam primo sapientiæ gradu collocant. Nobilitati tertius habetur honos, sequuntur stipendiarij. Iudices de vita hominis decernunt, decretum ad præfectum vrbis deferunt, quem Lycomegiam vocant: locum regis is tenet. Legibus nullis ex scripto vtuntur: ex bono & æquo iudicant. Si quis adulterij sit conuictus, quadragesima bonorum omnium pars multa est: de adultera, domestica vltio: illi quorum interest puniunt. Viri dotem constituunt ijs, quas sibi matrimonio iungunt, non aliunde quærunt. Mundus muliebris ex auro, (quo gens plurimum abundat) margaritis & serico. Viri & fæminæ vestitu vtuntur ad pedes demisso, manicato, nec vspiam adaperto, indiscreto colore, præterquàm nigro, qui

Regis Aethiopū potentia.

Arma bellicosa Aethiopum.

Adulterij multa.

Dotem viri mulieribus constituūt.

in ea gente luctificum est. Defunctos lugent quadraginta dies. Lautioribus conuiuijs secunda mensa crudæ infruuntur carnes, quibus affabrè concisis, respersisque aromate auidissime vescuntur. Lanificio carent: sericum aut linum vestit totam gentem: non vnus omnibus sermo, sed varia loquendi ratio, varijsque distincta nominibus. Agriculturam exercent, & rem pecuariam. Bina messis est illis, bina etiam æstas. Quicquid Libycarum gentium ab Aethiopia hac seu India vsque ad occidentem solem, omnes Mahometi impietatem colunt, viuuntq; eodem ferè cultu, quo & Barbari qui in Aegypto sunt hodie, & Mauri appellantur, ab ipsa, vt creditur, Maurorum euagatione: nam ea quoque gens Libyæ non minus infesta fuit, quàm Saraceni: diris illis temporibus, quibus magna in humanis rebus facta est mutatio, mores gentium, pietatis cultus, terrarum nomina passim immutata.

Mahometus etiam in Libya obseruatur.

Mauri in Aegypto.

De Ægypto, & ritu gentis vetusto.

CAP. V.

Aegypti denominatio & descriptio.

Aegyptus regio in Africa, vel secundùm aliquos Africæ proxima; ab Aegypto Danai fratre sic appellata, quum prius Aeria diceretur. Hac teste Plinio lib. v. ab oriente rubro mari, Palæstinaq; coniungitur: ab occasu Cyrenem & Africæ residuum habet: à meridie vsque in Aethiopiam protenditur: à septem-

trione

trione mare Ægyptium. Eius insignes vrbes fuere Thebæ, Abydos, Alexandria, Babylon, & Memphis (hodie Damiata) & Soldani sedes ciuitas Cayrus siue Alcyr amplißima. In AEgypto (vt Plato inquit) nunquam visum est pluere, sed terram ipsam Nili inundatione quotannis post æstiuale solstitium fœcundari. A plerisque inter insulas relata est, ita se Nilo scindente, vt triquetram terræ delineet figuram: quo contingit, vt à Græcæ litteræ similitudine, sit à multis Delta cognominata. Aegyptij omnium primi duodecim deorum nomina commenti sunt, aras & simulacra, delubraq; statuisse creduntur: animalia in saxis figurasse: quæ omnia planè arguunt eos ab Aethiopibus esse oriundos, qui horum omnium fuerunt auctores, vt tradit Diodorus Siculus. Aegyptii ab Aethiopib. oriundi.

Eorum fæminæ olim negotiari, cauponari, institoriaq; obire munera consueuerunt. Viri intra murorum parietes texere: hi onera capitibus gestare, mulieres humeris: illæ stantes mi-cturire, hi sedentes: domi vulgò ventrem exonerare, in viis comessari. Mulieres Aegyptię vĩrorũ obiere munera, viri mulierũ. *Mulierum nulla neque dei cuiusquam, neque deæ sacerdotium habuit. Initiantur non sigillatim cuique deorum, sed gregatim: quorum vnus est Pontifex: vbi is defunctus est, filius eius subrogatur. Mares liberi, gentili instituto, parentes haud inuiti alebant: contrà cogebantur filiæ etiam nolentes. Pleriq; mortalium in funere deglabrant capita* Lugẽdi defunctos ritus admirãdus.

barbam promittunt. Aegyptij promittebant capillum, & barbam tondebant, panem pedibus, lutum manibus subigebant. Horum fuit, (vt Graeci persuasum habuere,) & qui ab illis oriundi sunt, virilia circumcidere. A dextera in sinistram literas digerunt. Horum mares bonis vestibus vti moris fuit: foeminas singulis: bipartitus literarum vsus, profanus hic, ille sacer, sed vterque ab Aethiopibus sumptus. Sacerdotes tertio quoque die corpora rasitare, ne quid sordis, quum sacra faciunt, intercurreret, linea ferre vestimenta, semper recens abluta, fassi munditiae gratia se circumcisos esse, quia satius sit mundos esse quàm decoros. Vestem sacerdotes lineam tantùm gestare, & calceos papyraceos. Fabam neque ab eis seri, neque alibi natam vesci. Sacerdotibus etiam illam videre prohibitum, eo quòd immundum hoc legumen sit. Lauantur quotidie frigida aqua, interdiu ter, nocte bis. Hostiarum capita priùs, exsecrationibus diris damnata non manducabant, sed aut peregrinis negotiatoribus vendicabant sacerdotes: aut si, qui illa emerent, non affuissent, in Nilum proijciebant. Boues mares eosdémque mundos, ac vitulos vniuersi Aegyptij immolant: foeminas immolare non licet, vtpotè Isidi consecratas. Cibo è farre, quod quidem siliginem vocant, confecto victitant. Vino vtuntur facto ex hordeo: desunt enim in ea regione vites. victitant quoq; ne-

Circúcidere virilia à quibus lu[illegible]ceptum.

Sacerdotũ Aegyptiorũ munditiec.

Faba immũda m legumen nõ seritur neque comeditur ab Aegyptijs.

Vinum ex hordeo.

tum

tum piscibus, partim crudis ad solem arefactis, partim salsugine conditis, tum auibus, sed eis crudis, priùs tamen sale conditis coturnicibus anatibúsque apud locupletes. Eorum quum multi conuenerunt, & à cœna discessum est, circumfert aliquis in loculo mortuum è ligno factum, aut pictura & opere maximè imitantem, longitudine cubitali omnino, aut bicubitali: ostendensq; singulis conuiuarum ait, In hunc intuens pota & oblectare, talis post mortem futurus. Minores maioribus natu obuij in via cedunt atque deflectunt: aduenientibusq; è sedili assurgunt: qua in re cum Lacedæmonijs conueniunt: occurrentes mutuò se in vijs adorant manu genutenus demissa. Vestibus, vt dixi, lineis amiciuntur, circa crura fimbriatis, quas Calasiras appellant: super quas candida ferunt amicula alia tanquam superiecta. Laneæ vestes neque in ædes sacras gestantur, neque vnà cum cadauere sepeliuntur. Nunc quoniam omnes qui olim doctrina aliqua excelluere, quique alijs gentibus leges & vitæ instituta præscripserunt, ad Aegyptios priùs, vt mores illorum, leges & sapientiam (quibus tum omnes terræ nationes facilè anteibant) perciperent, transiere: vt Orpheus, posteaq; Homerus, Musæus, Melampodes, Dædalus, Lycurgus Spartanus: deinceps Solon Atheniensis, Plato philosophus, ac Samius Pythagoras, & huius discipulus Zamolxis: Eudoxus quoque mathe-

Mutua adoratio in vijs.

Lanearum vestiũ contemptus.

maticus, Democritus Abderites, & Inopides Chius, Moses Hebraeus, atque alij multi, vt in sacris eorum libris contineri Aegyptij sacerdotes gloriantur: Libet, conueniens etiam esse mihi videtur, illorum viuendi ritibus diutius immorari: vt cognoscatur, quid, & quae quisque illorum ab his acceperit, atque aliò transportarit. Nam, vt Philippus Beroaldus super Apuleianum Asinum scribit, pleraque etiam ex Aegyptiorum religione translata in religionem nostram sunt, vt lineae vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musicae modulamina, adorationes, preces, aliaq; id genus complura. Aegyptij reges (vt scribit Diodorus Siculus libro secundo) vitam non aliorum regnantium more, quibus voluntas pro lege est, traducebant licentia: sed legum instituta in cogendis pecuniis, quotidianoq; victu sequebantur. Eorum cultus obsequióque nullus deputatus erat, neque emptitius, neque domo genitus seruus, sed nobilium sacerdotum filij, tum vltra vigenti annos nati, tum doctrina prae caeteris eruditi, vt horum corporis ministrorum die noctuque astantium conspectu motus Rex, nil turpe committeret. Raro enim potentes rerum mali euadunt, vbi desunt suarum cupiditatum ministri. Institutae erant diei noctisq; horae, quibus regi, lege permissa, agere fas erat. Mane surgentem Regem primò epistolas omnes missas capere oportebat, vt cognitis his,

Christiana nostra religio pleraq; ab Aegyptiis mutuata.

Regũ Aegyptiorũ seruos quales oportebat esse.

quae

quæ sibi agenda essent, responso dato singula in tempore exq; ordine recte agerentur. His actis quum in virorum excellentium cœtu lauisset corpus, vestem præclaram indutus sacra diis faciebat: Mos erat sacerdotum principi iuxta aram hostiis deductis, astante Rege, magna voce audiente populo valetudinem prosperam, omniaq; bona precari Regi iustitiam in subditos colenti: narrare insuper particulatim Regis virtutes, in deos pietatem, ac religionem, in homines humanitatem seruantis, tum illum continentem dicere, iustum, magniq; animi, veracem, liberalem, omneisq; frænantem cupiditates, pœnas insuper mitiores quàm postularent errantis crimina exigentem, reddentem verò gratiam meritis ampliorem: plura his similia orans, tandem is execrationem in malos exsequebatur. Tum regem culpa purgans, omne crimen in ministros, qui Regi iniqua suaderent, coniiciebat. Quibus actis sacerdos & regem ad felicem diisq; gratam vitam hortabatur, & simul ad bonos mores, agendumq; non quæ suaderent mali, sed quæ ad laudem & virtutem maximè pertinerent. Demum quum Rex tauro diis sacra fecisset, Sacerdos quædam ex sacris libris clarissimorum virorum consilia, actáque proferebat: quibus rex monitus, imperio piè ac iustè aliorum exemplo vteretur. Non autem pecuniis congregandis vacandi, iudicandiq; legibus solùm antiquis: sed deambu-

Mos laudādi reges in templis obseruatur.

Criminum regis expurgatio.

Landi quoq; lauandique & cum uxore cubandi, omnuq; degendæ vitæ tempus erat lege præstitutum. Cibo vescebantur simplici, vt quorum mensæ nihil præter vitulum & anserem inferretur: vini potandi certa statuta erat mensura, qua neque farciri ventrem, neque inebriari possent. Denique ipsorum vita ea tenebatur modestia: vt non à legislatore, sed à peritissimo medico ad conseruandam sanitatem composita videretur. Mirabile videtur Aegyptios, non ex voluntate, sed ex lege vitam priuatam agere: sed multo est mirabilius illis, neque iudicandi, neque pecuniam congregandi, neque puniendi quenquam per superbiam aut iram, aut aliam iniustam ob causam, licentiam permissam. Sed veluti priuatos teneri legibus: neque id ægrè ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore. Nam ab his, qui suis indulgerent cupiditatibus, multa censebant fieri, quibus damna periculáque subirent. Scientes enim sæpius se peccare, tamen aut amore, aut odio, aut alio animi morbo victi nihilominus aberrant. Qui verò sapientia consilióque vitam instituunt, in paucis offendunt. Hac vsi erga subditos iustitia, Reges omnium beneuolentiam adeò assequuti sunt, vt non solùm sacerdotibus, sed singulis Aegyptijs maior Regis quàm vxorum filiorumque, aut aliorum principum salutis inesset cura. Vita verò his moribus defunctum, omnes communi mæstitia lugent, vestes lacer

Cibo simplici Aegyptij vescebantur.

Salus regis omnibus curæ.

Luctus in regum morte publicus

lacerant, templis clausis forum non frequentant, festa solemnia non agunt, dies septuaginta duos luto deturpantes capita, ac sindone subtus mammas cincti, vnà viri mulieresq; ducenti fermè aut trecenti circum ambulant bis in die nouantes luctum, atque ad numerum cum cantu virtutes regis commemorantes. Cibis animantium, cocliq;, ac vina omniq; mensæ apparatu abstinent. Non lauacris, non vnguentis, non stratis lectis, non venereis vtuntur: sed tanquam defuncto filio per eos dies mœrentes lugent. Hoc tempore, quæ ad pompam funeris spectant preparatis, postremo die corpus in arca conditum ante sepulchri aditum ponunt. Ibi breuiarium in vita ab rege gestarum de more recitant, volentique facultas datur defunctum accusandi. Astant sacerdotes, mortui rectè facta laudantes: populus is permagnus est, qui exsequias circumstat, applaudens veris laudibus, in reliquis magno reclamans tumultu. Quo accidit vt plures reges repugnante multitudine, solito caruerint sepulchri honore ac magnificentia. Is timor coegit Aegypti reges iustè viuere, veritos futuram post mortem plebis iram, atque odium sempiternum. Antiquorum regum viuendi mos hic maximè fuit. Aegypto omni in plures partes, quarum quælibet Graeco verbo νομὸς appellabatur, diuisa, cuilibet prætor aderat, qui omnium haberet curam. Aegypti vectigalibus trifariàm partitis, priorem

Aegyptiorū regū funeratio.

Quid coëgerit Aegypti reges iustè viuere.

Aegypti vetus administratio.

portionem percipit collegium sacerdotum magna apud incolas auctoritate, tum propter deorum curam, tum propter doctrinam qua plures erudiuntur. Hanc partem tum ad sacrificiorum ministeria, tum ad priuatæ vitæ commoda impertiunt: neque enim deorum cultum omittendum putant, neque publici consilij vtilitatisq; ministris æquum censent vitæ commoda deesse. Adsunt enim grauibus in rebus hi semper consilio atque opere regibus, tum astrorum peritia, tum verò sacrificijs futura prædicentes. Ex libris præterea sacris priorum gesta referunt, quibus reges in agendis noscant quæ sint profutura. Non enim quemadmodum apud Græcos, vnus homo, aut vnica mulier sacris præest, sed plures in cultu deorum honoreq; versantur, qui eandem sacrorum curam filijs tradunt. Hi omnes immunes sunt, secundumq; post reges honoris dignitatisq; locum tenent. Altera portio ad Reges peruenit, quam & ad bella, & ad vitæ cultum, tum ad liberalitatem erga strenuos viros pro meritis impendunt. Qua ex re fit, vt populares nullo grauentur tributo. Tertiam percipiunt milites: & qui belli sunt instituti ministerio, vt hoc stipendio accepto paratiorem habeant animum ad bellorum pericula obeunda. Est insuper eorum politia in tria hominum genera instituta, agricolarum, pastorum, & opificum. Agricolæ parua quadam mercede, à sacerdotibus regeq; aut mili-

Politia Aegyptiorũ in triplici hominum genere consistebat.

Agricolæ

militibus agros mercati, per omnem ætatem ab ipsa pueritia, res rusticæ sine intermissione vacant: quo fit, vt agricultura cæteris, tum ob doctrinam à parentibus perceptam, tum ob continuum vsum, præstent. Eodem modo & pastores cura atque arte regendi pecoris à patribus accepta semper in eo gubernaculo ætatem agunt. Artes quoque apud Aegyptios admodum excultas videmus, & ad summum perductas. Nam soli Aegyptij opifices, omissa rerum publicarum cura, nullum nisi aut legibus permissum, aut à patre traditum opus exercent: vt neq; eos docentis inuidia, neque ciuile odium, neque aliud quid ab instituto impediat exercitio. Iudicia verò eorum non casu fiebant, sed ratione: existimabant enim ritè facta plurimùm vitæ mortalium prodesse. Nam punire nocentes, auxilium ferre oppressis, optimam ad prohibenda mala facinora viam putant. Pœnam verò delicti aut pecunia aut gratia tolli, existimabant confusionem vitæ communis fore. Quamobrem ex ciuitatibus clarioribus, vt Heliopoli, Memphi, Thebis, viros optimos eligebant, quos iudicijs præficerent: qui iudicum consessus, neque Athenarum Areopagitis, nec Lacedæmoniorum senatui longo tempore posteà institutis, cedere videbantur. Postquàm hi conuenerant triginta numero, inter se eligebant optimum virum, quem iudicij principem constituebant, in locum cuius ciuitas alium

Pastores.

Opifices.

Iudicia Aegyptiorum nō casu sed ratione.

Iudicū electio.

Iudicibus Aegyptiorũ victus à Rege dabatur. Veritas insigne iudicũ principis.

iudicem substituebat : his omnibus victus, sed principi opulentior à Rege dabatur : is aurea catena signum varijs ornatum lapidibus à collo suspensum, quod appellabant veritatem, gestabat. Cœptis iudicijs ac signo veritatis à principe iudicum proposito, omnibúsque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio eorum constitutis, mos erat accusatorem scribere ea in quibus alium accusabat, modúmque patratæ iniuriæ aut damni facti, quanti eum æstimaret, scribere. Reo tempus dabatur rescribendi ad singula: & aut se id non fecisse, aut rectè fecisse purgandi, aut iniuriam vel damnum minoris æstimandi. Rursus accusatori reóque inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus, quum iudices de controuersia quæsiissent, princeps, signo Veritatis in partem veriorem verso, sententiam ferebat: hic mos iudiciorum erat. Quoniam de legum institutione mentio incidit, haud alienum ab instituto erit, antiquas Aegyptiorum leges etiam referre, quo cognoscatur, quantum cæteris præstent, & rerum ordine, & vtilitate.

Periurii capitale fuit apud Aegyptios.

Primùm periuri capite multabantur, tanquam qui duplici tenerentur scelere : vt qui & pietatem in deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum societatis vinculum humanæ. Si quis iter faciens aut hominem à latronibus cædi comperiret, aut quamlibet iniuriam perpeti, neque subueniret auxilio, (si posset) mortis erat

erat reus: Si auxilium ferre non posset, denunciare latrones tenebatur, & iniuriam accusatione prosequi: qui ea negligebat, plagis ad certum numerum plectebatur, triduóque carebat cibo. Falsò quempiam accusans si postmodum ad iudicium delatus foret, pœnam calumniatoribus statutam subibat. Cogebantur Aegiptij omnes scripta nomina sua ad præsides, & simul quo exercitio viuerent, deferre: qua in re si quis mentiretur, aut si iniusto viueret quæstu, in mortis incidebat pœnam. Si quis sponte aut liberum aut seruum occidisset, morte damnare leges iubebant: quæ non fortunæ conditionem, sed consilium facti pendentes, homines à sceleribus deterrebant, & simul vindicata serui morte reddebantur liberi securiores. Patribus, qui filios occiderent, non erat pœna mortis indicta, sed tribus diebus, noctibusq; continuus edictum vt circa defuncti corpus assisterent publica etiam custodia astante: Non enim iustum putabant, eum vita priuari, qui vitæ filiis auctor fuisset: sed potiùs continuò dolore, factique pœnitentia affligi, quò cæteri ab simili facto auerterentur. Parricidis exquisitam imposuerunt pœnam. Nam articulatim præacutis calamis cæsos iubebant viuos supra spinarum aceruum comburi: maximum inter mortales iudicantes scelus, ei mortem per vim inferre, à quo vitam accepisset. Mulierum morti destinatarum si prægnantes essent,

Homicidiũ morte inhibitum.

Lex al'a in paréctes qui liberos occiderent.

Lex in parricidas atrocissima.

essent, partus exspectabatur: existimantes penitus iniquum esse, eum, qui nihil commisisset, vnà cum facinoroso pœnam pati: aut duos plecti, quum vnus deliquisset. In bellis, qui aut ordinem reliquissent, aut non parerent ducibus, non plectebantur morte, sed maxima omnium ignominia: qua postmodo virtute & rectè factis deleta, ad priorem statum redirent. Ea lex & homines assuefaciebat, vt id dedecus pessimum malum, morteq; ipsa grauius censerent. His, qui secreta hostibus reuelassent, linguam lex iubebat abscindi. Et qui monetam circumcideret, aut adulterinam cuderet, aut pondus vel signa immutaret, aut litteris inscriberet, aut descripta demeret, aut falsas syngraphas afferret, ambæ amputabantur manus, vt qua corporis pars peccasset, per vniuersam vitam lueret pœnam. Cæteri quoque aliorum calamitate moniti ab simili scelere abstinerent. Asperæ etiam pœnæ circa mulierum delicta statutæ erant. Nam ei, qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur: quoniam vno crimine tria haud parua scelera complexus esset, iniuriam, corruptelam, & liberorum confusionem. In adulterio spontaneo deprehensus virgis cædebatur ad mille plagas, mulier naso mutilabatur. Quo dedecore vultus maculatus ea multaretur parte qua maximè facies exornatur. Legum, quæ ad hominum commercia pertinent, Bocchoridem latorem fuisse scribunt. Hæ mandant, crediditis

Lex castrēsis ignominiosa.

Lex in monetarum falsarios.

Lex in mœchos.

Lex in adulteros & adulteras.

Bocchorides legislator.

ditis absque scriptura mutuò pecuniis, si negarentur, stari debitoris iuramento: vt quæ iusiurandum veluti religiosam rem magni æstimarent. Nam quum certum sit iis, qui sæpius iurant, abrogari fidem: plurimi ducunt, ne boni viri nomen amittatur, rarò ad iuramentum descendere. Legis insuper lator omnem fidem in virtute constituens, bonis moribus indicauit assuefieri homines ad probitatem, ne indigni fide viderentur, debere. Iniquum etiam putauit eis, quibus absque iuramento credita pecunia esset, de re sua iurantibus non præstari fidem. Fœnus, quod ex scripto contrahebatur, prohibuit vltra contracti mutui duplum exigi: solutio ex bonis debitoris solùm fiebat: Corpus non poterat addici creditori: putabat enim oportere bona tantùm subdita esse debitis: Corpora, quorum opera & bello & pace vterentur, ciuitatibus addicta esse. Non enim æquum videbatur, milites, qui pro patriæ salute pericula subirent, pro vsuris in carcerem duci: quam etiam legem Solon videtur ad Athenienses transtulisse: quam Sisachthiam appellauit: decernens ne ob vsuras ciuium corpora necterentur. Lex priuatim præterea de furibus apud solos Aegyptios hæc erat: Iubebat eos qui furari volebant, nomen suum apud principem sacerdotum scribere, atque e vestigio furtum ad eum deferre: similiter quibus res furto erepta erat, ad eundem rei sublatæ tempus diem & horam

Ad iuramētū rarò descendendū.

Lex fœneratoribus data.

Lex de furto admiranda.

scrib

scribere tenebantur. Hoc modo facilè inuento furto, qui rem amisisset, quarta mulctabatur parte, quæ daretur furi: satius legislator esse duxit, quum impossibile esset prohiberi furta, alicuius portionis, quàm totius rei amissæ homines iacturam pati. Nuptiarum non idem apud Aegyptios mos est. Sacerdotibus vnam tantùm vxorem ducere licet. Reliqui pro voluntate & facultatibus plures habent. Nullus ex eis, nec ex serua quidem empta genitus, spurius habetur. Solum enim patrem existimant generis auctorem, matrem & nutrimentum & locum infanti præbere. Natos adeò parua educant facilique impensa, vt vix credi possit, Nam tum scirporum, tum aliis radicibus, quas sub cineribus coquunt, tum caulibus palustribus, quas partim coctas, partim assas igni, partim crudas pro cibo præbent, liberos nutriunt: discalceati nudique maiori ex parte ob patriæ temperiem vitam ducunt. Omnis sumtus in pueros, quoúsque ad ætatem perueniant, à parentibus impensus non excedit drachmas viginti. Erudiunt sacerdotes filios, & literis, quæ appellantur sacræ, & aliis, quæ ad communem spectant doctrinam, vt plurimum Geometriæ, Arithmeticæq; studio intenti. Palæstræ aut Musicæ non vacant, existimantes quotidianum illius exercitium iunioribus infirmum esse & periculosum, ex eóque breuiores vires effici. Musicam non solùm inutilem, sed nocuam

Matrimonia.

Puerorum educatio & impēsa modica.

Musica damnatur ab Aegyptiis.

euam ducunt, tanquam virorum animos effœminantem. Morbos vel ieiunio curant, vel vomitu: idque aut quotidie, aut tribus diebus, aut quatuor interiectis: asserunt enim ex ciborum superfluitate omneis creari morbos: eam ergo ad valetudinem curam esse optimam quæ morborum principia auferat. In militiam aut peregrinationem profecti, nulla impensa mercede curantur. Medici enim ex publico victum sumunt, ægros secundum legem curant ab antiquis medicis comprobatisque scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri sequutus infirmum curare nequiuerit, omni caret crimine: si præter ea, quàm quæ libris continentur, illum curauerit, morte punitur. Credidit enim legislator ea medendi cura, quæ plurimo tempore ab antiquis medicis obseruata profectáque sit, haud facilè meliorem reperiri posse. Colunt Aegyptij animalia quædam præter modum non solùm viua, sed etiam mortua: sicut Felem, Ichneumonas, Canes, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, & eiusmodi plura. Non solùm horum cultum palàm profiteri non erubescunt, sed tanquam in honoribus deorum effusi, id laudi sibi & decori ducunt. Cúmque signis illorum propriis vrbes, & varia loca circumeant procul ostentantes, quæ seruentur animalia, ex more supplicum singuli venerantur. Quum aliquod eorum moritur, sindone contectum cum vlulatu pectus percutientes sale

Morbos Aegyptij vomitu curant aut ieiunio.

Medici Aegyptiorum.

Variorum animalium cultura portentosa.

liniunt: ac cedri liquore vnguentisq; odoriferis, quò diutius seruetur corpus vnctum, in sacris locis sepeliunt. Si quis aliquod horum animalium sponte occiderit, morte damnatur: Aeluro & Ibide exceptis, quos si quis sponte vel secus occiderit, interficitur accurrente turba, & absque iudicio hominem variis suppliciis adfectum interficiunt. Quo timore, qui hos mortuos conspexit, procul astans, lamentatur, testificans animal absque sua culpa mortuum esse. Nutriuntur hæc animalia summa cura atque impensa in templorum ambitu à viris haudquaquam contemnendis, quæ similagine & alica variisq; epulis lacte conditis cibant: anseres tum elixos tum assatos apponunt quotidie: his, quæ cruda edunt, aues captas præbent: denique ea omnia magna sustentant cura atque sumptu. Eorum mortem æquè ac filiorum lugent, sepeliúntque sumptuosiùs, quàm eorum facultas ferat, ita vt, Ptolemæo Lago Aegyptum tenente, quum bos in Memphi ex senecta mortuus esset, qui illius nutriendi curam ceperat, pecuniam, quæ in eius sumptum data erat, permagnam, ac insuper quinquaginta talenta argenti mutuo à Ptolemæo sumpta, in eius sepulturam impendit. Videbuntur forsitan hæc, quæ diximus, miranda, sed nequaquàm minus admirabitur quis, si quid apud quosque Aegyptios fit consideret in funere mortuorum. Nam vbi aliquis defunctus est, propinqui omnes amicis,

Ibidem vel felem apud Aegyptios interficiens interficitur.

Animalia in templis splêdidè nutriuntur.

Apis bos mortuus maximo sumptu sepultus.

Mortuorũ funeratio apud Aegyptios admiranda.

amici, qui deturpato luto capite lugentes ciuitatem, quoad mortuus sepeliatur, circumeunt: interim neque lauantur, neque vinum capiunt, aut cibum nisi vilem, neque vestibus vtuntur splendidis. Sepulcrorum tres habent species, sumptuosos, mediocres, & humiles. In prima argenti talentum exponunt. In secunda, minas viginti. In vltima parum quid sumptus irrogatur. Qui funera mortuorum curant, eo exercitio à maioribus tradito funeris impensam domesticis descriptam ferunt, scrutantes quanti velint celebrari funus: conuentione facta, corpus eis traditur, vt iuxta impensam curetur funus. Primus Grammaticus (ita enim appellatur) posito humi corpore, circa ilia describit, quantum à sinistra parte incidatur: deinde qui dicitur scissor habens lapidem Aethiopicum, quantum lex finit latus aperit, subitóque cursu à prosequentibus, qui astant, lapidésque cum exsecratione in eum iacientibus fugit. Existimant enim odium inhærere, quicumque amici corpus vulnere illato violarit. Curatores verò corporis, hos salitores appellant, honore digni existimationéque habentur. Vtuntur enim sacerdotibus, templáque pariter ingrediuntur. His penes cadauer astantibus, vnus per scissuram corporis interiora, præter renes & cor, ducit. Quæ singula alter vino phœniceo ex rebus odoriferis lauat: deinde corpus totum primùm ex cedro, tum aliis pretiosis vnguentis

vngunt dies ampliùs triginta. Myrrha deinde ac cinnamomo, cæterisq; rebus liniunt, quæ non solùm id seruare diuturnè, sed odoriferum reddere queant. Curatum cadauer cognatis tradunt defuncti, ita singulis eius partibus etiam superciliorum palpebrarumq; pilis integrè seruatis, vt omnis corporis species dormientis more integra perduret. Antequam sepeliatur corpus, prædicitur à cognatis tum iudicibus, tum defuncti amicis sepulturæ dies, asserentes illum mortuum paludem transiturum. Astantibus iudicibus ampliùs quadraginta numero, sedentibusq; in præparato vltra stagnum Hemicyclio, trahitur nauis ad id composita ab his, quibus ea cura iniuncta est: tum antequam corpus in arcam condatur, permittitur lege volenti accusare mortuum. Si quis probatur malè vixisse, Iudices sententiam ferunt, qua censent corpus eius sepulcro priuandum. Qui deprehenditur iniustè crimen obiecisse, magna multatur pœna. Quum deest accusator aut per calumniam accusatum constat, cognati, finito luctu, ad laudes mortui vertuntur nil de genere eius, sicut Græci consueuerunt, narrantes: (existimant enim se omnes Aegyptij pariter nobiles esse:) sed ordientes à pueritia, in qua vitæ institutionem, eruditionemq; recensent, ad viri ætatem descendunt, eius erga deos religionem, iustitiam, continentiam, virtutesq; cæteras commemorantes:

Defunctorum vita apud Aegyptios iudicio discutitur.

inuoc

inuocatis verò inferis diis, precantur, vt eum inter pios locent: ad quæ verba omnis multitudo correspondet, gloriam mortui extollens, tanquam apud inferos cum beatis semper futuri. Sepeliunt postea quique suos, hi in propriis sepulchris, hi, quibus ea desunt, domi apud firmiorem parietem arca corporis erecta. Qui verò crimine aliquo aut fœnore sepultura prohibentur, domi absque arca ponuntur. Quos posteri ditiores facti, ac debita crimina soluentes, honorificè sepeliunt. Mos est apud eos defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori. Summa illos, qui non redimunt, sequitur infamia, & sepultura carent. Mirabitur quis meritò eos, qui hæc instituerunt, non solùm quæ ad viuentium mores spectarent prosequutos, sed etiam quæ ad mortuorum sepulcra cultumq; pertinerent. Adeò hoc pacto ad bonos mores quantum fieri posset componi vitam hominum existimabant. Græci sanè, qui fictis fabulis, ac poëtarum dictis fidem excedentibus de piorum meritis malorumq; pœna tradiderunt, nequaquam potuerunt suis scriptis traducere homines ad virtutem: quin è contra potius derisi contemptique sunt ab improbis. Apud Aegyptios verò non fabulis, sed visu, impijs pœna, iustis laus impartita, singulis diebus vtrosque eorum quæ vitæ vtilia existant admouent, quũ videant cuiq; pro his, quæ egit, debiti præmij memoriam impendi. Qua ex causa ad meliorem singuli

Defunctorũ parentũ corpora creditoribus oppignerãtur.

vertuntur viuendi normam. Eas enim optimas esse leges putandum est, quibus non diuites, sed honesti prudentésque homines fiant. Et hæc de Ægyptiis: nunc de reliquis Africæ populis.

De Pœnis & cæteris Africæ populis.

CAP. VI.

Poenorum multæ sunt & variæ nationes. Adrimachidæ Aegyptum versus siti, eisdem, quibus Aegyptij, moribus vtuntur. Vestem gestant qualem & alij Pœni: vxores eorum in vtroque crure armillam æream habent: capitis comam nutriunt: pedunculos suos, quos quisque capit, præmordet, atq; ita abijcit, quod isti tantùm ex omnibus Pœnis factitant, soliq; virgines nupturas regi exhibent: quæ illi placita fuerit eam deuirginat. Nasamones grandis & dira natio, nauium Syrtibus inuolutarum spoliatores, sub æstatem relictis ad mare pecoribus descendunt ad locum Aegilem decerpturi palmulas, quæ ibi permultæ & speciosæ sunt, & fructiferæ omnes. Ex quibus vbi palmulas immaturas decerpserunt, ad solem siccantes maturefaciunt: deinde lacte maceratas sorbillant. Vxores plures singuli è consuetudine habent, & cum his in propatulo coeunt, eodem penè, quo & Massagetæ, modo: nisi quòd hi prius scipionem prætendant. Mos etiam Nasamonibus est, quum quis primùm ducit vxorem, vt sponsa singulos conuiuas adeat Veneris gratia: & vt quisque cum ea concubuit,

Nupturæ regi deuirginandæ exhibentur.

Nasamones nauium expoliatores.

Sponsa apud Nasamones à singulis conuiuis cognoscitur.

cubuit, donum det illi, quod secum habet domo allatum. Iureiurando ac diuinatione tali vtuntur per eos viros, qui iustissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur: iurant illorum sepulchra tangentes, diuinant ad suorum accedentes monumenta: & illi vbi preces peregerint indormiunt: vbi quodque per quietem insomnium viderunt, eo vtuntur. Fidei dandæ consuetudo hæc est: de manu alterius vterque sumpto inuicem poculo bibit: quod si nihil humoris habuerint, sumptum è terra cinerem lingunt Garamantes omnium hominum commercia aspectumq; refugiunt: nihil bellicæ armaturæ habentes, nec defendere quidem sese audentes, supra Nasamones incolunt. Circa maritima verò occasum versus his Macæ confines sunt, qui summum capitis verticem radunt, in medio capillos crescere sinentes, hinc atque hinc in orbem tondentes. In bellum subterraneorum struthionum pelles pro armamento ferunt. Gnidanes Macis contermini: quorum mulieres fimbrias pelliceas ferunt, singulæ multas: ob hoc (vt memoratur) quòd vt à quoque viro Venerem passa est, fimbriam orat: & vt quæque plurimas habet, ita præclarissima censetur, tanquam à pluribus viris adamata. Machlyes circa paludem Tritonidem habitantes occiput crinitum gestant: Auses verò anteriorem capitis partem. Horum virgines anniuersario Mineruæ festo in honorem ipsius Deæ indignè in-

Fidei dandæ consuetudo

Garamātes hominum commercia fugiunt.

Fimbriæ [illegible] neris pretium.

terse bifariam diuisæ præliantur lapidibus fustibusq́; , dicentes se morem patrium seruare ei, quam Mineruam dicimus : & quæ virgines ex vulneribus decedunt, eas falsas virgines appellant: sed priusquam à pugnando desistunt, hoc faciunt : quæ virgo in pugnam optimam operam nauauit, eam semper communi censu cæteræ virgines exornant : tum cætera armatura Græca, tum crista Corinthia, & currui impositam circa paludem circumferunt. Iidem promiscuè cum mulieribus non vnà habitantes sed pecudum more concumbunt : vbi apud mulierem puer robustus est factus, apud quem virum habitare sustinet (nam tertio quoque mense, viri veniunt) eius filius censetur. Atlantes à monte Atlante, iuxta quem habitant, appellati, ἀνώνυμοι sunt, id est, nomen proprium singuli non habent : Solem transcendentem exsecrantur eíque propterea omnia conuicia ingerunt, quòd torridus & ipsos & regionem perdat : nullo animante vescuntur, nec somnia vlla cernunt. Pastoritij Afri carne & lacte victitant, nihil vaccinum gustantes, quia nec Aegyptij suem gustant, nec vaccam alunt, nec Cyrenæ fœminæ ferire eas sibi fas putant, ob Isidem, quæ Aegypto est, cui & ieiunia, & dies festos agunt studiosè. At mulieres Barcæ non modo gustu vaccinæ carnis, sed etiam suillæ abstinent. Filij ipsorum vbi quadrimi effecti sunt, venas verticis, quidam etiam temporum illorum

Virginum decertatio in Mineruæ festo.

lana succida inurunt, ob eam causam, ne vllo vnquam tempore pituita officiat è capite defluens: eaq; de re se aiunt esse optima valetudine. Eo modo sacrificant: vbi pro primitiis pecudis aurem præciderunt, eam supra domum abijciunt: hoc acto, ceruicem eius auertunt. Solis omnium deorum immolant Soli & Lunæ. Defunctos, vt Græci, sepeliunt omnes Afri, præter Nasamones, qui illos sedentes sepeliunt, obseruantes, vt dum quis cœpit agere animam, eum sedentem constituant, ne supinus expiret. Domicilia eorum sunt virgultis compacta suspensis circa lentiscos: & ea quoquo versus versatilia. Maxes dexteram capitis partem comatam gestant, sinistram radunt, corpus minio tingunt, asserentes se à Troianis esse oriundos. Zabicum Maxibus confinium fœminæ aurigantur currus in bellum. Zigantes (vbi magnam vim mellis apes conficiunt, sed multo plus opifices viri facere dicuntur) omnes minio inficiuntur, ac simijs vescuntur, quarum affatim gignitur ijs, qui in montibus degunt. Hi omnes Libyci vita syluestri sub dio, vt plurimum, habitant, victu (ferarum more) contenti, nil domesticum edunt: nullis vestibus, præter caprarum pellibus, tegunt corpora. Potentiores inter eos, nullas habent ciuitates, sed turres aquis proximas, condentes in eis quæ vsui supersunt. Subditos populos singulis annis adiurant, vt principi pareant obtemperantes, vt

Sacrificandi ritus.

Sepeliendi ritus.

Lybicarum gentium vita.

 socios

ter se bifariam diuisæ praliantur lapidibus fustibusq́; , dicentes se morem patrium seruare ei, quam Mineruam dicimus : & quæ virgines ex vulneribus decedunt , eas falsas virgines appellant:sed priusquam à pugnando desistunt , hoc faciunt : quæ virgo in pugnam optimam operam nauauit,eam semper communi censu cateræ virgines exornant : tum catera armatura Græca, tum crista Corinthia , & currui impositam circa paludem circumferunt. Iidem promiscuè cum mulieribus non vna habitantes sed pecudum more concumbunt : vbi apud mulierem puer robustus est factus , apud quem virum habitare sustinet (nam tertio quoque mense, viri veniunt) eius filius censetur. Atlantes à monte Atlante , iuxta quem habitant , appellati, ἀνώνυμοι sunt, id est , nomen proprium singuli non habent : Solem transcendentem exsecrantur eique propterea omnia conuicia ingerunt , quòd torridus & ipsos & regionem perdat : nullo animante vescuntur , nec somnia vlla cernunt. Pastoritij Afri carne & lacte victitant , nihil vaccinum gustantes , quia nec Aegyptij suem gustant, nec vaccam alunt,nec Cyrenæ fœminæ ferire eas sibi fas putant , ob Isidem , quæ Aegypto est , cui & ieiunia , & dies festos agunt studiosè. At mulieres Barcæ non modo gustu vaccinæ carnis , sed etiam suilla abstinent. Filij ipsorum vbi quadrimi effecti sunt, venas verticis , quidam etiam temporum illorum

Virginum decertatio in Mineruæ festo.

lana

lana succida inurunt, ob eam causam, ne vllo vnquam tempore pituita officiat è capite defluens: eaq; de re se aiunt esse optima valetudine. Eo modo sacrificant: vbi pro primitiis pecudis aurem præciderunt, eam supra domum abijciunt: hoc acto, ceruicem eius auertunt. Solis omnium deorum immolant Soli & Lunæ. Defunctos, vt Græci, sepeliunt omnes Afri, præter Nasamones, qui illos sedentes sepeliunt, obseruantes, vt dum quis cæpit agere animam, eum sedentem constituant, ne supinus expiret. Domicilia eorum sunt virgultis compacta suspensis circa lentiscos: & ea quoque versus versatilia. Maxes dexteram capitis partem comatam gestant, sinistram radunt, corpus minio tingunt, asserentes se à Troianis esse oriundos. Zabicum Maxibus confinium fœminæ aurigantur currus in bellum. Zigantes (vbi magnam vim mellis apes conficiunt, sed multo plus opifices viri facere dicuntur) omnes minio inficiuntur, ac simijs vescuntur, quarum affatim gignitur ijs, qui in montibus degunt. Hi omnes Libyci vita sylvestri sub dio, vt plurimum, habitant, victu (ferarum more) contenti, nil domesticum edunt: nullis vestibus, præter caprarum pellibus, tegunt corpora. Potentiores inter eos, nullas habent ciuitates, sed turres aquis proximas, condentes in eis quæ vsui supersunt. Subditos populos singulis annis adiurant, vt principi pareant obtemperantes, vt

Sacrificandi ritus.

Sepeliendi ritus.

Lybicarum gentium vita.

socios diligant: abnuentes imperium, vt latrones persequantur. Eorum arma sunt & regioni & moribus congrua. Nam quum sint corporibus leues, patria verò vt plurimum plana, neque ense neque gladiis, neque armis vtuntur in bello. Tres tantùm ferunt hastas, lapidesq; in vasis ex corio factis delectos. cum his certantes, tum in congressu, tum etiam recessu: primò ferire hostem conantur ad cursum lapides rectè iaciendos longo vsu edocti. Erga externos nullum ius nullámque seruant fidem. Troglodytæ (qui & à Græcis, quòd ex pecoribus viuant, pastores appellantur) Aethiopiæ populi cœtus ac tyrannos inter se constituunt. Vxores ac filios habent communes, excepto (qui vnicam tenet) tyranno. Huic appropinquanti multam tyrannus irrogat certo pecudum numero. Etesiarum tempore, quo maximi decidunt imbres, sanguine & lacte immixtis, paulúmque coctis nutriuntur. Aestu Solis deficientibus pascuis ad loca declinant palustria, pro quibus solis inuicem certant. Pecora vetusta aut in morbos cadentia occidunt, exq; his per omne viuunt tempus. Parentum nomina minimè indiderunt filiis, sed tauri, arietis, ouis. Et hos quidem patres, hos matres, quoniam ab his, non à parentibus quotidianus præbeatur cibus, appellant. Vtuntur potu idiotæ Paliuri arboris succo: potentiores, ex quodam flore expresso, qui est deterrimo nostro musto persimil

Belligerandi ritus.

Troglodytæ, qui etiã pastores dicuntur.

Etesiarum, id est, ventorum qui xl. dies post caniculæ exortum perflant.

persimilis. Armentorum greges secum ducentes; varias, ne iisdem in locis morentur diutius, regiones mutant. Corpora, præter virilia, quæ pellibus teguntur, nudi. Pudenda Troglodytæ omnes velut Aegyptij circumcidunt, his demptis, quos à casu claudos appellant. Hi soli intra regionem externorum habitantes ab infantia non nouacula inciduntur. Arma ferunt Troglodytæ ij, quos dicunt Megauares, scutum ex corio crudo bouis rotundum, & ferratam clauam: alij arcus lanceásque. Sepulcra nihili penitus curant: nam paliuri viminibus corpus ligantes defuncti ceruicem cruribus applicant, deinde cadauer in loco editiori positum lapidibus ridentes obruunt, impositóque supra saxorum aceruum capræ cornu abeunt nullo dolore moti. Bellantur inuicem non vt Græci, ob iram, aut ambitionem, sed pabuli gratia. In eorum concertationibus primùm iactu lapidibus, quoad aliqui vulnerantur, concertant: tum arcu, quo admodum exercitati sunt, pugnantes mutuis vulneribus cadunt. Ea certamina dirimunt, quæ ætate præcedunt fœminæ: quibus nullo periculo in medium prodeuntibus (nefas est enim has vllo pacto lædere) extemplo à certamine cessant. Inualidi ob senium armenta sequi, gutture bouis cauda adstricto vitam finiunt. Qui mortem differt, licet nolentem eodem modo (admonitum tamen anteà) vita priuant: iáq; habetur

Certamina fœminæ dirimunt.

 benefi-

beneficij loco. Febricitantes item, aut morbo incurabili correptos, simili adficiunt morte. Maximum arbitrantur malorum, ab eo vitam diligi, qui nequeat aliquid agere dignum vita. Herodotus scribit, Troglodytas specus in quibus habitent excauare, nullo habendi diuitias desiderio teneri, quum paupertati se voluntarie abdicarint: tantùm lapide vno gloriari, quem Hexacontalithon nominamus: Serpentum carnibus vesci. Sermonis adhàc ignaros esse, & propter hoc stridere magis, quàm loqui: Alia in Aethiopia, quæ super Ægyptum est, habitat gens: Rhisophagi vocantur, radices arundinum, quas ex propinquis locis effodiunt, magna cura lauantes barbari lapidibus terunt, quoad molles factæ cohæreant: deinde placentas ad modum lateris, quantum manus capit, factas, atque ad solem decoctas mandunt. Quem solum cibum ipsi per omnem vitam suauem atque affatim habent, eò quòd pacem continuam seruent. Bellantur tamen cum leonibus, qui è deserto vmbræ causa, & vt minores venentur feras, egreßi, Aethiopum multos ex paludibus exeuntes dilaniant. Et iamdudum ea deleta esset à leonibus natio, nisi natura eis sponte præsidium tulisset. Nam sub ortum Canis mirabilis atq; innumera nullo agitante vento culicum multitudo ad ea loca aduolat. Homines ad paludes fugientes minimè lædunt: leones abire ex his regionibus compellunt, tum morsu, tum vocis sono

ῥιζοφάγοι radicibus victitantes.

Rhizophagi leonibus prædæ sunt.

sono territos. His propinqui sunt Ilophagi, Spermatophagiq; : quorum hi quidem fructus, qui æstate ex arboribus decidunt, colligentes absq; labore edunt: reliquo tempore herbam in vmbrosis nascentem locis decerpunt, quæ vitæ subuenit in egestate. Ilophagi verò cum filiis, vxoribusq; ad loca campestria accedentes arbores ascendunt, ac teneras ramorum summitates auferunt: tantam ex continuo vsu ramos ascendendi peritiam habentes, vt (quod incredibile videtur) de arbore in arborem velut aues prosiliant, ascendantq; tenues absq; periculo ramos, macilentia, leuitateq; corporis nixi; quòd si quando pedes labantur, manibus ramis comprehensis sese à casu peropportunè vindicant: quòd si fortè deciderint, nulla in re propter corporis leuitatem læduntur: ita ramis tenerioribus dente excisis ventrem farciunt. Hi semper incedunt nudo corpore, communesq; vxores ac liberos habent. Pugnant inuicem pro locis armati baculis aduersus alios, ac dominantur victis: moriuntur vt plurimum fame, quum deficiente visu corpus priuetur eo sensu, quo cibum quærebat. Reliquam circa regionem Aethiopes tenent, qui Cyneci dicuntur, numero haud multi, vita ab reliquis diuersa. Syluestrem enim incolentes patriam, & penitus asperam, rarisq; aquarum fontibus super arbores ferarum timore dormiunt. Sub auroram ad aquarum decursus armati prodeuntes se abscondunt inter arbor

Homines de arbore in arborem vt aues prosilientes.

Cyneci ferarum timore super arbores habitãt.

arbor

arborum frondes. Sub æstu verò Solis agrestes boues pardaléſque, ac varia ferarum genera, cùm caloris, tum ſitus impatientia ad aquas potus cauſa confluunt. Repletas grauéſque aqua beſtias Aethiopes, ex arboribus deſcendentes adoriuntur, ac lignis aduſtis, ſaxiſque & ſagittis occiſas, pérque cœtus diuiſas edunt. Aliquando verò, quamuis perrarò, & ipſi à valentiori beſtia interficiuntur: ſed multas ipſi dolo & arte valentiores beluas capiunt. Siquando deſint animalia, antea captorum pelles madefactas remotis pilis ad ignem lenem ponunt: diſpartitáſque ſingulis auidè ad ſatietatem ſumunt. Impuberes pueros exercent ad certum ſignum iacere, ſolis cibum præbentes his, qui ſignum tetigêre: ideo iaculatores optimi euadunt vrgente fame. Acridophagi deſerto contermini homines ſunt paulò cæteris breuiores, macilenti, ac ſupra modum nigri. Veris tempore Zephyrus ac Libycus venti infinitum penè locuſtarum ex deſerto ad eos deferunt numerum. Hæ permagnæ ſunt ſed colore alarum turpi ac ſqualido. Aethiopes, ad id aſſueti, in quandam latam longámque multis ſtadiis conuallem plurimum materiei ex propinquis locis ingerunt: quum ſuo tempore tamquam locuſtarum nubes à ventis ſupra vallem defertur, materiem congeſtam, omnemq; loci herbam anteà ſucciſam incendunt. Locuſtæ deſuper volantes ingenti fumo enectæ paulùm vltra vallem ad terram tanta

ἀκριδοφάγοι locuſtis victitantes.

decidunt

decidunt copia, vt victum omni genti abundè præbeant. Has enim sale (quem regio plurimum fert) superinfuso diutius seruant, cibum gustu eu suauem: hic est solus eorum per omne tempus locustarum victus. Neque enim pecora nutriunt, neque pisces edunt, procul à mari positi: neque vllum aliud vitæ adminiculum habent. Corpore leues sunt, veloces cursu, & vita breuis: vt qui longissimè viuunt, quadragesimum non excedunt annum. Finis eorum non solùm miserabilis est, sed & incredibilis. Nam propinquante senecta, pedi uli alati, non solùm visu varij, sed specie horridi ac turpes in corporibus nati ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus paruo tempore exedunt. Qui morbum patitur, primùm veluti scabiei cuiusdam pruritu affectus, corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis: deinde exorientibus pediculis, simul effluente sanie, morbi acerbitate ac dolore percitus, vnguibus corpus magno cum gemitu lacerat. Tanta verò vermium copia effluit, aliis super alios, tanquam ex perforato vase, scaturientibus, vt deleri nequeant: hoc pacto siue cibi, siue aeris causa miserum sortiuntur vitæ finem. Extremas ad meridiem Africæ partes viri habitant à Græcis Cynnamimi, à vicinis Barbaris syluestres appellati. Barbas habent admodum magnas, greges syluestrium canum nutrientes præsidia vitæ. Nam ab æstiuo tropico, vsq; ad medium hiemis, Indici

Phthiriaña crdophagi moriuntur.

Cynnamimi, siue syluestres, canum greges nutriunt.

boues

boues innumera multitudine eorum patriam ingrediuntur: causa incerta est, vtrúmne alias insectantes se feras fugiant, an pastus penuria, an alio naturæ (quæ omnia miranda gignit) impulsu hominibus ignoto acti. His homines, quum obsistere nequeant suis freti viribus, se canibus tuentur: quibus in venatione vsi boues permultos capiunt. Et hos quidem recentes edunt, hos saliunt ad futurum vsum. Multa insuper & alia animantia à canibus capta comedunt. Postremi, qui ad meridiem habitant, in hominis forma ferarum vitam ducunt Ichthyophagi sub Troglodyticam oram in Arabico sinu. Barbaræ gentes. Nudi per omnem vitam degunt: vxores filiasq; communes habent, bestiis similes: vt qui neque voluptatis, neq; doloris vllum, nisi naturalem, sensum percipiant, neque turpis neque honesti discrimen norint. Habitacula habent non longè à mari iuxta promontoria, vbi non solùm profundæ cauernæ, sed conualles immensæ & angustæ speluncæ existunt, egressu ipsa natura difficili ac tortuoso. Harum tanquam ad eorum vsum natura factarum aditus incolæ magnorum congerie lapidum obsepiunt, qua veluti retibus capiantur pisces. Maris enim fluxu (quod bis diebus singulis circa tertiam ac nonam horam accidit) oras litori propinquas inundante, aqua in immensum excrescens opertis locis omnibus innumeram copiam diuersorum piscium secum in continentem defert: qui quum in diuersa

ἰχθυοφάγοι ex piscibus viuunt.

loca

loca cibi gratia diuertant, refluente mari per lapides pisces in sicco destituuntur. Quos incolæ cum vxoribus pueroq; concurrentes capiunt: captos supra petras ad meridiem sitas, nimioq; Solis æstu incensas ponunt, pauloq; post reuoluunt: à quibus sic ad solem decoctis, carnem omnem excutiunt, & concauo saxo iniectam pinsunt, admixtoque paliuri semine, cibum sibi conficiunt suauißimum. Nam sic immixtas carnes in modum longioris lateris formant, ad solemq; paulò desiccatas, sedentes, cum voluptate edunt: non quidem ad certam mensuram, aut pondus, sed ad satietatem: habent hunc cibum semper velut è penu promptum. Neptuno pro Cerere eum largè subministrante. Quando verò maris tempestate adeò litori vicina loca multis diebus inundantur, vt nulla detur piscandi facultas, (quo tempore cibi penuria laborant) conchas legunt permagnas, quarum testa saxis attrita interiori carne cruda, sapore Ostreis persimili vescuntur. Vbi verò tempestas ventorum vi diutius perseuerat, conchæq; deficiunt, ad ossa siue spinas ex piscibus excussas, & in hunc vsum coaceruatas confugiunt: teneriores, recentioresq; ex his dentibus mandunt, duriores edunt saxo contritas, nil brutis animalibus dißimiles. Epulantur autem palàm cum lætitia, vt dixi, cantuq; absono omnibus inuicem congratulantibus: deinde mulieres, vt in quamque quis forte incidit, cognoscunt prolis

causa,

causa: omni cura ob ciborum, qui praesto sint, copiam, vacui, his studiis quatuor diebus intenti, quinto potus gratia ad fontes pergunt gregatim, omnibus simul vocem (velut inconditum sonum) tollentibus. Est profectio haec haud dissimilis ab armentis boum. Repleto aqua ventre, adeò vt vix redire queant, ea die nihil edunt amplius: iacet quisque aqua plenus, distentusque similis ebrio. Postera die denuo ad capiendos pisces redeunt: ita eorum vita per omne tempus transacta ob simplicem victum rarò in morbos incidunt: breuioris tamen quàm nos sunt vitae. Natura eorum incorrupta tamen sedare maximum ducit bonum, nullam aduentitiam voluptatem quaerens. Haec eorum, qui intra sinum habitant, viuendi norma est. At illorum qui extra sinum sunt, multo est mirabilior: vt qui nunquam bibant, & natura ab omni semoti sint animi passione. Hi procul à terra habitabili, tanquam in loca deserta à fortuna eiecti, piscationi dant operam: humida non appetunt, pisces edunt semicrudos, non quo sitim effugiant, sed feritate quadam contenti victu quem à fortuna sortiti sunt. Felicitatem summam putant his carere rebus, quae dolorem possent egentibus afferre. Tantae patientiae esse dicuntur, vt si quis educto ense eos percusserit, non diffugiant, & verbera & iniurias perferentes, solum percutientem respiciunt, nullum neq; irae, neque misericordiae signum ostendentes. Sermone carent, nutu,

Homines ab omni animi passione semoti.

Mirae patientiae homines.

nutu, manibúsque significant, quibus indigeant & quæ volunt. Hæ gentes vnanimi consensu pacem curant, nulli externo homini infestæ. Quod vitæ genus licet mirabile, à priscis olim temporibus ea gens seruauit, siue ita longo tempore assueta, siue acta necessitate. Habitaculis non iisdem, quibus Ichthyophagi, vtuntur, sed diuersis habitant modis: quidam in speluncis diuersoria habent, ad Arctum positis, in quibus tum vmbra, tum spirans aura eos ab æstu solis tutatur. Nam quæ ad meridiem loca spectant, fornacibus ex nimio æstu similia, accessum ad ea adimunt. Qui sunt aduersus Arctum, ex costis cetorum incuruis, quas mare plurimas effert, ex vtroq; positis latere colligatísque quas maris alga operiunt, habitacula sibi exstruunt ad euitandos æstus: Natura sibi artem ex necessitate ad se tuendam reperiente. Et talis fertur esse Ichthyophagorum vita. Superest pauca de Amazonibus dicere, quas priscis temporibus in Libya ferunt exstitisse, mulieres pugnaces & validas viribus, non eandem, quam nostræ, vitam duxisse. Nam mos fuit illis certo tempore bellicis ad seruandam virginitatem rebus exercitari. Transactis militiæ annis viris coniungi prolis gratia. Has solas & principari, & publica obire munera: viros nostrarum fœminarum instar domesticæ rei curam habere, tum obtemperantes fœminis, tum militiæ, principatúsque, ac omnis rei publicæ expertes: post

Amazones bellicosæ mulieres.

e partum

partum nati infantes viris dantur, quos lacte nutriant, aliisq; rebus prout ætas poscit. Masculus mox natis, vt bellicæ rei inutiles sint, dexterum brachium frangunt; aut eos interficiunt, vel procul ablegant: Fœmellis mamillas, ne crescant, inurunt, asserentes impedimento eas ad bellandum esse. Vnde à Græcis, eò quòd mammis careant, Amazones appellantur. Hesperam insulam inhabitasse illas asserunt: dictam ita, quòd ad occasum sita sit. Eam verò esse in Tritonide palude, quæ proxima oceano, à flumine, quòd in eam defluit, Tritonia appellatur, Aethiopiæ conterminа & monti, qui Atlas dicitur, omnium in ea terra maximo. Hæc insula permagna est, variisq; arborum fructibus, ex quibus incolæ viuunt, ferax, multos tum caprarum, tum pecudum greges habet, quorum lacte & carnibus vescuntur: frumento penitus carent, illius vsu incolis ignoto.

DE ASIA, ET CELEBRIORIBVS EIVS GENTIBVS LIB. II.

*

CAP. I.

ASIA altera tripartitæ terræ pars, appellata ab Asia oceani & Tethyos filia, Iapeti vxore ac Promethei matre: siue, vt alij volunt, ab Asio Manei Ly[illegible] . a meridie per orientem vsq; ad septemtrionem protenditur: terminos habet ab occidēte Nilum & Tanaim cum Euxino Ponto & parte mediterranei maris: tribus alijs partibus tangitur oceano, qui ab Oriente Eous, à meridie Indicus, à Septemtrione Scythicus appellatur. Taurus mons mediam quodammodo continentem diuidit, ab oriente in occidentem excurrens, partem ad aquilonem relinquit, partem ad meridiem: alteram Græci interiorem vocant, alteram exteriorem. Mons hic multis in locis latitudinem habet stadiorum trium millium: longitudinem quātam Asia, stadiorum circiter quadraginta & quinque millia à transmarina Rhodi ora vsque ad Indiæ ac Scythiæ extrema orientem versus. Idem in nomina, ac partes multas diuiditur.

Asiæ denominatio.

Asiæ quatuor latera.

Tauri montis dimēsio.

quarum aliæ maiores, aliæ minores ambitus comprehendunt. Tam latum autem & patens dicunt esse, quicquid terræ Asiæ nomine continetur, vt Africa & Europa reliquæ duæ partes non magis complectantur, quàm hæc sola. Cælo temperato est, solo fertili, & propterea omnium animantium genere cultissima. Prouincias siue regiones multas habet: vbi Africam aspicit, Arabia est: regio inter Iudæam & Aegyptum triplex, vt Plinius refert, vna Petrea, à Septentrione & occasu Syriæ inserta, cui à fronte Deserta prætenditur Arabia, à meridie altera, quæ Felix nominatur. Quidam etiam Panchaiam & Sabæam adiungunt. Arabia dicta ab Arabo Apollinis ex Babylone filio. Arabes longè lateq; diffusi diuersis moribus viuunt, & cultibus plurimis, crinibus intonsis, mitrata capita habent redimitu pari, pars rasa in cutem barba. Artes haud ab vno in alium transferuntur, sicut apud nos, sed in patriis quisque permanet institutis. Qui maximus est natu, is in totam gentem regnum obtinet. Quæ possidentur, vniuersæ sunt cognationi communia, vna omnibus vxor. Qui primus domum subierit, posito ante ianuam scipione, cum ea congreditur, cum grandiori natu pernoctat: ita omnes omnium sunt fratres: coëunt cum matribus & sororibus pecudum ritu. Adulter capite plectitur: alterius sanguinis congressus pro adulterio est: domesticis in vniuersum

Arabia triplex, petrea, deserta, felix.

Cum matribus & sororibus coëunt Arabes.

leg

legitimi habentur. Conuiuia fere terdeni celebrant, & in his Musicæ artis duo non imperiti consanguinei sibi inuicem ministrant. Vrbes & oppida sine mœnibus pacatè inter se agunt. Sesamino oleo vtuntur, beatißima alioqui rerum vbertate. Ouium greges candidi velleris: grandiori statura boues: equis omnino carent: quorum desiderium adimit camelorum copia: Aurum, argentum, & plura aromatum genera terræ peculiaria. Aes, ferrum, vestis, purpura, crocus, costus, toreumata aliunde aduehuntur. Defunctorum corpora stercore abiectiora. Regum cadauer sterquiliniis sepeliunt. Fidem inter homines, vt qui maximè, seruant, quam hunc in modum dant: Quoties fœdus inire volunt, alius quidem medius inter vtrumque stans, acuto lapide ferit volam iuxta maiores digitos ipsorum, qui fœdus ineunt: deinde sumpto flocco ex vtriusque vestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter iuungendum inuocans Dionysium & Vraniam: hoc acto, idem, qui fuit sequester fœderis inter amicos contrahendi, vadatur hospitem, aut forte ciuem, si cum ciue res agitur. Quod fœdus, & ipsi, qui amicitiam contraxerunt, seruare iustum censent. Myrrhæ sarmentis ignes fouent, quorum fumo, satis noxio, nisi odore cremati storacis occurrant, plerumque incurabiles morbos contrahunt. Cinnamum per sacerdotes legitur, hostiis prius cæsis: quas quum

Equi nulli in Arabia.

Fides Arabum.

Vrania & Dionysius in fœdere inuocatur.

litauerint, obseruatur, vt messis nec ortum solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, sarmentorum strues hasta diuidit, quæ sacrata est in hunc vsum: atque ita portio manipulorum etiam Soli dicatur: quæ si iuste diuisa est, radiis inflagrata incendium sponte concipit. Pars eorum, quibus asper victus est, angues edunt: ac propterea Ophiophagi nominantur. Nulla illis animi vel corporis cura. Nomadibus vsus camelorum frequens: his pugnant, procul que onera exportant, lacte & carnibus vescentes. Fluuius, quem accolunt, auri ramenta habet: id non constant artium inscitia. Debæ & ipsi pastores, colunt iidem & agros aliqua ex parte: gens auriabundans, inter glebas temerè iacentes aureas pilas in glandium magnitudine reperiunt: quibus lapillis affabre interiectis monilia conficiunt haud iniucunda aspectui: ea collo & manibus inducunt. Vendunt aurum finitimis triplo æris pretio, argenti duplo: cum auri contemptu, tum desiderio quæ commercio parantur. Proximi his Sabæi, thure, myrrha & cinnamomo diuites & in oris huius terræ Balsamum nasci quidam prodiderunt. Habent & palmas odoriferas, & calamum. Serpens ibi palmari longitudine, lethalis ferè eius morsus: in arborum radicibus cubat. Odor nimius, rerumq; fragrantia stuporem sensibus inducit, quem bituminis suffitu & hirci barba leuant.

ὀφιοφάγοι serpentum comestores.

Debæ diuites auri.

Sabæi thure ac myrrha opulenti.

leuant. Penes regem omnis iudicandi ratio. Sabæorum plerique sunt agricolæ: aromata alij legunt. In Aethiopiam ob negotia nauigant nauigiis corio contectis. Cinnamomum & Casiam ligneæ materia loco igni adhibent. Huius gentis metropolis est quam Sabam appellant, supra montem sita. Reges ex generis successione habent eos, quibus multitudo honores distribuit bonis malísque immixtos. Regiam nunquam exire audent, ne à turba hominum lapidibus veteri quodam Deorum responso obruãtur, timentes. Sabæ vbi regia est, toreumata argentea, aureáque omnis generis poculorum habent. Lectos insuper tripodásque argenteis pedibus, cæterámque supellectilem vltra fidem sumptuosam. Magnis quoque columnis porticus fulciuntur, quarum capita, tum argentea, tum aurea exsistunt: laquearia verò, ac portæ aureis plnalis, pretiosis lapidibus intermixtis, totius domus sumptuosissimum ornatum ostendunt. Alia enim auro, alia argento, quædam lapidibus splendent. Nonnulla, tum elephantorum dentibus sunt exculta, tum multis prætereà rebus aliis, quæ plurimi apud homines æstimantur. Et eam sanè multis seculis perpetuam habuere felicitatem. Abfuit enim ab eis penitus, quæ multos in præceps dedit, ambitio per auaritiam aliena possidendi. Nec Garræi his minus opulenti, quorum ferè supellex omnis ex auro est & argento:

Reges Sabæorum regiam exire non audét.

Supellex Sabæorum omnis ex auro & argento.

Garræi auro & argento abundantes

ex his & ebore domorum lamina, tecta parietes construunt. Nabathaei omnium continentissimi in quaerendis opibus mira gentis industria, sed in tuendis multò maior. Qui rem domesticam minuit, publicè multatur: contrà honore afficitur, qui patrimonium auxit. Gladio, arcu, lancea & funda in bello, plurimùm etiam bipennibus Arabes vtuntur. Dira Sarracenorum gens, pestis illa hominum teterrima, inde sumpsit originem, abijtq; (vt credere est) pars Arabum maxima in Sarracenicum nomen: caeterum veterem appellationem nunc quoque tenent, qui circa Aegyptum habitant raptu plurimum viuentes, camelorum celeritate freti.

Nabathaei parcissimi.

Sarracenorum gens in Arabia sumpsit exordium.

De Panchaia & moribus Panchaiorum.

CAPVT II.

PAnchaia Arabiae regio. Diodorus Siculus insulam esse dicit, ducentorum stadiorum latitudine: tres in ea nobiles vrbes enumerat, Dalidam, Hyracidam, & Oceanidam. Regio omnis, quàm vbi arenosa, fructifera est. Vini maximè abundans & thuris, quod in ea adeò excrescit, vt per vniuersum orbem satisfaciat Deorum sacris. Fert etiam myrrham plurimam, & alia varij generis aromata odorem praebentia, quae Panchaij legunt, & Arabis mercatoribus vendunt: à quibus alij pretio sumptas, in Phoeniciam, Syriam, & Aegyptum transuehunt, inde à reliquis orbis mortalibus

Thuris in Panchaia copia.

talibus importatur. Curribus in bello Panchaij vtuntur more prisco. Politia eorum trifariam partita est. Primum locum sacerdotes tenent, quibus adduntur artifices: secundum agricolæ habent: tertium milites, quibus pastores adijciuntur: Sacerdotes omnium sunt duces, quibus & controuersiarum iudicia & publicarum rerum arbitria permissa, mortis pœna tantummodo excepta. Rustici agros colunt, fructus omneis in commune conferentes. Qui ex eis optimè videntur agro colendo vacare, hi vsque ad numerum decem ad cæterorum exhortationem distribuendorum fructuum iudices à sacerdotibus leguntur. Pastores tum ea, quæ ad sacra pertinent, tum reliqua in publicum, alia numero, pondere alia, cum omni ferunt diligentia. Nil cuiquam priuatum est, domo atque horto exceptis: sed cum vectigalia, tum cætera sacerdotes percipiunt, æquè illa, prout vsus fuerit, dispartientes: ipsis duplum conceditur. Vestibus induuntur mollibus. Oues enim apud eos plurimum ab aliis differunt mollitie. Ornamenta aurea non tantùm mulieres, sed etiam viri deferunt, torquibus collum ornantes, armillis manus, aures more Persarum inauribus, pedes nouis ac varij coloris calceis. Milites patriam armis tutantur. Sacerdotes vltra reliquos deliciis vacant, vitam ducentes mundam ac sumptuosam. Stolas lineas maximè tenues ac delicatas: quandoque etiam vestes ex molliori lana

Nihil Panchais priuati.

Sacerdotes Panchaiorũ deliciis deditι.

contextas induunt. Mitras insuper gestant auro intextas. Sandaliis pro calceamentis varij coloris vtuntur, summa arte factis. Ferunt & aurea (mulierum more, præter inaures) ornamenta. Hi maxime Deorum incumbunt curæ, hymnis & laudibus eorum gesta recensentes. Genus eorum a Ioue manasse narrant, quum in Panchaiam venisset: quo tempore inter homines versatus orbi imperauit. Referta est ea patria auro, argento, ære, stanno, ferro: quorum nil extra insulam asportari licet: neq; verò sacerdotibus extra locum sacrum proficisci fas est: vltrà deprehensum interfici licet. Dona plurima aurea atque argentea Diis à longo tempore oblata in templo seruantur. Valuæ eius structura mirabili, auro, argento, ebore, sunt decoræ: Dei lectus sex est cubitorum longitudine, quatuor latitudine, aureus totus, opificio splendido, ac venusto. Simili modo & Dei mensa cum magnitudine, tum pari impensa splendoréque iuxta lectum posita. Templum ingens ex albo ædificatum lapide, magnis sculptísque suffultum columnis, duorum iugerum longitudinem, cui æqua est latitudo complectitur. Permagnæ Deorum statuæ summa arte fabricatæ templum exornant: circum sacerdotes, quibus sacrorum cura demandata est, domos habent. Ager, qui circumiacet, stadijs ducentis Diis sacer est, cuius vectigal in sacrificiis consumitur.

Iupiter in Panchaiam exsulatus.

Sacerdotibus sacrum locum exire non licet.

Templum vltra fidem ingens.

Ager circa templū diis sacer.

De

De Assyria, Assyriorumq; viuendi moribus.

CAP. III.

ASsyria regio Asiæ ab Assur filio Sem, vt Augustinus ait, appellata: hodie Syria dicitur, habens ab ortu Indiam & Mediæ partem, ab occasu Tygrim fluuium, à meridie Susianam, à Septentrione Caucasum montem. Rarò in Assyria pluit: quicquid in ea frumenti prouenit, fluminis irrigatione paratur, non sua sponte, vt in Aegypto, sed accolarum ingenio & labore: tanta alioquin vbertas, vt ducentena vulgò, & vbi eximiè ferax est, trecentena messe redundet tellus: quaternûm digitorum latitudine tritici & hordei folia sint: sesami & milij proceritas instar arborum attollatur. Quæ omnia sibi explorata, cunctantiùs tamen Herodotus memoranda censuit, velut parum credibilia, si ijs, qui ea non viderint, talia proderentur. Palmis vescuntur, ex quibus mel & vinum conficiunt. Fluuialibus nauigijs vtuntur, in speciem clypei orbiculatis, non puppi, non prora discretis, quæ super Assyrios in Armenia saltibus texuntur, crudo corio exteriore parte obducto. Amiciuntur Assyrij duabus tunicis, linea vna ad pedes demissa, altera linea breui, candidaq; stola his superiniecta: calceos pedibus inducunt, quales Thebanæ soleæ fuerunt: alunt comas; mitráque rediminut: vnguentis delibuti in publicum exeunt. Annulum signatorum singuli habent: & sceptrum affabre

Assyriæ fines.

Mel & vinum ex palmis.

Nauigia Assyriorum.

Vestitus Assyriorum.

Annuli vsus.

affabre factum, cui malum, aut rosa, aut lilium, aut aliud simile sit impositum, sine insigni aliquo, id gestare indecorum ac turpe credunt. Ex legibus, quibus ea gens vsa dicitur, ea mihi res memorabilis visa est, quòd virgines iam maturæ viro in publicum productæ, singulis annis, ijs venales proponebantur, qui vxores ducere vellent, dabanturque primò verum formosissimæ quæque. Quibus minus spectata erat forma, & quas non modò non quisquam sibi mercaturus fuisset, sed ne gratis quidem alioqui ducturus, ea pecunia, quæ fuerat pulchrioribus venditis in publicum redacta, connubio locabantur. Herodotus auctor est, hunc olim morem in Venetis Illyrico finitimis seruatum, idque fama se compertum habuisse. Ego (inquit Antonius Sabellicus) teneueritne mos ille gentis aliquando, haud multo plus compertum habeo: tantùm affirmare possum: Venetis, cuius vrbis opes hodie terra marique insigniter pollent, inter præclara ciuitatis instituta, virgines furto conceptas, & ad limen Pietatis expositas, ex publico ad nubiles vsque annos in operto sub tetrica disciplina institui: quæ sunt elegantiori forma, quoniam sunt ingenuè institutæ, aut sine dote matrimonio locari, ijs præsertim, qui periculo aliquo, aut graui morbo seruati, votorum damnati, eas sibi in vxores deposcunt. Alij pudicitiam sequuti, aut formam, sine dote ipsas sibi virgines iung

Absque sceptro in publicum nemo prodit.

Virgines nubiles venum expositæ.

Mos à Venetis obseruatus.

iungunt, modò ij sint qui liberaliter, quas duxerint habituri existimentur: aut si nihil horum sit, minus graui dote nubunt quæ forma præstant, quàm si facie fuerint parum liberali, etsi pari disciplina institutæ. Altera Babyloniorum lex, quo vtilior, eo magis memorabilis: quum nullus ab initio in his esset medicorum vsus, lege ferunt comparatum, vt qui ægrotare cœpisset, eos de morbo consuleret, qui idem languoris genus passi essent: medicámque ad id leuandum opem aliquam experti. Apud alios scriptum reperio, in publicum ægrotos deferri solitos: legéque cautum, vt qui aliquando ægrotassent male affectos circuirent, docerentq; singulos, quà ipsi ope potissimùm adiuti aliquando à morbo liberati essent. Eorum sepulcra in melle: funeribus luctus, qui & Aegyptiis. Qui cum vxore noctu congressus est, nihil prius vterque tangit, quàm lotus fuerit. Omnibus Babyloniorum mulieribus olim mos fuit, semel in vita cum externis viris permiscere. Cum turba & cultu plurimo ad templum Veneris venientibus, quælibet nodu vel corollis tempora reuincta habebat: hospes quam cognoscere volebat, ponebat super illius genua argentum quantum sibi videbatur, tum coibat cum ea longè à fano abducta: argentum illud Veneri sacrum erat. Fuere in his familiæ quædam, nulla re alia nisi piscibus victitantes: quos ad solem arefactos, pistilliúq; tusos, ex

Babyloniorum lex vtilissima erca infirmos

Mulieres cum hospite permiscebantur.

eaq;

nisi aliquis eam annorum rationem menstruam interpretetur, qualis apud Aegyptios fuit.

De Iudæa & Iudæorum viuendi ritibus, legibus ac institutis. CAP. IIII.

Palæstinæ fines.

PAlæstina, quæ eadem est quæ Iudæa, particularis Syriæ prouincia, inter Cælosyriam iacens & Arabiam Petream, ad occasum Aegyptiaco alluitur pelago: perfunditur & Iordane fluuio ad orientem solem. hanc terram bibliaci libri, & Iosephus sequutus, Chananæam appellant, terram variarum opum diuitem, frugibus fertilem, aquis illustrem, opimam balsamo: in medio orbis constitutam: quo fit, vt nec frigore nimio rigeat: nec calore torreatur. Ob quam elementorum gratiam æstimauerunt Israelitæ siue Hebræi gens antiquissima, & apud quam solam à prima hominis formatione, cælestis ac veri numinis cognitio cultúsque & primum idioma permansit, eam esse, quæ patribus olim Abrahæ, Isaac & Iacob promissa à numine esset, terram videlicet lacte & melle fluentem. ideo Iosue fortissimi ducis ductu quadragesimo anno postquam Aegyptum exiissent, suæ ditionis fecerunt, vno & triginta regibus in ea potenti manu deuictis. Leges Israelitæ tenent, ac secundum eas viuunt, quas à Mose primo suo duce acceperunt: quamuis & multis ante Mosen seculis absque lege aliqua scripta, piè sanctéque vixerint, veritatem diuinis oraculis animiq;

Terra Abrahæ & semini eius promissa.

Chananæa terra lacte & melle fluens.

Leges à Mose Iudæis promulgatæ.

animique acumine & magnitudine consequuti. Existimabat eximius ille theologus Moses, nullam ciuitatem sine iuris & æquitatis cultu diutius consistere posse. Iam quum bonorum præmijs, & impiorum supplicijs suos ad amplectandam virtutem, & impietatem fugiendam, suis exhortatus esset: tandem super decem illa legum capita duabus tabulis ad Sinam perlata, alias populo leges ciuiliáque instituta promulgauit. Hæ quum adeò multæ sint, vt sola integrum librum præstare possent: memorabiliores tantùm hîc ponam, cætera à Iosepho bibliacisque libris petantur. Sanxit Moses, vt pueri initio leges discant, quum disciplinam illæ in se optimam contineant. Qui Dei nomen blasphemia læserit, per diem suspendatur, insepultus abijciatur: vt ex meretricia pecunia sacrum nullum fiat. Septem sint in singulis vrbibus principes, qui iustitia & prudentia cæteros antecellant, vt duo cum his Leuitici ministri iudicent. In re iudicanda autem, si, quid rectum sit, iudicibus parum liqueat, Pontificis, & senioris arbitrio res tota decernatur. Ne vnus testis recipiatur, ac ne duo quidem, nisi horum prius sit spectata fides. Tres ritè testimonium dicant: Sed ne mulier testis sit, neque mancipium, quòd in hoc fortuna, leuitas in illa meritò suspecta habeatur. Præterea ne ex consitis arboribus aliquid ante quartum annum attingatur, vt tunc

Decalogus in mõte Sina datur.

Pueri leges discant.

Blasphemi suspendantur.

Magistratus Iudæorum.

Tres testimonium dicant.

f ex

ex frugibus decimæ dentur. Propinqui & hospites nonnihil percipiant: quod reliquum fuerit, agricolatoris sit: vt semina munda non mixta terræ condantur, quòd dissimilium communione terra non gaudeat: vtq; viator non à frugibus arceatur, sed quantum volet ex his legat, si ita præsens vsus exigat. Si pudor obstet, vltrò accersatur. Quæ turpem quæstum fecerit, alterive impserit, vxor ne ducatur: vt puella pro virgine ducta, si corrupta sit corpore reperta, flagitijq; conuicta, lapidibus obruatur, aut viua cremetur. Si quis virginem alteri desponsatam, non inuitam vitiauerit, vterque extremo supplicio afficiatur. Si vis illata fuerit, iniuriæ auctor pœnam luat. Quæ sine liberis vidua relicta est, fratri defuncti coniugis nubat, ex eóque matrimonio in successionem generis prolem tollat: si eam ducere nolit, causam apud seniores dicat. Si causam probauerit, cui volet illi nubendi facultas sit. Vt luctus in trigesimum diem extendatur: sat esse id tempus sapienti ad lacrymas. Filius si parentibus iniurius fuerit, extra vrbem suspendatur. Hostis bello prostratus non insepultus iaceat. Si pignus ab inope creditor acceperit, ante noctem restituat. Qui non fuerit soluendo, apud eum, cui debet, seruitutem seruiat. Si quis contribulem emerit, emptus sexto mox anno liber existat. Qui aurum & argentum inuenerit, inuentum palàm præcon

Vidua sine liberis relicta cui nubat.

Filius parentibus iniurius suspendatur.

Aes inuentum proclametur.

conis voce faciat. vt aberrans pecus ad magistrum gregis reducatur, vel, quoad dominus existat, custodiatur. Vt Israelitarum nemo venena conficiat, neq; confecta aliunde emat. Qui venenum alicui miscuerit, sceleris conuictus id bibat. Qui oculum alicui per iniuriam eruerit, pari clade puniatur. Si taurus quenquam peremerit cornu, lapidibus obruatur, eius carnes non attingantur. Depositum vt sacrum custodiatur, vt filius patris scelus non luat, nec parentibus erit fraudi, si quis filius deliquerit. Et hæc domi. Militiæ verò illa, vt bellum priusquam inferatur, res per legatos aut præcones repetantur: si res non reddantur, dum placet, ritè inchoatur. Administrandi belli summa penes hunc sit, qui strenuitate & prudentia alios anteibit: vt miles ex omni multitudine fortissimus legatur. Si hostis obsidione premitur, frugiferæ arbores ne lædantur. Læsæ enim, si vocem habeant, conuicium facerent populatori. Rebelles victor ad vnum interficiat. Cæteri quum victi fuerint, tributarij aut vectigales fiant. Ne qua mulier belli tempore virile attingat instrumentum, neque vir muliebre. Vt vescendi sanguinis vsus in vniuersum Israëlitis nullus esset. Lepra infecti & quibus genitale semen sponte flueret, ciuitate expellerentur: & in his mulieres septenis diebus, quæ menstruæ essent, octauo redirent: totidem dies abessent, qui funestam domum haberent: Vt sacer-

Venena miscere Iudæis prohibitū.

Leges castrenses.

Sāguine Iudæi non vescuntur.

Leprosi & Gomorrhei ciuitate expelebatur.

dos duabus agnis pro eo faciat, qui profluuium seminis per quietem passus est, ipséque prius frigidam aquam ingrederetur: pariq; ratione expiaretur, qui cum coniuge parum legitimis diebus concubuisset. Puerpera XL. dies templo arceatur si marem enixa fuisset, si fœminam octoginta. Qui vxorem impudicam arbitraretur, hordeaceæ farinæ assarium offerret: mox ea ad templi postes constituta in sacerdotis verba iurare cogeretur, nihil læsam à se pudicitiam. Si falleret, femore dextro disiuncto, vteróque putrefacto moreretur: Si castè iuraret, decimo mense puerum sine vteri noxa eniteretur: tum vt sacerdos dei in membrana nomen diluens è phiala det iuratæ mulieri bibendum. Adulterio, incesto, sodomiticæq; fœditati capitalem pœnam irrogauit. Vt sacerdos manco debilíve corpore altaris ascensu prohiberetur: aleretur tamen sacris oblationibus. Vt terra septimo quoque anno, si quando Chananæam Iudæi obtinuissent, aratri esset immunis. Quæ tellus sua sponte ferret, quinquagesimò quoque anno, qui Iobeleus dicebatur, tribulibus essent & extraneis communia: debitæ relaxarentur pecuniæ: libertate serui donarentur. Prædia, quæ vilius venissent, antiquis possessoribus redhiberentur. His ille institutis domi forisque sub id tempus quo vita decessit Israelitas instruxit. Adhibuit & precationem solemnem pro horum successu,

Expiationes Iudæorum.

Solénis inspectarum vxorum expurgatio.

Adulterij pœna.

Septennij obseruatio.

Iobeleus præcipitur obseruari.

cessu, qui ritè leges & instituta sanctè custodirent, contrà diras imprecationes in praeuaricatores. Postremò populum sacramento adegit, vt diuinas & humanas leges, quae semel latae essent, perpetuò obseruaret: nec si quis violare esset ausus, impunè factum pateretur. Caeterùm, quia satis constat, nullum genus hominum ceremoniarum studiosius magísque religiosum fuisse vnquam, quàm Israelitae fuere: quae fuerit apud illos sacrificandi ratio ab initio instituta, operae pretium duxo breuiter explicanda. Duobus ab initio sacrorum generibus Iudaei vsi sunt, quorum vnum holocaustum dixere, idq; primores gentis perpetrabant: qui erat siue boue, siue agno rem diuinam facturus, siue quid aliud immolasset, annicula masculáque esse oportebat animalia aris adhibenda: altaris aram sacerdos victimali cruore perfundebat, inde hostiam membratim dissectam super aram concremabat. Alterum genus plebeium, in quo maiora anniculis offerebant, cruoreq; super aram diffuso renes, adeps, omenta imponebantur flammis: pectora & crura dextera sacerdotibus dabantur: quae supererant, intra biduum, qui rem diuinam fecissent, esitabant. Inopia si qui premebantur, columbas afferre, aut turtures duas, quorum haec in holocaustum abibat, illam sacerdotes sortiebantur. Qui imprudens deliquisset, huic annicula agna erat, aut haedus piaculum. Qui

Ceremoniarum Iudaeorum ratio.

Holocaustũ sacrificium primorum.

Plebeiorũ sacrificium.

Inopũ sacrificium.

occulti sibi criminis fuisset conscius, ex præscripto legis caso ariete expiari oportuit: horum carnibus vescebantur sacerdotes in templo, tam publicis quàm priuatis sacrificiis. mundissima farina adijcitur, in agno assarij mensura, in ariete duorum, in tauro trium. Adhiberi & oleum, quod sacris infundebatur. Agnus mane & vesperi publicè immolari. Septimis quibusque diebus, quæ ipsis ex lege maximè sacræ erant & sabbata dicebantur, geminatæ hostiæ aris admouebantur. Principio mensis duo boues cum septem anniculis agnis, ariete vno & hædo vno piaculi causa. Adijciebant binos hædos: horum vnus extra fines missus multitudinem expiabat: in suburbana alter delatus loco purissimo cum totis velleribus cremabatur. Pontifex taurum in id sacrum, & in holocaustum arietem dabat. Fuerunt & illis alia sacra statis ceremonijs ferijsve permixta, quale fuit XV. mensis die, quem Macedones hyperueretheum dixerunt, & vertente autumno tabernacula figere, holocaustáque ferijs tenentibus stata quotannis reddere, myrrhæ, salicis, palmarum & mali persici ramos, qui hæc facerent, gestantibus Xanthico mense: vnde principium sumebat annus sub plenilunij diem, sole arietem transeunte: quia his diebus ex Aegypto egredi contigisset, mystico agno faciebant. inde azymorum feriæ, luna itidem plena paucis interiectis diebus, celebres erant gentij:

Placula delinquentiū

Publicum sacrificium

Sabbatum Iudæis maximè sacrū

Mensis Hyperueretheus.

Mensis Xāthicus, id est, Aprilis.

Azymorū feriæ.

genti: tauri duo, aries vnus, agni septem quotidie per eos dies holocausto cremabantur. adijciebatur hircus vnus piaculi nomine. Secunda azymorum primitiæ frugum cum olei assario dabantur, & frugum principijs agnus in holocaustum. Erant & Pentecostes stati dies, Asarthan id illi tempus vocitabant; id est, quinquagesimam, fermentatos tum panes ex siccis alphitis offerebant: agnas duas in holocaustum, vitulos duos, arietes totidem, duósque pro piaculo hircos. De Iudæis & Mose duce eorum Ethnici scriptores ab Ecclesiasticis dissentiunt. Cornelius enim Tacitus XXI. *Diurnalium libro egressionem gentis illius ex Aegypto, non diuinæ voluntati, sed necessitati tribuens scribit: Orta per Aegyptum scabie & prurigine fœda, Bocchorim regem in Hammonis templo remedium petijsse, iussum regnum purgare, atque illud hominum genus deis inuisum alias in terras ablegare. Quo expulso, vbi ingens scabiosorum colluuies vastis in locis relicta consedisset, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosem vnum exulum monuisse, ne quam deorum hominúmque opem expectarent: sed sibi, vt duci, crederent. assensum esse, atque omnium ignaros fortuitum iter arripuisse, sed nihil æque, quàm aquæ inopia laborantes: tum iam haud procul exitio totis campis procubuerant, vidisse agrestium asinorum gregem è pastu in rupem nemore opacam concedere: sequu-*

Pentecoste

Israelitæ ex Aegypto pulsi.

affabre factum, cui malum, aut rosa, aut lilium, aut aliud simile sit impositum, sine insigni aliquo, id gestare indecorum ac turpe creditum. Ex legibus, quibus ea gens vsa dicitur, ea mihi res memorabilis visa est, quòd virgines iam matura viro in publicum productæ, singulis annis iis venales proponebantur, qui vxores ducere vellent, dabanturque primò venum formosissimæ quæque. Quibus minus spectata erat forma, & quas non modò non quisquam sibi mercaturus fuisset, sed ne gratis quidem alioqui ducturus, ex pecunia, quæ fuerat pulchrioribus venditis in publicum redacta, connubio locabantur. Herodotus auctor est, hunc olim morem in Venetis Illyrico finitimis seruatum, idque fama se compertum habuisse. Ego (inquit Antonius Sabellicus) tenueritne mos ille gentis aliquando, haud multo plus compertum habeo: tantùm affirmare possum: Venetiis, cuius vrbis opes hodie terra marique insigniter pollent, inter præclara ciuitatis instituta, virgines furto conceptas, & ad limen Pietatis expositas, ex publico ad nubiles vsque annos in operto sub tetrica disciplina institui: quæ sunt elegantiori forma, quoniam sunt ingenuè institutæ, aut sine dote matrimonio locari, iis præsertim, qui periculo aliquo, aut graui morbo seruati, votorum damnati, eas sibi in vxores deposcunt. Alij pudicitiam sequuti, aut formam, sine dote ipsas sibi virgines

Absque sceptro in publicum nemo prodit.

Virgines nubiles venum expositæ.

Mos à Venetis obseruatus.

iung

ingunt, modò ij sint qui liberaliter, quas duxerint habituri existimentur: aut si nihil horum sit, minus graui dote nubunt quæ forma præstant, quàm si faciè fuerint parum liberali, etsi pari disciplina institutæ. Altera Babyloniorum lex, quo vtilior, eo magis memorabilis: quum nullus ab initio in his esset medicorum vsus, lege ferunt comparatum, vt qui ægrotare cœpisset, eos de morbo consuleret, qui idem languoris genus passi essent: medicámque ad id leuandum opem aliquam experti. Apud alios scriptum reperio, in publicum ægrotos deferri solitos: legéque cautum, vt qui aliquando ægrotassent male affectos circumirent, docerentq; singulos, qua ipsi ope potissimum adiuti aliquando à morbo liberati essent. Eorum sepulcra in melle: funeribus luctus, qui & Aegyptiis. Qui cum vxore noctu congressus est, nihil prius vterque tangit, quàm lotus fuerit. Omnibus Babyloniorum mulieribus olim mos fuit, semel in vita cum externis viris permisceri. Cum turba & cultu plurimo ad templum Veneris venientibus, quælibet nodis vel corollis tempora reuincta habebat: hospes quam cognoscere volebat, ponebat super illius genua argentum quantum sibi videbatur, tum coibat cum ea longè à fano abducta: argentum illud Veneri sacrum erat. Fuere in his familiæ quædam, nulla re alia nisi piscibus victitantes: quos ad solem arefactos, pistilliq; tusos, ex eaq;

Babyloniorum lex vtilissima erga infirmos

Mulieres cum hospite permiscebantur.

eaq; materia asseruata, vndiq; respersa ossa conficiebant, torrebántque eas in vsum panis ad ignem. Tres fuere magistratus, eorum qui iam militia emeriti erant, nobiliorum alius & senum, seorsum regio posito. Fuere etiam Magi, qui & Chaldæi dicebantur, tales quales in Aegypto sacerdotes ad deorum cultum instituti: per omnem vitam philosophari, astrorum peritiam tenere, nunc augurijs, nunc carminibus sacris, mala hominis auertere, bono afficere: auguria, insomnia, prodigiáque fida interpretatione explanare, nec foris instituebantur, vt Græci, sed à parentibus disciplinam, velut hæreditariam sortiti: pueri domesticè discebant, quia perpetua cura facilis sequebatur profectus: vna constánsque dicendi ratio, non varia & anceps, qualis apud Græcos, vbi qui eam tradere consueuerunt varia de principijs & rerum causis, atque inter se repugnantia dissere bant. Sed hi mundum communi assensu æternum opinati, neque principium habuisse, neque finem habiturum, vniuersorum ordinem & ornatum diuina prouidentia constare: cælestia corpora non sua sponte, fortuitó ve motu, sed lege quadam, certóque numinis iudicio moueri. Astrorum cursum vetusta obseruatione perscrutari, multa ex illorum inspectione mortalibus futura vaticinari. Maximam vim planetis tribuere, præsertim huic, quem nostri Saturnum vocant. Clarissi-

Magistratus Assyriorum

Magorum officia.

Mundus æternus habitus à Chaldæis.

Planetarum obseruatio.

mum

num Solem omnium arbitrari, & cui præcipua desset virtus: Martem, Vener, & Mercurium, & Iouem præ cæteris obseruari, quoniam velut proprium cursum sortiti futura ostenderent, tanquam deorum interpretes. Quod ipsum vsque- adeò persuasum habuerunt, vt quatuor illa astra vno nomine Mercurios appellarent. ventis præterea, imbribus, æstu, cometis, solis, & lunæ defectu, terræ hiatu, multis denique signis, salubria simul ac perniciosa prædicere. Imaginari ad hæc alia sydera illis subiecta: & ex ijs quædam nostro hemisphærio, alia subterraneo vagari. Pari adhæc cum Aegyptijs errore duodecim sibi Deos finxerunt: quorum singulis mensem, & vnum in Zodiaco signum tribuere. Multa quidem regibus ventura vaticinabantur, vt Alexandro victoriam cum Dario dimicaturo: Hircanori, deinceps Seleuco & alijs Alexandri successoribus: mox & Romanis successoribus non pauca: quorum euentus fide non caruit. Numerant præterea sydera quatuor & viginti: extra Zodiacum, ad Boream duodecim: reliqua austrum versus. horum quæ appareant, ad viuos pertinere arbitrati: reliqua ad eos, qui vita defuncti essent. Hæc illi ad alias rerum ambages effuderunt mortalium oculis, vt quæ de annorum obseruatione meminerant, quadraginta tria annorũ millia à prima suarum rerum memoria ad Alexandri ascensum colligentes: quod impudenti quidem mendacio asserebant, nisi

Ex astris Chaldæi futura prædixerunt.

Temporũ per Chaldæos supputatio falsa.

nisi aliquis eam annorum rationem menstruam interpretetur, qualis apud Aegyptios fuit.

De Iudæa & Iudæorum viuendi ritibus, legibus ac institutis. CAP. IIII.

Palæstinæ fines.

Palæstina, quæ eadem est quæ Iudæa, particularis Syriæ prouincia, inter Cœlosyriam iacens & Arabiam Petream, ad occasum Aegyptiaco alluitur pelago: perfunditur & Iordane fluuio ad orientem solem. hanc terram bibliaci libri, & Iosephus sequutus, Chananæam appellant, terram variarum opum diuitem, frugibus fertilem, aquis illustrem, opimam balsamo: in medio orbis constitutam: quo fit, vt nec frigore nimio rigeat: nec calore torreatur. Ob quam elementorum gratiam æstimauerunt Israelitæ siue Hebræi gens antiquissima, & apud quam solam à prima hominis formatione, cælestis ac veri numinis cognitio cultúsque & primum idioma permansit, eam esse, quæ patribus olim Abrahæ, Isaac & Iacob promissa à numine esset, terram videlicet lacte & melle fluentem. ideo Iosue fortissimi ducis ductu quadragesimo anno postquam Aegyptum exissent, suæ ditionis fecerunt, vno & triginta regibus in ea potenti manu deuictis. Leges Israelitæ tenent, ac secundum eas viuunt, quas à Mose primo suo duce acceperunt: quamuis & multis ante Mosen seculis absque lege aliqua scripta, piè sanctéque vixerint, veritatem diuinis oraculis animisq;

Terra Abrahæ & semini eius promissa.

Chananæa terra lacte & melle fluens.

Leges à Mose Iudæis promulgatæ.

nimique acumine & magnitudine consequuti. Existimabat eximius ille theologus Moses, nullam ciuitatem sine iuris & æquitatis cultu diuitius consistere posse. Iam quum bonorum præmijs, & impiorum supplicijs suos ad amplectandam virtutem, & impietatem fugiendam, satis exhortatus esset: tandem super decem illa legum capita duabus tabulis ad Sinam perlata, alias populo leges ciuiliáque instituta promulgauit. Hæ quum adeò multæ sint, vt sola integrum librum præstare possent: memorabiliores tantùm hîc ponam, cætera à Iosepho bibliacisque libris petantur. Sanxit Moses, vt pueri initio leges discant, quum disciplinam illæ in se optimam contineant. Qui Dei nomen blasphemia læserit, per diem suspendatur, insepultus abijciatur: vt ex meretricia pecunia sacrum nullum fiat. Septem sint in singulis vrbibus principes, qui iustitia & prudentia cæteros antecellant, vt duo cum his Leuitici ministri iudicent. In re iudicanda autem, si, quid rectum sit, iudicibus parum liqueat, Pontificis, & senioris arbitrio res tota decernatur. Ne vnus testis recipiatur, ac ne duo quidem, nisi horum prius sit spectata fides. Tres ritè testimonium dicant: Sed ne mulier testis sit, neque mancipium, quòd in hoc fortuna, leuitas in illa meritò suspecta habeatur. Præterea ne ex consitis arboribus aliquid ante quartum annum attingatur, vt tunc

Decalogus in monte Sina datur.

Pueri leges discant.

Blasphemi suspendantur.

Magistratus Iudæorum.

Tres testimonium in rant.

ex frugibus decimæ dentur. Propinqui & hospites nonnihil percipiant: quod reliquum fuerit, agricolatoris sit: vt semina munda non mixta terræ condantur, quòd dißimilium communione terra non gaudeat: vtq; viator non à frugibus arceatur, sed quantum volet ex his legat, si ita præsens vsus exigat. Si pudor obstet, vltrò accersatur. Quæ turpem quæstum fecerit, alterîve impserit, vxor ne ducatur: vt puella pro virgine ducta, si corrupta sit corpore reperta, flagitiiq; conuicta, lapidibus obruatur, aut viua cremetur. Si quis virginem alteri desponsatam, non inuitam, vitiauerit, vterque extremo supplicio afficiatur. Si vis illata fuerit, iniuriæ auctor pœnam luat. Quæ sine liberis vidua relicta est, fratri defuncti coniugis nubat, ex eôque matrimonio in successionem generis prolem tollat: si eam ducere nolit, causam apud seniores dicat. Si causam probauerit, cui volet illi nubendi facultas sit. Vt luctus in trigesimum diem extendatur: sat esse id tempus sapienti ad lacrymas. Filius si parentibus iniurius fuerit, extra vrbem suspendatur. Hostis bello prostratus non insepultus iaceat. Si pignus ab inope creditor acceperit, ante noctem restituat. Qui non fuerit soluendo, apud eum, cui debet, seruitutem seruiat. Si quis contribulem emerit, emptus sexto mox anno liber existat. Qui aurum & argentum inuenerit, inuentum palàm præconis

Vidua sine liberis relicta cui nubat.

Filius parentibus iniurius suspendatur.

Aes inuentum proclametur.

conis voce faciat. vt aberrans pecus ad magistrum gregis reducatur, vel, quoad dominus exiſtat, cuſtodiatur. Vt Iſraelitarum nemo venena conficiat, neq; confecta aliunde emat. Qui venenum alicui miſcuerit, ſceleris conuictus id bibat. Qui oculum alicui per iniuriam eruerit, pari clade puniatur. Si taurus quenquam peremerit cornu, lapidibus obruatur, eius carnes non attingantur. Depoſitum vt ſacrum cuſtodiatur, vt filius patris ſcelus non luat, nec parentibus erit fraudi, ſi quis filius deliquerit. Et hæc domi. Militiæ verò illa, vt bellum priuſquam inferatur, res per legatos aut præcones repetantur: ſi res non reddantur, dum placet, ritè inferatur. Adminiſtrandi belli ſumma penes hunc ſit, qui ſtrenuitate & prudentia alios anteibit: vt miles ex omni multitudine fortiſſimus legatur. Si hoſtis obſidione premitur, frugiferæ arbores ne lædantur. Læſæ enim, ſi vocem habeant, conuicium facerent populatori. Rebelles victor ad vnum interficiat. Cæteri quum victi fuerint, tributarij aut vectigales fiant. Ne qua mulier belli tempore virile attingat inſtrumentum, neque vir muliebre. Vt veſcendi ſanguinis vſus in vniuerſum Iſraëlitis nullus eſſet. Lepra infecti, & quibus genitale ſemen ſponte flueret, ciuitate expellerentur: & in his mulieres ſeptenis diebus, quæ menſtruæ eſſent, octauo redirent: totidem dies abeſſent, qui funeſtam domum haberent: Vt ſacerdos.

Venena miſcere Iudæis prohibitū.

Leges caſtrenſes.

Sāguine Iudæi non veſcuntur.

Leproſi & Gomorrhæi ciuitate expel:batur.

dos duabus agnis pro eo faciat, qui profluuium seminis per quietem passus est, ipséque prius frigidam aquam ingrederetur: pariq; ratione expiaretur, qui cum coniuge parum legitimis diebus concubuisset. Puerpera XL. dies templo arceatur si marem enixa fuisset, si fœminam octoginta. Qui vxorem impudicam arbitraretur, hordeaceæ farinæ assarium offerret: mox ea ad templi postes constituta in sacerdotis verba iurare cogeretur, nihil læsam à se pudicitiam. Si falleret, femore dextro disiuncto, vteróque putrefacto moreretur: Si castè iuraret, decimo mense puerum sine vteri noxa eniteretur: tum vt sacerdos dei in membrana nomen diluens è phiala det iuratæ mulieri bibendum. Adulterio, incesto, sodomiticæq; fœditati capitalem pœnam irrogauit. Vt sacerdos manco debiliue corpore altaris ascensu prohiberetur: aleretur tamen sacris oblationibus. Vt terra septimo quoque anno, si quando Chananæam Iudæi obtinuissent, aratri esset immunis. Quæ tellus sua sponte ferret, quinquagesimò quoque anno, qui Iobeleus dicebatur, tribulibus essent & extraneis communia: debitæ relaxarentur pecuniæ: libertate serui donarentur. Prædia, quæ vilius venissent, antiquis possessoribus redhiberentur. His ille institutis domi forisque sub id tempus quo vita decessit Israelitas instruxit. Adhibuit & precationem solemnem pro horum successu,

Expiationes Iudæorum.

Solenis inspectarum vxorum expurgatio.

Adulterii pœna.

Septennij obseruatio.

Iobeleus præcipitur obseruari.

cessu, quiritè leges & instituta sanctè custodirent, contra diras imprecationes in preuaricatores. Postremò populum sacramento adegit, vt diuinas & humanas leges, quæ semel latæ essent, perpetuò obseruaret: nec si quis violare esset ausus, impunè factum pateretur. Ceterùm, quia satis constat, nullum genus hominum ceremoniarum studiosius magísque religiosum fuisse vnquam, quàm Israelitæ fuere: quæ fuerit apud illos sacrificandi ratio ab initio instituta, operæ pretium duco breuiter explicanda. Duobus ab initio sacrorum generibus Iudæi vsi sunt, quorum vnum holocaustum dixere, idq; primores gentis perpetrabant: qui erat siue boue, siue agno rem diuinam facturus, siue quid aliud immolasset, annicula mascuĺáque esse oportebat animalia aris adhibenda: altaris aram sacerdos victimali cruore perfundebat, inde hostiam membratim dissectam super aram concremabat. Alterum genus plebeium, in quo maiora anniculis offerebant, cruoreq; super aram diffuso renes, adeps, omenta imponebantur flammis: pectora & crura dextera sacerdotibus dabantur: quæ supererant, intra biduum, qui rem diuinam fecissent, esitabant. Inopia si qui premebantur, columbas offerre, aut turtures duas, quorum hæc in holocaustum abibat, illam sacerdotes sortiebantur. Qui imprudens deliquisset, huic annicula agna erat, aut hædus piaculum. Qui

Ceremoniarum Iudæorum ratio.

Holocaustũ sacrificium primorum.

Plebeiorũ sacrificium.

Inopũ sacrificium.

occulti sibi criminis fuisset conscius, ex praescripto legis caeso ariete expiari oportuit: horum carnibus vescebantur sacerdotes in templo, tam publicis quam priuatis sacrificiis. mundissima farina adijcitur, in agno assarij mensura, in ariete duorum, in tauro trium. Adhiberi & oleum, quod sacris infundebatur. Agnus mane & vesperi publicè immolari. Septimis quibusque diebus, quae ipsis ex lege maximè sacra erant & sabbata dicebantur, geminatae hostiae aris admouebantur. Principio mensis duo boues cum septem anniculis agnis, ariete vno & haedo vno piaculi causa. Adijciebant binos haedos: horum vnus extra fines missus multitudinem expiabat: in suburbana alter delatus loco purissimo cum totis velleribus cremabatur. Pontifex taurum in id sacrum, & in holocaustum arietem dabat. Fuerunt & illis alia sacra statis ceremonijs feriisve permixta, quale fuit x v. *mensis die, quem Macedones hyperueretheum dixerunt, & vertente autumno tabernacula figere, holocaustaque ferijs tenentibus stata quotannis reddere, myrrhae, salicis, palmarum & mali persici ramos, qui haec facerent, gestantibus Xanthico mense: vnde principium sumebat annus sub plenilunij diem, sole arietem transeunte: quia his diebus ex Aegypto egredi contigisset. mystico agno faciebant. inde azymorum feriae, luna itidem plena paucis interiectis diebus, celebres erant gentij:*

Placula delinquentiū

Publicum sacrificium

Sabbatum Iudaeis maximè sacrū

Mensis Hyperueretheus.

Mensis Xanthicus, id est, Aprilis.

Azymorū feriae.

genti: tauri duo, aries vnus, agni septem quotidie per eos dies holocausto cremabantur. adijciebatur hircus vnus piaculi nomine. Secunda azymorum primitiæ frugum cum olei assario dabantur, & frugum principijs agnus in holocaustum. Erant & Pentecostes stati dies, Asarthan id illi tempus vocitabant, id est, quinquagesimam, fermentatos tum panes ex siccis alphitis offerebant: agnas duas in holocaustum, vitulos duos, arietes totidem, duósque pro piaculo hircos. De Iudæis & Mose duce eorum Ethnici scriptores ab Ecclesiasticis dissentiunt. Cornelius enim Tacitus XXI. Diurnalium libro egreßionem gentis illius ex Aegypto, non diuinæ voluntati, sed neceßitati tribuens scribit: Orta per Aegyptum scabie & prurigine fœda, Bocchorim regem in Hammonis templo remedium petijsse, iussum regnum purgare, atque illud hominum genus deis inuisum alias in terras ablegare. Quo expulso, vbi ingens scabiosorum colluuies vastis in locis relicta consedisset, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosem vnum exulum monuisse, ne quam deorum hominúmque opem expectarent: sed sibi, vt duci, crederent. assensum esse, atque omnium ignaros fortuitum iter arripuisse, sed nihil æque, quàm aquæ inopia laborantes: tum iam haud procul exitio totis campis procubuerant, vidisse agrestium asinorum gregem è pastu in rupem nemore opacam concedere: sequutum

Pentec[ostes]

Israelitæ ex Aegypto pulsi.

tum Mosen, quo sibi in posterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariosq; cæteris mortalibus indidisse. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa, quæ nobis incesta. Animalis effigiem, quo monstrante, sitim, errorémque depulerant, penetrali sacrauere, cæso ariete in contumeliam Hammonis. Bos quoq; immolatur, quem Aegyptij Apim colunt. Sue abstinent ob scabiem vitandam, cui animal hoc obnoxium. Septimo die otiantur, quia is finem laborum tulerit: deinde blandiente inertia septimum quoque annum ignauiæ datum: alij honorem eum Saturno haberi ob famem & ieiunia. Panis eorum non fermentatur. Hi ritus quoque modo inducti defenduntur: & quia apud ipsos fides obstinata, & misericordia in promptu est, sed aduersus omnes alias gentes hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus: protectissima in libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum: circumcidere genitalia instituêre, vt diuersitate noscantur: Nec quicquam prius imbuunt, quàm contemnere deos. Animas prælio, aut supplicio peremptorum æternas putant: eadem cura & de inferis, & persuasio Cælestium. Contrà Aegyptij pleraque animalia effigiésque compositas venerantur. Iudæi mente sola, vnúmque numen intelligunt. Prophanos qui deorum imagines in species hominum fingunt. Hæc & multa alia Cornelius

Iudæorum ritus cæterorum mortalium ritibus contrarii.

Religio Iudæorum.

Tacitus

Tacitus, & Tragus libro XXXVI. scribunt. Iudaeorum sectae tres à communi reliquorum vitae discretae erant, Pharisaeorum, Saducaeorum, Essaeorum. Pharisaei cultu austero & victu perparco vtebantur: traditiones suas statuentes quibus traditiones Mosis determinabant. Pitacia chartarum in fronte gerebant, & in sinistro brachio, quibus decalogus inscriptus erat, quòd dixerat Dominus, habebis quasi quid appensum inter oculos tuos, & in manu tua. Et hae Philateria dicebantur, à φυλάττειν, quod seruare est, & thorat legem. Hi etiam maiores fimbrias alijs ferentes spinas eis affigebant, quibus puncti inter eundum memores mandatorum Dei fierent. Vniuersa Deo deputabant, & Emarmeni, id est, fato agere quidem quae iusta sunt, vel negligere: in arbitrio hominum plurimum esse dicebant, tamen in singulis adiuuare Emarmenem, quam ex motibus corporum superiorum fieri putabant: superioribus suis, & natu maioribus nunquam contrarium respondebant. Iudicium Dei futurum credere, omnem animam incorruptam esse, solas bonorum animas in alia transire corpora vsque ad resurrectionem & iudicium: malorum autem aeternis detrudi carceribus: & quia à communi hominum habitu diuersi erant, ideo Pharisaei dicebantur. Saducaei Emarmenem negabant, Deum inspectorem omnium dicentes, & in arbitrio hominum situm esse vt

Pharisaeorū mores.

Animas in alia corpora migrare.

Saducaeorū mores.

bonum malúmve faciant. Animarum post hanc vitam vel supplicia negabant, vel gaudia. Quòd resurrectionem mortuorum futuram negabant, animas mori cum corporibus putantes, nec angelos esse dicebant, solos quinque libros Mosis recipiebant. Ipsi seueri nimis erant, nec inter se sociales: ob quam seueritatem Saducæos, id est, iustos se nominabant. Essæi verò in omnibus monasticam agebant vitam, nuptias & fæminarum congressum omnino fastidientes, non quia coniugia & hominum successionem censerent perimendam, sed cauendam intemperantiam mulierum, nullam earum fidem seruare viro putantes. Omnia habebant communia: probra vnguentum & balneum ducentes, squalorem decus putarent, dummodo in veste candida semper essent. Nulla eis certa ciuitas, sed in singulis domicilia habebant. Ante Solis ortum nihil profanum loquentes, Solem, vt oriretur orabant: post vsque ad quintam horam operantes, loti corpus in aquis, simul & cum silentio edebant. Iuramentum habebant pro periurio. Sectæ suæ neminem adhibebant, nisi sub annua probatione. Recepti autem ad se post annum, duobus alijs annis mores probabant, deprehensum in peccatis à se pellebant, vt herbas pecorum more decerpens, vsque ad obitum pœniteret. Quum decem sederent, nullus nouem inuitis loquebatur. Spuere in medium, vel in dexteram partem sui vitabant.

Animas cũ corporibus interire.

Essæorũ vita tota monastica.

Omnia Essæis cõmunia erant.

Adeò

Adeò sabbatum obseruabant, quòd nec eo die aluum purgarent. dolabram ferebant ligneam, qua in loco secretißimo fodiebant terram ad aluum purgandum, demissa veste diligenter se contegentes, ne splendori diuino facerent iniuriam ob id etiam statim foueam replentes: viuebant quàm longißimè ob victus simplicitatem. Palmis enim victitabant. Pecuniæ eis nullus vsus erat. Mortem pro iustitia iudicabant meliorem. Animas omnes à principio creatas pro temporibus incorporari: bonas exutas corporibus vltra Oceanum degere, vbi sit reposita eis perfruitio: ad orientem magis malas ad procellosa & hyberna loca delegantes. Erant in eis qui futura prædicerent: quidam coniugibus, sed moderatè, operam dabant, ne si à mulieribus abstinendum arbitrarentur, genus humanum deficeret. Syriam hodie Græci inhabitant, qui & Gryphoni dicuntur, Iacobitæ, Nestoriani, Sarraceni, duæq; Christianæ pietatis gentes Syriani & Marouini. Syriani Græcanico ritu sacrificant, parueruntq; aliquandiu Romanæ ecclesiæ. Marouini sentiunt cum Iacobitarum gente. Horum lingua & litera, quæ & Arabum. Ad Libanum montem habitant hæc piorum hominum genera. Sarraceni circa Hierosolymam strenui in bello; gaudent agrorum cultura. Syriani inutiles. Marouini pauci numero, sed viri pugnacißimi.

Sabbatiobseruatio.

De animis Essæorum opinio.

Animarum exutarum corpore meta.

De-

De Media Medorúmque moribus. CAP. V.

Mediæ appellatio.

MEdia Asiæ regio, à Medo Medeæ & Aegeï Athenienſium regis filio appellata, & populi Medi dicti, vt Solinus refert: Ioſephus autem à Medeo Iaphet filio dictos fuiſſe ſcribit. Hæc regio, vt Ptolemæus habet, à ſeptentrione mari Hyrcano terminatur, ab occaſu maiori Armenia & Aſſyria, à Meridie Perſide, ab oriente Hyrcania ac Parthia, quæ montibus excluditur. Sagittandi equitandíque ſtudium genti præcipuum ac penè peculiare. Peruetuſta & regum veneratio. Tiara pileus rotundus, & manicatæ veſtes ab his ad Perſas cum imperio fluxere. Proprium Medorum regum fuit plures vxores ducere, mox & in priuatos tranſlatum vt minus ſeptem habere non liceret. Pulchrum & fœminæ multos habere viros, pauciores quinque calamitatem arbitrari. Ineunt fœdus Medi tum Græcorum ritu, tum feriendo brachia, quo illi humeris connectuntur, ac mutuum ſanguinem delingunt. Sterilis regio, quæ ad ſeptentrionem obuerſa eſt: quo fit, vt ex malis in hunc vſum exſiccatis ac contuſis maſſam conficiant, ex toſtis amygdalis panem, ex herbarum radicibus vinum, ferinis carnibus ut plurimum victitantes.

Mediæ fines.

Studia gentis.

De Parthia & Parthorum viuendi moribus. CAP. VI.

Parthiæ termini.

PArthiam Parthi Scytharum exules à ſe vocauerunt terram furto occupatam, à meridie

ridie

ridie Carmaniam, à septemtrione Hyrcanum solum, ab occidua Solis plaga Mediam, ad ortum Ariam habentem. Regio est nemorosa, montana, & inops frugum: gens ipsa Assyriis Medisq; temporibus obscurissima, regnóque à Medis ad Persas translato, velut vulgus sine nomine, victoribus præda fuit. Postremò Macedonibus seruiuit. Procedēte deinde tempore, ea fuit ipsius gentis virtus, hi rerum successus, vt non tantùm finitimis imperaret, sed à Romanis omnium gentium victoribus bello petita eos magnis cladibus victos affecerit. Plinius quatuordecim Parthorum regna numerat. Trogus his orientis Imperium attribuit, velut orbis diuisione cum Romanis facta. Administratio gentis post defectionem Macedonici Imperij sub regibus fuit, qui Arsaces ab Arsace primo rege dicebantur omnes. Regum maiestati proximus populorum ordo fuit: ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace electi. Sermo his inter Scythicum Medúmque medius, ex vtrisque mixtus: vestis olim sui moris: posteaquam accessere opes, vt Medis, perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos. Exercitum non vt aliæ gentes liberorum, sed maiore ex parte seruorum habent. Quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascentibus, in dies crescit. Hos pari cura ac liberos suos habent, & equitare & sagittare magna industria docent: vt quisque locuples est,

Quatuordecim Parthorum regnà.

Arsaces Parthorum reges.

Parthorum pugnandi ratio.

est, ita magnum regi ad bellum ituro equitatum instruit. Itaque Antonio bellum Parthis inferenti quum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli D C C C. liberi fuere. Cominus in acie præliari nesciunt, obsessasq; expugnare vrbes: pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus, sæpe etiam fugam simulant, vt incautiores aduersus vulnera insequentes habeant: signum his in prælio non tuba, sed tympano datur, nec pugnare diu possunt. Cæterum intolerabiles essent, si quantus his impetus est, vis tanta & perseuerantia foret: plerumque in ipso certaminis ardore prælia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt: & quum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Munimentum equitibus loricæ plumatæ, idem & equis, quibus bello vtuntur. Auri argentiq; nullus olim, nisi in armis vsus. Vxores dulcedine variæ libidinis singuli plures ducunt: nec vllum grauius flagitium, quàm adulterium vindicant, ob id mulieribus non conuiuia solùm virorum, verumetiam conspectum interdicunt. Quidam autem, & in his Strabo, coniuges eos suas amicis in matrimonium tradere, vt liberos ex eis suscipiant. Carne non alia vescuntur, quàm venatibus quæsita. Equis omni tempore vehuntur, his petunt bella: his conuiuia adeunt, mercantur, colloquuntur, omniáque publica & priuata obeunt munia, equo sedentes: atque singulare illud inter

tes

ter ordines discrimen, quod seruilis fortunae viri pedibus commeant, ingenui equis vehuntur. Sepultura vulgo aut auium aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt: deorum cura venerationeq; praecipua. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia: quippe violentiam viris, mansuetudinem foeminis assignant. Semper aut in externos, aut in domesticos motus inquieti. Natura taciti, ad faciendum, quam ad dicendum promptiores. Proinde secunda aduersáque silentio tegunt. Principibus metu, non pudore, parent. In libidinem proiecti, in cibum parci: fides dictis promissisq; nulla, nisi quatenus expedit.

Sepultura Parthorũ.

De Persia, & Persarum moribus, ritibus, & institutis. CAP. VII.

Persiae confinia.

PErsia Orientalis regio, à Perse Iouis & Danaes filio dicta: à quo & Persepolis totius gentis caput. Populi Persae dicti sunt. Haec regio, vt Ptolemaeus lib. V. scribit, à septemtrione Medis terminatur, ab occasu Susiano, ab ortu solis ambabus Carmaniis, à meridie parte sinus Persici. Eius oppida fuere Aximia, Persepolis, Diospolis. Caelum Persae, Iouem credidere. Solem, quem Mitram dicunt, in primis venerantur: colunt & Lunam, Venerem, ignem, tellurem, aquam, & ventos: non aras, non statuas habere, sed sub dio, excelsoq; loco sacra operari: cum imprecationibus

Religio Persarum.

coronat

coronatam hostiam ad aram statuentes, nihil praeter hostiae animam superis dandum existimare: nec eos etiam quicquam aliud velle: quorundam tamen in ea gente extra focu imponere moris fuit. Igni sacrificantes arida ligna imponunt cortice adempto, & aruina superinte-cta, deinde infuso oleo succendunt. non inspirantes, sed ventilantes: quod si quis inspirarit, aut mortuum quid caenum ve in ignem immiserit, morte plectitur. In flumine Persae non lauantur, non micturiunt, nec cadauer iniiciunt, non etiam spuunt, aut aliud quid faciunt, sed aquam hoc modo religiosissime colunt. In lacum vel flumen vel fontem venientes scrobem faciunt, ibique hostiam iugulant, cauentes ne quid proxima aquae sanguine contingatur, tanquam omnia polluturi: postea carnibus super myrto, lauro impositis, ea magis subtilibus virgis comburunt: & factis imprecationibus quibusdam, oleum lacte & melle mixtum inspergunt: non in ignem, nec in aquam, sed in terram imprecationes per multum tempus faciunt, fasciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes. Reges creant ex vna familia: qui regi non paruerit, capite & brachio amputatis insepultus abiicitur. Refert Polycritus quod Persarum Regum quisque suas aedes in monte faciat, & thesauros & tributa, quae exegit, ibi recondat, bene administratae rei monumentum. Exigere eos ex ora maritima argentum,

Aquam religiosissime colunt.

Reges ex vna familia creant Persae.

ex

ex mediterranea, quæ quæque regio ferat, vt colores, medicamenta, lanam, vel aliud tale, eorum modò & pecora. Neminem illis ob vnam tantùm causam occidere licet, neque alicui aliorum Persarum quicquam in aliquem ex familia sua atrox agere. Vxores ducunt singuli multas, aluntque propagandæ sobolis gratia, pellicésque plurimas. Reges præmia proponunt ijs, qui vno anno plures procrearint filios: qui creati sunt ante quinquennium, ad patris conspectum gentili instituto non perducuntur, sed apud fæminas degunt: ea præcipuè gratia, vt si inter educationem quis decedat, nullam è damno patri afferat molestiam. Nuptiæ verno æquinoctio celebrantur. Sponsus malum, aut cameli medullam, nec super hæc aliud quicquam cœnatus, thalamum ingreditur. A quinto anno ad quartum & vigesimum discunt equitare, iaculari, sagittare, & in primis vera loqui: disciplinarum magistris continentissimis vtuntur, qui fabulas, deorum laudes, virorúmque illustrium complexas, cum cantu, interdum voce tantùm, ad vitæ institutionem referunt. Aeris sonitu vocati vnum in locum ad hæc discenda pertendunt. Ratio ab his deposcitur eorum, quæ pueri audiuerunt. Decursione vtuntur, duce sibi, quem sequantur, ex principum filijs aliquo ad id lecto: campus quem decurrant, vt minimum triginta habet stadia. Ad æstum & frigus perferendum,

Studia quibus Persarũ pueri instituuntur.

 torrent

torrentium transitu exercentur. In armis & in madidis vestibus perdurant, pascuntur, rusticantur. Fructibus Terebynthi, glandibus, pyris agrestibus vescuntur: quotidianus cibus, post cursum ceteraq; corporis agitationes panis durissimus, cardamum., & salis granum, assae carnes indifferenter, & elixae: aqua potus. Venantur missilibus telis ex equo arcu & sagittis vsi: vtuntur & funda: ante meridiem arbores serunt, radices effodiunt, arma fabricantur, aut lino & retibus student. Pueri auro exornantur, & imprimis delicijs. Pyropus est illis lapis, quem summo in honore habent, & ob id mortuo eum non apponunt: Nec etiam ignem, ob honorem & reuerentiã, quam illi deferunt. A vigesimo anno ad quinquagesimum militant: forensem vsum non norunt, neq; vendunt quicquam, neque emunt. Cetro in Rhombi speciem ad bellum instruuntur, ac praeter pharetram, sagarim & sicas, habent & pileum turritum: squamosum gestant circa pectus thoracem. Principes Anaxyridem triplum habent & tunicam manicatam ad genua demissam: intus candida fultura, exterior pars colore infecta. Amictum aestate purpureum, hyeme varium. Tiaras magorum infulis similes. Vulgus duplici muniuntur tunica, ad media vsque crura demissa: circum caput sindonij veli volumen ingens. Lecti & poculorum ornatus ex auro & argento: de rebus maximis non nisi medio

Persarum victus quotidianus.

Principum Persarũ vestitus.

Vulgi Persici vestitus.

medio potu consultant, eam demum consultationem firmiorem rati, quàm quæ à sobrijs sit inita. Noti inter se, & æquales, osculo se in occursu excipiunt. Qui humiliori sunt fortuna, venientem adorant. Solo sepeliunt corpora, cera oblinentes. Magos insepultos abijciunt, auibus laniandos. Cum matribus instituto quodam peculiari coeunt: & hi ritus moresq; Persarum fuere. Herodotus & alios quosdam habet haud memoratu indignos, vt quòd ridere coram rege, aut spuere nefas duxerint & flagitiosum. Græcos ab his rideri, quibus persuasum esset deos ex hominibus ortos: quicquid nefas esset facere, idem & dicere nefarium arbitrari. Turpe creditum debere, sed omnium turpissimum mentiri. Cadauera non priùs humare, quàm à canibus, aut aliter traherentur: &, quod indecorum sit cæterarum gentium opinione, parentes inopia adacti vulgò filias prostituebant: quanquam Babyloniorum id proprium esset. Hodie Persæ à Sarracenis victi, Mahometiq; delirio imbuti in tenebris agunt: bellica olim gens: vt quæ diu in oriente sit rerum potita, nunc armis desueta, veteri gloria excidit.

De India & Indorum prodigiosis ritibus moribúsque viuendi. CAP. VIII.

India, orientalis regio, Asiæ terminus, tam vasta perhibetur, vt eam tertiam omnium terrarum partem tradant. Pomponius tantum Indiæ magnitudo & descriptio.

litoris occupare scribit, quantum per XL. dies noctésque velificantibus cursus est: appellata à flumine Indo, in quem ab occidentali plaga desinit, à meridionali mari incipiens, adúsque solis ortum porrigitur, & à septemtrione vsque ad montem Caucasum, peruenit: gentes habet multas, & oppidis adeò exculta, vt quidam in ea quinque millia fuisse dicant, nec mirum sit vel de hominum vel de vrbium copia: quum soli Indi nunquam à natali solo recesserint. Fluuios memorabiliores Gangem, Indum, Hypanim: sed omnium maximus Ganges. Terra Fauonij spiritu saluberrima in anno bis metit fruges, vice hyemis Etesias patitur ventos. Vino carent, quamuis non desint, qui hoc quoque Musicarum solum ferre autumant. Nardum fert Australis ora: fert & Cinnamomum, piper, & calamum aromaticum, vt Arabia & Aethiopia. Ebenum arborem sola producit, Psittacum auem, Monoceron bestiam: Beryllis, chrysoprasis, adamantibus, carbunculis, lychnitibus, margaritis, vnionibus, gemmis abundat. Binæ illic æstates, leues auræ, temperies celum, vbertas soli, aquarum abundantia. Centum ob id & triginta annorum æuum eorum quidam, vt Musicani, agunt. Seribus vita aliquanto longior. Indis omnibus est promissa cæsaries, non sine fuco cærulei aut crocei coloris. cultus præcipuus cum gemmis: habitus discrepantissimus, alij laneis, alij lineis pepl

Oppida Indiæ quinq; millia.

Indiæ vbertas diuitiæque admirandæ.

Lõgissima Indis vita.

peplis vestiuntur, pars nudi, pars obscœna tantùm amiculati, plurimi etiam flexibilibus libris circumdati. Niger vulgò corporis color, in materno vtero tales fiunt, seminis dispositione, quales ipsi sunt qui genuere. Genitale semen, vt Aethiopibus, nigrum, statura procera ac valida. in victu frugales sunt, præsertim in castris, nec multa turba gaudent: ornatu plurimo, vt dixi, vtuntur: à furtis magnopere abstinent: legibus vtuntur non scriptis, literas non norunt, sed omnia mer ... administrant, & propter simplicitatem ac vitæ parsimoniam omnia eis prosperè succedunt. Vinum non nisi in sacrificijs bibunt: potum ex oriza conficiunt & hordeo: cibus magna ex parte oriza sorbilis est. In legibus & contractibus maximam simplicitatem esse, vel ex eo argui potest, quòd non multum sunt litigiosi: nam nec commissi nec depositi iura vlla habent, nec testibus indigent, nec sigillis, sed simpliciter credunt: domum frequentiùs incustoditam habent: quæ profectò omnia continentiæ sunt indicia. Cæterùm non facilè quis admittat, vt quòd soli degant, & quòd non vna omnibus & cœnandi & prandendi hora sit, sed vt cuique libitum sit. Nam ad socialem ciuilémq; vitam illa sunt commodatiora. Exercitam præcipuè frictionem probant, & maximè strigilibus. Ebeno arbore corpora expoliunt. In tumulis & sepulturis faciendis perparci. In cultu



Literarum apud Indos nullus vsus.

Potus & cibus Indorum.

Simplicitas rudis affectata.

Frictio corporis probatur.

corporis nimij. Nam & aurum gestant, & lapillis ornantur, & sindonem candidissimam induunt, & vmbellas secum portant: nam pulchritudinem excolentes, omnia faciunt, quæ ad decorandam faciem pertinent: veritatem perinde recipiunt, atque virtutem: ætati senum prærogatiuam nullam tribuunt, nisi prudentia excellant. Multas nuptas habent, quas à parentibus accipiunt pari boum emptas, alias obedientiæ gratia, alias prolis ac voluptatis: & nisi castas esse cogant, fornicari licet. Nemo ex Indis coronatus sacrificat, nec adolet, nec libat. Victimas non iugulant, sed præcluso spiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, sed integrum. Qui falsus testis deprehenditur, extremis decurtatur digitorum articulis. Qui membro aliquo quempiam orbauerit, non modò talionis pœnam subit, sed etiam manu truncatur. Quòd si quis artifici manum oculúmve ademerit, capitale est. Regis corpus emptitiæ mulieres curant, quæ regem custodiunt, & reliquus exercitus manet extra portas. Si qua mulier Regem ebrium occiderit, munus habet, vt cum illius successore iungatur: succedunt autem filij. Regi interdiu dormire non licet, nocte cogitur cubilia per horas mutare, idque propter insidias. Quum in castris non est, sæpe exit: nam & ad iudicium exit, & audit: & si hora est, vt corpus curet, quod strigilum fit perfrictione, simul

Senibus, nisi prudentes sint, honor nullus exhibetur.

Sacrificandi Indorũ ratio.

Regis vita mulieribus apud Indos permissa.

simul & audit, & à tribus perfrictoribus perfricatur: exit etiam ad sacrificia: tertio ad venationem: vbi Bacchico more maxima mulierum caterua circumfunditur: stipatores foris manent, via funibus obtexitur: quod si quis intro ad mulieres praeuaricauerit, capite plectitur: praecedunt eum tympana & tintinnabula. Quum in locis septis venatur, assistunt ei duae trésve mulieres armatae: quum verò in locis non clausis venatur, ab elephante sagittat: mulierum aliquae in curribus sedent, quaedam in equis ac elephantis: quemadmodum & militant, omnibus armis exercitatae, multum profectò à nostris discrepantes. Atque haec etiam à rerum scriptoribus dicuntur, quòd Indi Iouem pluuialem, & Gangem flumen, & indigetes genios colant: & quum eorum Rex capillos abluat, solennia celebrent, & maxima dona mittant, diuitias suas certatim ostendentes. In septem ordines olim diuisa vniuersa gens fuit, quorum primus philosophorum erat, qui caeteris numero pauciores, honore & dignitate apud Reges longè anteibant. Hi ab omni opere immunes neque seruiunt cuiquam, neque imperant: recipiúntque à priuatis ea, quibus sacra diis faciant, & curam habeant defunctorum, tanquam chari dijs: & quae fiant apud inferos praecipuè norint: propterea dona plurima honorésq; eis impenduntur: multum enim prosunt.

Indorum gens in ordines septē diuisa.

Philosoph. quantũ vitæ nostræ prosint.

Indorum vita. Nam anni principio vnà conuenientes, ſiccitates, pluuias, ventos, morbos prædicunt: cateráque, quorum cognitio poßit vtilis eſſe: futura enim audientes cùm populus tum Rex, & futura declinant mala, & bonis futuris imminent. Qui autem philoſophus falſa prædixerit, nullam præterquam quòd perpetuò ſilet, pœnam ſubit. Secundus ordo eſt agricolarum, qui multitudine ſuperantes cæteros, à bello reliquóque opere liberi, ſolis agris colendis tempus impartiunt. Nullus hoſtis eos laceßit neque ſpoliat, ſed exiſtimans illos in communi vtilitate verſari, ab omni iniuria abſtinet, itaq; ſoluti metu agricolæ, terrámque liberè colentes, rerum afferunt vbertatem. Viuunt autem in campis cum vxore & liberis, neque in vrbes commeant: dant Regi (omnis enim India ſubdita eſt Regibus) tributum: nulli priuato licet agros poßidere abſque tributo, quintam quoque fructuum partem regibus impendunt. Tertium ordinem conficiunt omnis generis paſtores, qui neque in ciuitatibus, neque in villis morantur. Vtuntur tabernaculis, venatu, ac retibus: tutas à feris auibusq; regiones reddunt: hoc exercitio Indiam domeſticam præſtant, multis variiſque tum beſtijs, tum auibus ſementi agricolarum infectis copioſam. Quartum locum artifices tenent: quorum pars armis, pars ruſticis inſtrumentis, alij alijs vtilibus rebus fabricandis vacant. Hi nō ſolùm immunes

à trib

à tributo sunt, sed frumentum insuper à regia percipiunt. Quinto ordine milites, sed numero secundi, belli disciplina exercentur: omnis ea multitudo armis debita: tum equi elephantiq; bello apti ex regia victum habent. Sextus est ordo Ephororum: hi quecumque in India aguntur inspicientes regi referunt. Septimo loco existunt, qui publicis consilijs præsunt, numero paucissimi, nobilitate prudentiaq; maximè insignes. Ex his enim ad regum consilia, tum ad rempublicam gerendam, tum ad res dubias iudicandas asciscuntur: duces insuper ex his deliguntur, ac principes. Has in partes Indiæ politia distributa, haudquaquam licet vnius ordinis virum alterius vxorem ducere, neque exercitium mutare. Neque enim fas est militem agrum colere, aut philosophari artificem. Sunt & apud Indos statuti principes, qui iniurias ab aduenis prohibent: si qui eorum infirmentur, conductis medicis curant, defunctosq; sepeliunt, eorum pecunia proximioribus tradita: Iudices causas cognoscunt, sontes diligenter puniunt. Seruilis conditionis apud eos nemo fuit, imò lege quadam sancitum, neminem omnino seruum esse: liberos æquo iure honoréque haberi omneis, qui assuescerent neque præstare ceteris, neque iniuria quenquam afficere, optimè ad omnes fortunæ casus instituisse vitam: stultum sane videri leges æquè omnibus positas, fortunas non æquè

Apud Indos nemo seruilis conditionis.

omnib

omnibus communes esse. Sed quia Indorum gentes multæ sunt, & forma, & lingua, propter latissimum regionis tractum, diversæ, non iisdem, quos descripsimus, moribus æque omnes viuunt, sed quibusdam etiam incultioribus. Eorum qui auroram spectant alij rei pecuariæ deditì sunt, alij non. Item alij in palustribus fluminibus habitantes, crudis vescuntur piscibus: egressi arundineis nauigijs exceptant. Singula autem nauigia è singulis arundinis internodiis fiunt. Isti ex Indo ferunt vestem è tegete, quàm vbi è flumine messuerunt, inciderunt que, plectentes in modum storeæ, tanquam thoracem sibi induunt. His finitimi auroram versus sunt Indi pecuarij, carnibus crudis vescentes, nomine Padæ, qui talibus vti moribus narrantur: Quoties ciuium aliquis, aliquáve ægrotat, virum quidem sui maximè familiares interimunt, quòd dicant illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum: & licet se neget ille ægrotare, at nihilominus isti non ignoscentes necant eum, epulantúrque. Mulieri verò suæ maximè necessariæ idem, quod viro viri, faciunt. Qui autem ad senium peruenit, eo itidem mactato pascuntur. Ideóque tum hac de causa, tum quia in morbis necantur, non multi sanè eorum ad senectutem perueniunt. Est aliorum Indorum hæc diuersa consuetudo, vt nullum animantem interimant, vtque nihil serant, nec domos parandas existiment,

Nauigia Indorum ex arundinum internodiis

Aegrotantes interimuntur & comeduntur

atque

atque herba victitent. Est eis semen quoddam milij instar sua sponte nascens è terra suo in calyce, quod cum ipso calyce lectum coquunt edúntque. Quorum quisque in morbum incidit, is in locum desertum pergit, ibíque decumbit, eius vel decumbentis, vel defuncti curam gerente nemine. Horum etiam omnium, quos iam recensui, Indorum coitus in propatulo est sicut pecorum. Philosophos habent Indi Gymnosophistas, qui, vt Petrarcha scribit, vltimas & vmbrosas regionis partes inco lentes nudi (quod ipsum nomen indicat) ac vagi in solitudinibus philosophabantur, ab ortu Solis ad occasum perstantes: immobilibus oculis orbem candentissimi syderis contuebantur, in globo igneo rimantes secreta quædam: insistebant alternis pedibus toto die feruentibus harenis citra dolorem, & frigora nimium & flammeæ æstus perferebant. Inter quos Brachmana gens fuit, quæ, vt Didymus eius Rex Macedoni Alexandro, qui illam debellare cogitaret, scripsit, pura & simplici vita viuit: nullis rerum illecebris capitur: nihil appetit amplius quam ratio naturæ flagitat: facilis huic alimonia: non quam luxuriæ sagacitas per omnia elementa perquirit, sed quam tellus ferro inuiolata producit. Mensas epulis onerat innocuis. Hinc est quòd genera morborum nec nomina numerat diuersa, sed diuturna salute perfruitur: opem non

Moriendi ritus.

Gymnosophistæ Indorum Philosophi.

Brachmana gens.

prec

precatur alter ab altero, vbi viuitur communiter. Inter pares locus non præbetur inuidiæ, vbi nullus superior est. Omnes diuites facit paupertatis æqualitas. Iudicia non habet, quia corrigenda non faciat. Leges nullas tenet quas crimina nulla proferant: Vna gentis lex est, contra ius non ire naturæ, Quæ laborem nutriat, auaritiam non exerceat, otium turpe deuitat: Libidini membra ad debilitandum non tradit, omnia possidet quæcumq; non cupit. Quòd ferocissima sit pestis cupiditas, quæ solet egenos, quos capit, efficere, dum finem inquirendi non inuenit, sed & magis quo fuerit locupletata mendicat. Sole calescit, rore humectatur, sitim riuo frangit, torum ministrat humus, somnum solicitudo non rumpit, mentem cogitatio non fatigat, in homines sibi similes superbia non agit imperium, nec quenquam vel minima seruitute exigit, præter corpus, quod solum animo famulari debere censet. In exstruendis domibus igne saxa non soluit, nec admixtione pulueris cæmenta duriora conficit: quin potius in defessis telluris speluncis, aut concauis montium latebris habitat: nullos ibi ventorum fremitus, nullius turbinis tempestatem formidat. Tutius se ab imbre defendere speluncam arbitratur, quàm tegulam, cuius geminus est vsus, dum viuat mansionis, sepulturæ quando moriatur. Nullus ibi pretiosus amictus, sed membra papyri tegmine, vel, quod verius, pudore velant

Speluncas Brachmani inhabitant

velantur. Fœminæ non ornantur vt placeant, nec sinunt in augenda pulchritudine plus affectare, quàm nactæ sunt. Ad concubitum non admonet libido, sed sobolis amor. Bella non gerit, sed pacem moribus, non viribus confirmat. Nemo parens filij comitatur exsequias, nulla exstruit instar templorum sepulchra defunctis, nec in gemmatis vrnis funera combusta recondit, quod non honoris esse ducat, sed pœnæ. Pestilentiam aut alios corporis morbos, vt dictum est, Brachmani non patiuntur, quòd fœdis actibus cœlum non temerant; sed semper apud eos tenet natura cum temporibus concordiam: & vices suas elementa inoffensa custodiunt. Medicinæ remedium parsimonia est, quæ non solùm illapsos potest curare dolores, sed etiam procurare ne veniant. Nulla ludicra spectacula affectant, sed theatrum spectare quum volunt, gestorum monumenta relegunt, quæ quum sint maxime ridenda, deflent. Non in fabulis anilibus (vt multi) delectantur, sed in pulcherrima mundialis machinæ, & rerum naturalium dispositione. Mercandi gratia pontum classibus non nauigant. Artem bene loquendi non discunt. Simplex est apud illos eloquentia, communisq; omnibus, solum præcipiens, nō mentiri: forum scholasq; minime frequentant, quorum doctrina discors, stabile nihil certúmque diffinit. In honestate vna gentis pars, alia in voluptate bonum constituit. In cultum diuinum

Parsimonia morborum omniū curatio.

Religio Brachmanorū.

immo

innocuas pecudes non mactant, dicentes Deum sacra sanguine pollutorum non accipere: cultum potiùs deligere incruentum, verbo propitiari orantium, quod solum ei hoc cum homine est, sua ergò similitudine delectari. In Cathæis Indis muliæ vxores in vnius viri coeunt matrimonium: & is vbi vita discesserit, apud grauissimos iudices suam quæque de meritis agunt causam: & quæ officiosior præ cæteris viro chariórque fuisse iudicantium sententia comprobatur, illa in habitu ornatuq;, quo cultiùs se exornare potest, victrix & lætabunda rogum ascendit, ac iuxta mariti cadauer accubat, amplexans illud & deosculans, suppositis ignibus pudicitiæ laude contemptis, cum coniuge defuncto concrematur: cæteræ cum nota & dedecore viuunt. Liberi ab incunte ætate non parentum arbitrio tolluntur, sed eorum quibus id negotium publicè iniungitur. Tenerorum infantium illi habitum inspiciunt: ac si qui segnes ab initio, aut parte aliqua corporis debiles deprehenduntur, necari iubent. Connubia non opibus & nobilitate, sed formæ præstantia conciliant inter se, liberorum magis quàm voluptatis causa. Consuetudo & apud Indos quibusdam hæc est, vt qui filias præ inopia locare non possint, in ipso ætatis flore, cum tuba & classicis, quibus bellica significari solent, in forum producant, tum multitudine conuocata puella accedenti primum

Cathæi Indi. vxores multas habent.

Vxorũ charissima cum defuncto viro crematur.

mùm posteriora humero tenus detegit, postea anteriora: quæ quum placita fuerit, & approbata, quibuscumque videtur illa nubit. Megasthenes per diuersis Indiæ montes nationes esse scribit capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantùm sonantes asperis rictibus. Gangis fontem qui accolunt, nullius ad escam opus indigent, odore viuunt pomorum syluestrium, longiusq; pergentes eadem illo in præsidio gerunt, vt olfactu alantur: quòd si tetriorem forte spiritum traxerint, exanimari eos certum est, & illorum aliquos in Alexandri castris fuisse memoriæ traditum est. Legimus monoculos quoque in India esse: Quosdam etiam tam insigniter auritos, vt aures ad pedes defluant, atq; in alterutram earum decubent, quarum duritie arbores conuellant. Quosdam item singulis pedibus, & adeò latis quidem, vt vbi se defendi à calore velint, resupinati his totaliter inumbrentur. Apud Ctesiam legitur quasdam fæminas ibi semel tantùm parere, natósque canos illico fieri. Esse rursus gentem alteram quæ in iuuenta sit cana, nigrescat in senectute, vltra æui nostri terminos perennantem. Esse etiam perhibent alteram fæminarum gentem, quæ quinquennes concipiant, sed vltra octauum annum viuendi spatia non protrahere. Sunt qui ceruicibus carent, & in humeris

Mõstruosæ Indiæ gentes.

Cynocephali in India.

Homines odore solo viuentes.

Monoculi in India.

Monopedes in India.

Mulieres quinquénes cõcipientes.

meris habent oculos. Sunt præter eos iam enumeratos sylvestres quidam homines caninis capitibus hirto & aspero corpore, stridore terrifico. Sed hæc & alia id genus, quæ de India & gente eius memorantur, quoniam magna est opus fide, ut pro veris recipiantur, quam ne in ijs quidem, quæ sunt penè oculis admota, nisi grauatè adhibent, qui aliena legunt scripta, parcius sunt referenda. Cathaini hodie eam Indiæ partem, quæ inter Gedrosiam Indumq; fluuium sita est, atque ab his modò Cathainum appellatur, inhabitant. Scythicum genus hominum, & in quibus magna morum mutatio facta videri possit, si vera sunt quæ Armenius Aitonus de illis prodidit in historia: Sagacissimi sunt, inquit, aiuntque se solos hominum duobus luminibus cernere, cæteros mortales aut cæcos esse, aut altero oculo captos: magnum ingenij acumen, sed iactantia maior. Persuasum est vniuersæ genti, se cæteris mortalibus artium subtilitate & scientia longè antecellere. Candidum genus hominum, paruus oculus, natura imberbes: literis vtuntur Romanis quadratura similibus, alij alio superstitionis aguntur delirio. Cæterùm omnes veræ pietatis expertes, Solem adorant hi, illi Lunam, quidam fusiles statuas, nonnulli bouem: variáque per hæc monstra sparsa est gentis superstitio. Non scriptas leges, non fidem norunt vllam: & quum in opificiis mirum sit gentis acumen

Cathainorũ mores.

Sagacissimi mortalium Cathaini.

Homines natura imberbes.

Cathainorũ religio.

acumen, nulla tamen his rerum diuinarum notitia. Timidum genus hominum, mortémque formidans: gerunt tamen bella magis ingeniosè, quàm fortiter: sagittis in pugna vtuntur, telorúmque generibus, quibusdam hominibus aliarum gentium minimè notis: papyracea moneta in vsu, quadrata forma, & in ea regis imagine expressa, quæ si vetustate obliterari cœperit, obsoletam cum recentiùs impressa in regia commutant. Supellex ex auro & argento, cæterisque metallis: olei inopia insignis, hoc reges duntaxat vnguenti loco vtuntur. Et de Indis hactenus. nunc de Scythis, qui sunt Indiæ contermini, dicendum. Moneta papyracea in vsu.

De Scythia Scytharúmq; feris moribus.

CAP. IX.

SCythia, regio Septemtrionalis à Scytha Herculis filio, vt tradit Herodotus, dicta. vel, vt Berosus: à quodam alio ex Araxe prisca, quæ Noæ coniux fuit, genito indigena Scythiæ. Hi olim à primordio paruam patriam possidebant: postmodo paulatim per virtutem & vires aucti, quum regiones multas sibi subdidissent, in magnum imperium gloriámque peruenere. Ea primùm natio iuxta Araxim flumen parua numero, propter ignobilitatem contempta consedit: nacti regem quendam bellicosum, & militari virtute præcipuum, agros ampliarunt. Montanos quidem vsque ad Cau- Scythiæ appellatio.

casum, campestres verò vsque ad oceanum & Meotida paludem, aliaq; loca ad Tanaim vsque flumen, à quo Scythia ipsa longo tractu versus ortum protensa Imao monte per medium velut in duas Scythias dimiditur, quarum vna Scythia intra Imaum montem dicitur, altera extra: ab alieno imperio aut intacti aut inuicti Scythæ semper manserunt. Darium, Persarum regem, turpi à Scythia submouêre fuga. Cyrum cum omni exercitu trucidarunt. Alexandri magni ducem cum copijs vniuersis deleuerunt. Romanorum audiuere, non sensêre arma: gens & laboribus & bellis aspera, vires corporum immensæ. Hæc inter se olim discreta non erat, vtpote quæ neque agrum coleret, neque tectum sedésve haberet vllas: per solitudines & inculta vagabatur loca, armenta pecoráque præ se agens: coniuges & liberi plaustris vehebantur: legibus nulli obnoxia, iustitiam sponte colebat. nullum furto grauius in tota gente flagitium fuit, vt quæ non parietibus aut septis armentum circumdat, sed in propatulo habeat. Nullius ipsi aut auri, aut argenti vsus. Lac & mel in cibatu frequens: contra frigora & rigores ferinis pellibus murinisq; corpora communibat. Laneus vsus ac vestium ignotus genti. Erat is sanè viuendi ritus frequens Scythis, sed non omnibus: plerique eorum, vt loco plurimùm distantes, sic ab inuicem vita diuersi, veluti peculiares

Scythæ semper inuicti permanserunt.

inter

inter se fouebant mores: de quibus postea dicemus, vbi adhuc communes quosdam dixerimus. Gaudent Scytharum plures humana cæde. quem primum virum in bello vir Scytha ceperit, eius sanguinem potat: quoscumque in prælio interimerit, eorum capita regi offert: nam capite ablato fit prædæ, quamcunque ceperit, particeps, alioquin expers. Caput hoc modo præcidit, in orbem illud amputat circa aures, verticéque sumpto excutit, deinde pellem detrahit, & vbi, sicut bouis corium, manibus molliuit, tanquam mantile possidet, eáque ad habenas equi sui appensa gloriatur: qualia mantilia vt quisque plurima habet, ita vir præstantissimus iudicatur. Multi etiam sunt, qui coria hæc humana, tanquam brutorum, consuunt, quibus pro amiculis induantur. Cæsorum hostium manus dextras cum vnguibus excoriant quidam, atque cum ijs pharetrarum opercula obducunt. Nonnulli totos homines excoriant, & coria super ligna extenta supra equos circumferunt. Capita dicto modo excisa exterius crudo bouis corio superducunt, interius inaurant etiam, qui ditiores sunt, & pro poculis vtuntur.: hospitibus, qui ad eos veniunt, viri alicuius existimationis exhibent, referúntque illos à se esse superatos, id strenuitatis loco tenentes. Semel quotannis singuli regionum principes vinum crateri miscent, de quo Scythæ omnes

Homicidio Scythæ gaudent.

Humana coria pro amiculis cinnantur.

Ossa capitis humani Scythis pocula præbent.

hostium homicidæ bibunt, nemo gustat, qui nihil præclari operis ediderit, sed sine honore seorsum sedet: quæ res apud eos maxima est ignominia: qui verò complures cædes fecerunt, hi duobus pariter, quos habent, calicibus potant.

Dii Scytharum & religio.

Deos hos solum propitiantur & colunt, Vestam ante omnes, deinde Iouem ac Tellurem, existimantes Tellurem Iouis coniugem esse: post hos Apollinem, & cælestem Venerem, Martem & Herculem: nulli tamen ex ijs simulacra, aras & delubra facienda putant, præterquam Marti, cui ex captiuis centesimum quemq; immolant, cæteris tum alia pecora, tum præcipuè equos: sues pro nihilo putant, quos nec alere omnino in sua regione volunt. Rex in quos morte animaduertit, eorum ne liberos quidem relinquit, sed vniuersos mares interficit, fœminis nihil læsis.

Ineundi fœderis forma apud Scythas.

Fœdera cum quibuscumq; ineunt Scythæ, hoc modo: Infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem, qui fœdus feriunt, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, iaculum: hæc vbi fecerunt, sese multis verbis deuouent, postea vinum epotant non modò hi, qui fœdus fecerunt, sed etiam comites hi, qui sunt maximæ dignitatis.

Pompa in regio funere.

Regum sepulchra apud Gerros sunt, vbi Borysthenes iam nauigabilis est. Ibi quum rex eorum decessit, ingentem scrobem effodiunt, forma quadrata, dehinc margum

tuum accipiunt, corpore incerato, aluo euulsa atque expurgata, quam silere contuso & thymiamate, apijq; semine & anisi quum expleuerunt, resuunt rursus, impositumque plaustro cadauer ad aliam gentem ferunt, quod qui excipiunt, eadem agunt. Sed regij Scythæ aurem decidunt, crinem circumtundunt, brachia circumcidunt, frontem nasúmque consauciant, sinistram manum sagittis traijciunt: postmodo cadauer ad aliam gentem, cui imperitant, ferunt, quæ ipsos comitatur ad eos vndè primum venerant. Vbi iam mortuum circumferentes singulas gentes lustrauerunt, quibus imperitauit, apud eos deponunt, qui in extremis habitant, & in sepulchris: ij postquam illum super torum in loculo constituere, hastis hinc atque illinc defixis, desuper ligna disponunt, atque pallio contegunt: deinde vbi in reliqua loculi spatiositate pellicum vna omnium charissima, minister vnus, coquus, agaso, viator, pincerna, equus, strangulati sunt cum aureis phialis, aliarúmque rerum omnium primitijs consepeliunt: circum acto anno hoc iterum agunt: è famulis regis intimos sumunt. Sunt autem famuli regum ingenui Scytæ, & quos ipse rex iusserit, nam nullus venalitius regi ministrat: horum ministrorum quinquaginta vbi strangulauerunt, ac totidem præstantissimos equos, eductis intestini pallijsq; rursus distentis atque consu-

Regij Scythæ.

Cum rege intimi famuli sæpe liūtūr quinquaginta.

tis : per ambitum regij sepulchri fornicato opere equos & super eos famulos insidentes erigunt, ac ita statuunt, vt procul aspicienti equitatus speciem, defunctum regem custodientis, prabeant. Et talis regum humatio est, & sepultura. Priuatorū Scytharum humatio. *Habent & priuati morem quendam in sepeliendo: nam vbi quis decesserit, proximi quinque in plaustrum collocatum ad amicos circumferunt, eos singuli amicorum excipientes epulum præbent, tam propinquis, quàm cæteris cadauer comitantibus : ad hunc modum quadraginta diebus circumactum, dehinc humatur, capite priùs exinanito, atque abluto : supra corpus tria ligna statuunt mutuò inclinata, circa quæ pretendunt lanea pilea, quàm maximè possunt constipantes, & in scapham in medio lignorum pileorúmque positam lapides conijciunt ex igne perspicuos.* Lauandi mirabilis ritus. *Viri Scythæ non lauantur, sed vxores eorum infundentes aquam corpora ad lapidem aliquem scabrum conterunt, cypresso, cedro, aut thuris ligno: deinde perfrictum corpus, quum intumuerit, illud, faciemq; medicamentis oblinunt. Id eas simul bene olentes facit : ac postero die medicamentis amoris mundas & splendidas. Iurandi insiurandúmque interponendi ipsis per regium solium mos est : quo si quis periurasse à diuinatoribus, qui hoc salignis virgis experiuntur, conuincitur, sine mora capitis pœnam subit, atque facultates omnes amittit, quas accipiunt*

cipiunt qui illum periurasse probauerunt. Massagetæ populi Scythiæ in Asia vltra mare Caspium vestitu & victu Scythis perquam similes, quò fit, vt Scythæ à plerisq; creduntur, ex equis pugnant, & pedibus: vtroque pugnæ genere pene inuicti: sagittis, hasta, sangari, (sic enim ferrum, quò vulgò accincti sunt, dicitur:) auro in balteis, & capitis ac axillarum ornatu vtuntur: aureos thoraces equorum pectoribus inducunt. Ex auro fræna & phaleras conficiunt, æreas cúspides hastis præfigunt, ære pharetras muniunt. Ferri & argenti nullus apud eos vsus. Singuli vxorem ducunt, eaq; communiter vtuntur, idq; Scytharum soli faciunt, si Scythæ habendi sunt. Quoties aliquis mulieris libidine capitur, suspensa ad plaustrum pharetra cum ea sine pudore concumbit. Terminus vitæ nullus genti præfinitus: vbi quis admodum consenuit, eum propinqui & necessarij in vnum coëuntes cum ouibus aliquot immolant, & carnibus pro epulo, vbi decoxerunt, indifferenter vescuntur: quod genus obitus apud eos beatißimum habetur. Languore exstinctos non edunt, sed terra operiunt, loco damnis putantes, quòd ad immolationem non venerunt. Nihil omnino serunt, pecoribus victitant, & piscibus, quos Araxes abundè suppeditat: lac plurimum potant. Ex Dijs vnum Solem venerantur, cui equos immolant, vt pernicißimo

Massagetæ & mores eorum.

ſyderi è pecoribus omnibus perniciſsimum maſtent. Seres mites inter ſe & quietiſsimi omnium, mortalium cætus fugiunt, adeo vt cæterarum gentium commercia abnuant: primùm eorum fluuium mercatores tranſeunt, in cuius ripis nullo inter partes commercio, ſed diſpoſito rerum pretio, oculis æſtimantibus ſua tradunt, non emunt noſtra. apud illos neq; meretrix neq; adultera neq; fur ad iudicium deducitur, neque occiſus homo fertur ibi aliquando: ſed eſt apud eos legũ ſuarum metus vehementior, quàm generis conſtellatio. In initio orbis terræ habitãt: quia caſtè viuant, nec ærugine, nec grandine, aut peſtilentia cæteriſve malis affliguntur. Fœmina poſtquam conceperit à nemine petitur, neque quum purgatur: carnibus immundis nemo veſcitur, ſacrificia nulla nouit, ſecundùm iuſtitiam omnes ſibiipſis iudices ſunt. Ideo non caſtigantur huiuſmodi plagis, quæ pro peccatis accidere ſolent, ſed plurimum temporis perdurantes, abſque ægritudine vitam finiunt. Tauroſcythæ à monte Tauro, circa quem habitant, Virgini naufragos immolant, & quoſcumque Græcos illuc delatos, hoc modo: poſtquam preces peregerint, hominis caput claua feriunt, truncum eius quidam aiunt deturbari è rupe, nam in rupe prærupta templum eſt eorum ſitum: cruci adfigunt caput: quidam de capite ſuffigendo conſentiunt, ſed truncum è præcipitio deijci negant, ſed humo contegi dicunt.

Seres omnium quietiſſimi, ſanctiſſimique.

Nullis calamitatibus affliguntur Seres.

Græcos Tauroſcythæ Iphigeniæ immolant.

Damon

Dæmonem, cui immolant, aiunt esse Iphigeniam Agamemnonis filiam. In hostes, quos ceperint, hoc agunt: amputatum quisque hostis caput domum portat, & fusti suffixum admodum sublime supra tecta statuit, & plerumque supra fumarium: Ideo in sublimi locantes, quòd dicant eos totius domus esse custodes. Viuunt autem è rapto & ex bello. At Agathyrsi excultissimi viri sunt, & aurum plerumq; gestantes in commune cum mulieribus coëunt, vt inter se germani sint ac domestici omnes: nihil neque liuoris, neque simultatis mutuò exercentes: cæterùm ad Thracum similitudinem accedentes. Neuri Scythicis vtuntur moribus, qui, vna ante Darij expeditionem æstate, coacti fuerant, propter serpentium multitudinem in ipsorum solo procreatam, terram mutare: sibi persuadent, dicerautes se quotannis ad dies aliquot lupos fieri, & rursus in pristinum habitum & formam redire. Anthropophagi, id est, humanæ carnis comestores, agrestissimos omnium hominum mores habent, non iudicijs, non legibus vllis vtentes, rem pecuariam exercent: vestem Scythicæ similem gestant: linguam propriam habent. Melanchlæni omnes indumenta nigra gerunt, vnde & cognomentum habent, qui soli ex his humana carne vescuntur, institutis Scythicis vtentes. Budini ingens natio atque numerosa, cæsijs oculis omnis ac rufa.

Hostium capita supra domorū tecta figuntur

Neuri quotannis dies aliquot lupi fiunt.

ἀνθρωποφάγοι omniū hominum agrestissimi

Melanchlæni nigra omnes indumenta gerunt.

Gelonus vrbs, à qua & Geloni dicuntur, gentis caput est. Libero Trieterica, id est, triennalia agunt, & Bacchanalia exercent. Græci quondam fuere, sed summoti, ibi consederunt. Lingua adhuc partim Scythica, partim Græca vtentes. Sunt tamen Budini à Gelonis, & lingua, & vita dispares. Nam quum indigenæ sint, pecuariæ operam dant, solique eius regionis pedunculos edunt. Geloni agriculturæ operam dantes, frumento victitant, & hortos possident, nihil illis neque aspectu, neque colore similes: horum regio omnis est arboribus frequens ex lacu, qui ibi etiam ingens est, & multus: Lutras capiunt, castores, aliásque multas feras, ex quarum pellibus renones faciunt, atque induunt. Lyrcæ è venatione victitant hoc modo, conscensis arboribus, quæ & per omnem eorum regionem frequentes sunt, feris insidiantur: singulis adest canis & item equus in ventrem cubare edoctus humilitas subsidendi gratia: vbi quis ab arbore feram viderit, sagittáque percusserit, conscenso equo illam persequitur, comitante cane. Argyppæi sub excelsorum montium radicibus incolunt, homines, qui ab ipso natali calui sunt, mares pariter & fœminæ, simis quoque naribus, & ingenti mento, proprio quodam oris sono. Scythicam gestantes vestem, ex arboribus victitantes, rei pecuariæ haud studem: vnde eis pecorum non multum est. Sub arbore quisque

Budini pedunculos præmordent.

Lyrcæ è venatu victitant.

Argyppæi natura calui.

cubat:

cubat : per hyemem quidem vbi arborem pileo albo firmóque contexerint, per æstatem verò sine hoc pileo. his nemo mortalium iniuriam infert. Sacri enim dicuntur esse, nihil martiorum armorum possident. Iidem finitimorum controuersias dirimunt : ad quos quisque confugit, is à nemine læditur. Issedones talibus moribus vti feruntur, quoties pater alicui decessit, omnes eius propinqui pecora adducunt, quæ vbi mactauerunt, conciderúntque, concidunt & mortuum patrem illius, à quo in conuiuium accipiuntur, commixtiq; omnibus carnibus conuiuium exhibent. Caput tum defuncti denudatum purgatúmque inaurant, eóque pro simulacro vtuntur : agentes illi quotannis maiores hostias ceremoniásque : hæc filius patri, pater filio facit, quemadmodum Græci natalitia. dicuntur præterea & isti iusti esse : & ipsarum vxores peræquè fortes ac viri. & tales olim fuere Scytharum mores, à Tartaris posteà subacti, & illorum viuendi instituta complexi, Tartarorum more viuunt: Tartariq; vno nomine vocantur.

Hominés opinione sacri.

Issedones parentes defunctos comedunt.

Anniuersariæ parentationes.

De Tartaria, gentísque Tartarorum moribus & potentia. CAP. X.

T*Artaria, quæ & Mongal dicitur, vt Vincentius scribit, in ea terræ parte sita est, vbi oriens Aquiloni coniungitur : ab oriente Xathæorum ac Solangorum terrā habuit à meri-*

Tartariæ situs & termini.

die Sarracenorum, ab occidente Naymanorum, ab aquilone oceano circumdata. Tartariæ appellatio. *Tartaria à fluuio Tartar, qui per eam currit, appellata. Regio plurimùm montosa, vbi campestris est, admixta glarea arenosa est, sterilis nisi aquis fluuialibus, quæ tamen rarissimæ sunt, irrigetur: & ob hanc etiam causam multum deserta & infrequens est: ciuitates in ea nullæ, nullæ villæ, præter vnam, quæ Cracuris dicitur. Lignis* Boum & equorũ stercore ignes fouentur. *in plerisque locis adeò inops, vt arido boum & equorum stercore incolæ ipsi ignes fouere atque cibaria decoquere cogantur. Aër & cælum intemperatum & mirificum, tonitrua & fulgura in æstate adeò horrenda, vt præ timore homines intereant, iam calor magnus est, mox frigus & densissimæ niues cadunt: ventorum frequenter tam validi flatus, vt equitantes detineant, & ad terram homines deijciant, arbores radicitus euertant, & multa damna inferant. In hyeme ibi nunquàm pluit, in æstate frequenter, sed adeò parcè vt vix terra madefiat.* Tartaria pecorũ diues. *Regio alioquin omnium animalium diues, in camelis, bobus, &c. Iumenta & equos in tanta copia & multitudine, quantum non* Quatuor Tartariæ populi. *credimus reliquum mundi habere. A quatuor ab initio populis habitabatur: vnus Iecchamongal, id est, magni Mongali dicebantur. Secundus Sumongal, id est, aquatici Mongali. Et illi sese etiam à Tartar fluuio, iuxta quem habitabant, Tartaros appellabant. Ter-*

tius

tius Merchat vocabatur. Quartus Metrit. Omnes vnam corporis formam, vnam linguam habebant. Feros ab initio cultus, sine moribus, sine lege, sine vllo vitæ cultu, armenta pascere, obscuri nominis inter Scythas, finitimorum vectigales. Mox gens ipsa in plures velut tribus diuisa est, cœpitq; sub ducibus agitare, penes quos erat totius rei summa, pendere tamen nihilominus Naymanis vicinis accolis tributum. Quum Canguista oraculo quodam primus est Rex ab ijs creatus, is recepto Imperio primum omnium malorum dæmonum cultum abrogauit, edictóque præcepit, vt tota gens Deum optimum maximum coleret, cuius prouidentia regnum credi voluit à se receptum. Edictum est deinde, vt quicumque per ætatem arma ferre possent, ad certum diem regi præsto adessent. Estq; militaris multitudo in hunc modum distributa, vt decuriones centurionibus parerent, centuriones chiliarchis, chiliarchi myriadum præfectis. Inde ad periclitandas Imperij vires septem principum (ex ijs, qui vniuersæ genti ante constitutum regnum præfuerant) filios parentum manu iussit interfici, facessunt illi imperium, etsi acerbum & atrox, cùm multitudinis metu, tum religionis adacti: credere enim vulgo cæli numen eiusmodi regni initijs interfuisse, non regem, sed Deum ipsum violari arbitrantes, si illius dicto minus obtemperassent. His fretus opibus

Vetustiores Tartarorũ mores.

Canguista primus Tartarorũ rex.

Militiæ ordinatio.

Canguista

Canguista primùm finitimos Scythas bello subegit, subiectos vestigales fecit, & cum his eos quibus ipsi ad id tempus tributum pependerant. Inde remotiores populos aggressus tam prosperè, támque feliciter à Scythia ad solis vsque ortum, & ab ortu solis ad mediterraneum mare, & vltra, armis suis omnia regna, gentes, & nationes subegit, vt meritò iam totius orientis dominum & Imperatorem scribant. Sunt autem Tartari omnium hominum deformissimi corpore, vt plurimum parui, oculos habent grossos & prominentes, multum coopertos palpebris, itá vt valdè parua est apertura in eis: latas habent facies & imberbes excepto quòd in superiori labro, & mento raros habeant pilos & volatiles: graciles sunt in medio communiter omnes: radunt caput per verticem ab aure vna ad aliam in occipitium, ita vt rasura illa barbati formam prætendat: capillos in reliqua parte, quemadmodum mulieres nostræ, longos nutriunt, de quibus duas tricas, siue chordas faciunt, & vtramque retro aures colligunt: quo more non Tartari solùm raduntur, sed quæcumque gentes eis commorantur. Ipsi porrò leues sunt & agiles, boni equites, pedites mali: nullus pedes vadit, omnes & minimi etiam aut equis aut bobus insident, quocumque sit eundum: equitant etiam mulieres, equis vtuntur castratis, & qui non feriunt: fræna plurimo auro,

Tartarorũ corporis forma.

Equis Tartari munia omnia obeunt.

auro, plurimo argento, & gemmis exculta sunt: campanulas admodum resonantes ex equi collo pendentes gestare gloriosum. Sermone horrido sunt & clamoroso, cantantes luporum more vlulant: caput quatiunt quando bibunt: bibunt autem quam sæpissime & ad ebrietatem, quæ apud eos gloria est. Non in villis aut vrbibus, sed in campo veterum Scytharum ritu sub tabernaculis habitant: pastores enim sunt plerique omnes. In hyeme manere in planitie solent, in æstate verò pascuorum vbertatem sectantes in montibus degunt. Stationes in tentorij modum aut ex virgultis contexunt, aut filtro læuigatis lignis sustentos in medio rotundam fenestram faciunt, quæ lucem præbeat, & fumum emittat: ignem in medio habent, iuxta quem liberi & vxores versantur. Sagittationibus, iactationibusque viri gaudent: venatores mirabiles sunt: cataphracti ad venandum pergunt, feram conspicientes corona circumstant, & tunc sagittis, quas quisque in illam misit, præpeditā capiunt. Panem non habent, nec pinsunt: mappis non vtuntur, non mantilibus. Vnum Deum credunt, & ipsum omnium esse tam visibilium, quàm inuisibilium factorem: non tamen aliqua ceremonia aut ritu colunt; sed potius idola quædam de filtro aut serico ad hominis formam effigiata, ex vtraq; tentorij parte constituentes pecorum suorum custodes esse precantur, atque

Habitatio Tartarorũ.

Venandi ritus.

Religio Tartarorum.

plurim

plurimum reuerentia exhibent: his primùm lac omnis iumenti ac pecoris offerunt: & antequam quicquam vel bibere, vel comedere incipiunt partem apponunt: quodcumque animal ad esum mactant, illius cor in scypho per integram noctem appositum mane coquunt, & comedunt. Venerantur etiam & sacra faciunt Soli, Lunæ, & quatuor elementis. Chaam præterea Regem & Dominum suum filium Dei existimantes, religiosissimè adorant, sacrificant, & tantum illi tribuunt, vt digniorem in toto mundo non esse credant, nec aliquem alium nominare patiuntur. Cæteros homines adeò hæc gens contemnit, & se prudentia & bonitate excellere putat, vt alloqui fastidiat & à se explodat. Papam Christianósque cunctos canes appellant, & idololatras, quòd lapides & ligna adorent. Ipsi maleficiis artibus intenti somnia obseruant: Magos habent, qui ea ipsis interpretentur, & ab idolis responsa petant, & accipiant. Deum enim cum illis loqui persuasum habent, & propterea ex oraculo vniuersa faciunt. Tempus, & præsertim lunationes, obseruant: nullum tamen præ alio aut singulari festiuitate aut abstinentia colunt, æqualiter omnes habent. Tantæ auaritiæ & cupiditatis sunt, vt vbi quispiam aliquid viderit quoad habere desiderat, si illo potiri cum voluntate possessoris non possit, dummodo Tartari non sit, vi rapit, ex præcepto & instituto Regum licere

Chaam regem filium Dei credentes Tartari adorant.

Auaritia Tartarorũ insatianda.

licere arbitrantes. Quum tale mandatum à Canguista, Chaamq; primis regibus habeant, quòd quicumque Tartarus, aut etiam Tartari seruus, equum, hominem, siue virum, siue mulierem in via reperiri, literas aut conductum regium non habentem, eum sibi véndicet, & pro suo perpetuo vtatur. Pecunias indigentibus commutant, sed pro grandi & intolerabili vsura, vnum denarium de decem singulis mensibus accipientes, & de vsura vsuram, si dilata fuerit. Tributarios suos tantis tributis, tantis exactionibus molestant & aggrauant, quantis nullæ aliæ gentes vnquam suos exercuisse leguntur. Incredibile relatu est: cupiunt semper, & vt domini omnium extorquent, nihil retribuunt. Mendicantibus eleemosynam etiam denegant. In hoc laudantur, quod prandio aut cœnæ superuenientes volentes comedere non excludunt aut repellunt, sed inuitant, & quibus vescuntur misericorditer communicant. Victus autem immundissimi sunt, vtpote qui mensas, vt dictum est, mantilibus non operiant, manutergijs non vtantur, quum manus non lauent, non corpus, non vestimenta: panem neq; edant, neque conficiant: olera non edant, non legumina, sed tantum modo omnium animantium carnes. Canum etiam & cattorum, equorum ac grandiusculorum murium. Captorum inimicorum corpora, ad crudelitatem suam ostentãdam, & vindicandi desiderium, ad ignem

Vsurarij Tartari.

Crudelitas Tartarorũ insignis.

quando

quandoque assant, & vbi plurimi comestûri conuenere, dentibus (luporum ad instar) dilaniant, atque absumunt: eorum sanguinem etiam ad hoc priùs collectum crateru infusum epotant. Lac iumentinum aliàs ipsis potus est. Vinum apud eos non nascitur: aduectum, sicut cæteri homines, auidissimè bibunt: alter alterius pedunculos comedunt de capite vel aliunde extrahentes, & dicunt, Sic inimicis nostris faciam. Scelus magnum habetur si cibi aliquid aut potus perire permittitur. Ideóque ossa, nisi medulla priùs excepta sit, canibus nequaquam proijciunt. Nullum animal ex nimia tenacitate comedunt & absumunt integrum & sanum, sed quando mutilatum fuerit, cœperitq; iam aut senectute, aut aliqua alia pernicie languescere. Multum frugales sunt, & in paucis minimísque contenti, bibunt mane vnum vel duos scyphos lactis, & interdum toto die aliud nihil bibunt aut comedũt. Vestitu tam viri quam mulieres ferè vno induuntur: viri mitris caput obtegunt non multùm profundis, obtusis antè, retrò caudatis, vnius palmi longitudine, pari latitudine: quæ vt capiti adhæreant, & ne à vento quidem deturbentur, iuxta aures insutas fascias habent, quibus sub mento connectuntur. Fœminæ coniugatæ canistro quodam rotundo teguntur, vnius pedis & semis longitudine, in summitate instar dolij plano, diuersicolori serico, aut pictis pauonum plumis

Vestitus Tartarorũ.

circum

circumornato, gemmis adhæc & plurimo auro, cætero corpore, vt quæque diues est, ita vestiuntur: potentiores purpura & serico, quemadmodum earum viri. Tunicas portant miro modo formatas, fissura earum in sinistro latere, à quo induuntur & exuuntur: nodulos quatuor aut quinque habet, quibus clauditur: vestimenta, quæ in æstate gerunt, nigra sunt communiter omnia: quæ in hyeme, pluuiosisq; temporibus, alba: infra genua non descendunt: pellicæis vestibus, quibus maximè vtuntur, pilos non occultant, & carni applicant, vt nos, sed corium, pilos propter decorem videndos præbent. Virgines à non coniugatis, ac illæ à viris discerni facilè nequeunt, quòd indiscreto ferè omnes à viris & habitu & gestu sint. Femoralibus æquè omnes vtuntur. Bellum inituri brachia, quæ nuda habent, quidam ferreis laminis circumdant, corrigijs quibusdam concatenatis, quidam multiplicato corio, quo etiam caput obmuniunt. Scutis vti nesciunt, pauci quoque lanceis, & longioribus gladijs. Enses habent, brachiali longitudine ab vna parte fastigiatos, quibus pugnantes à latere percutiunt. Equites sunt agiles, sagittandíque scientissimi. Is omnium fortissimus censetur, qui & imperij obseruantissimus est: sine stipendio militant, gens in prælijs & rebus gerendis solers, & ad omnia momenta rerum, imperiúmque obeundum præstò. Duces

Vnus pene virorum & mulierũ habitus.

Bellica Tartarorum arma.

& principes bellum non intrant, sed procul stantes, suos acclamant, hortantúrque, & quid facto opus sit diligenter prospiciunt. Liberos, vxores, & aliquando hominum imagines equis impositas exercitus addunt, vt maior, ac hosti terribilior magis appareat. Nec fuga turpis si conducibilis sit, aut necessaria. Sagittaturi dextrum brachium ab armatura exuunt: & tanta vi postmodum sagittas excutiunt, vt nullum armorum genus sit illis non penetrabile. Turmatim pugnam capessunt, turmatim fugiunt, vulnifico sagittarum iactu sequentem à tergo hostem conficientes. Inde pugnantium paucitatem conspicati subitò in pugnam redeunt, homines, equósque sagittantes vulnerant, ac tum maximè vincunt quum victi creduntur. Quum regionem aliquam inuadere veniunt, diuiso exercitu ab omni parte inuadunt, vt eis occurri non poßit, ac nemo incolarum effugere: ita victoriam semper in manibus habent. Illa superbißimè vtuntur, capto nulli parcentes, non pueris, non mulieribus, non senibus, omnes promiscuè occidunt, præter artifices, quos ad opera sua reseruant: occidendos per centuriones diuidunt, seruo cuique ad interficiendos decem, plures, vel pauciores, prout numerus fert, aßignantes: quibus omnibus bipenni, vt sues, mactatis, cæteris in terrorem hoc agunt: quemque millesimum accipiunt, & capite subuerso, pedibus ad stipitem

Stratagema Tartarorũ.

stipitem in medio cæsorum erectum ita suspendunt, vt suos adhuc admonere & audire videatur, plerique adiacentium corpora ipsa procedentes è recentibus vulneribus emanantem sanguinem ore excipiunt, & ingurgitant. Nemini, quantumcumque etiam se obligauerint, seruant fidem, quin in deditos eo modo, & multo grauius sæuiant. Iuuenculas mulieres in quam quisque incidit, & quamcunque vult, stuprare licet: abducuntur quæ liberalioris formæ sunt, atque in extrema omnium rerum penuria seruire perpetuò coguntur. Incontinentißimi enim omnium hominum Tartari sunt: nam licet vxores ducant quotquot volunt & sustentare possunt, nullusq; (excepta solummodo matre, filia, & sorore) ipsis aut consanguinitatis aut affinitatis gradus ad matrimonium contrahendum obstet. Sodomitici tamen vltra modum sunt, se non minus, quàm Sarraceni indifferenter & impune cum masculis, pecudibusque commiscentes. Mulierem, quam sibi coniungunt, pro vxore non habent, nec dotem accipiunt, donec pepererit: vnde sterilem repudiare possunt: & aliam superducere. Hoc mirum est, quòd licet mulieres multæ virum vnum habeant, propter illum inter se non facilè rixentur, quum tamen vna alijs præferri soleat, atque iam cum illa, mox cum alia dormire: vnaquæque autem suam stationem habet, vnaquæque suam familiam: castißimè

Crudelitas Tartarorũ ferina.

Sodomitici Tartari, & Sarraceni.

viuunt, nam in adulterio deprehensi tam vir quàm mulier lege ipsa occiduntur. A re bellica feriati viri pecora in pascua ducunt, & custodiunt, venanturque, & se luctando exercent, aliud nihil agunt, mulieribus omnia committunt. His cura est & quæ sunt victui, & quæ amictui necessaria, procurare. Gens ipsa multas superstitiones obseruat: cultellum in ignem mittere, vel eo saltem attingere: carnes item ex olla cultello extrahere, magnum nefas est: nihil etiam iuxta ignem securi secant, ne quocumque modo lædant, quem aliàs religiosè venerantur, & à quo omnia purificari debere persuasum habent. Flagello, quo equus impellitur (calcaribus enim non vtuntur) corpus aut brachia quietis gratia supraponere, aut flagello sagittas tangere, maximè deuitant. Iuuenes aues non solùm non occidunt, sed nec capiunt quidem. Fræno æquum non verberant. Os osse alio non frangunt. Cibum ac potum, præsertim lac, nemo profundit. In stationibus nemo mingit: quod si obstinatè aliquis faceret, absque misericordia accideretur. Si autem necessitas cogat, vt sæpius fit, tentorium, in quo factum est, & omnia, quæ in eo continentur, purgari debent, tali modo, duos ignes, tres passus ab inuicem distantes faciunt, intra quos hastas duas infigunt, iuxta quemque ignem vnam statuentes: deinde chordula ab vna ad aliá ducta, ac buccaranno

In adulterio deprehési lege occiduntur.

Purgandi per ignes ratio.

intecta per medium illarum, ceu per ianuam, quæcumque purificanda sunt traducunt: mulieres duæ, quarum hoc interest, in alia parte stant, hinc atque hinc vna, aquam inspergentes, ac carmina quædam submurmurantes. In conspectum regis nullus aduena, cuiuscumque dignitatis existat, & quantacumque agere habeat, admittitur, nisi purgatus prius. Qui limen tentorij, in quo Imperator, aut ducum aliquis moratur, pedibus calcat, in ipso vestigio interficitur. Præterea, si aliquis morsum fecerit, quem deglutire non possit, cogereturq; eundem euomere, accurrunt illico omnes, & foramen sub statione faciunt, per quod extractum crudeliter necant. Multa alia sunt, quæ pro inexpiabilibus peccatis habent: ast hominem occidere, aliorum terram inuadere, res & bona aliorum contrà ius fasq; diripere, Dei præcepta negligere, pro paruo, aut nihilo ducunt. In mundo quodam alio, quem tamen describere non possunt, se post hanc vitam æternaliter victuros credunt, & meritorum suorum condigna præmia percepturos. Quum quispiam infirmari cœperit, & morti iam vicinus esse, hastam vnam cum nigro panno tabernaculo, in quo decumbit, præfigunt, vt ab ingressu prætereuntem auertat. Nemo enim hoc conspecto inuocatus intrare audet. Postquàm verò defunctus est, omnis illius familia conuenit, & funus extra tentorium in locum

Limē regij tentorij calcans interficitur.

Aeternam vitam Tartari credūt.

aliquem antè delectum clàm portant, & fouea lata, profundaq; satis facta, tentoriolum in ea erigunt, mensam ferculis instruunt: atque defuncti corpus prius pretiosissimo habitu vestitum ad eam applicantes, vnà omnes terra obruunt. Sepelitur etiam cum eo iumentum vnum & equus phaleratus vnus. Potentiores in vita seruum vnum eligunt, atque cauterio suo inustum secum tumulari faciunt: & hoc ideo, vt in alio mundo his vtantur. Dehinc amici alium equum accipiunt, & mactant, carnes comedunt, cutem fœno repletam, atq; refutam quatuor palis supra sepulchrum in defuncti signum erigunt. Ossa in animæ expiationem mulieres comburunt. Cum cute potentiores aliud agunt, in tenuissima lora illam discindunt, atque his extensis per sepulchri circuitum terram dimetiuntur: tantùm namque in alio orbe defunctum sortiri credunt, quantum hic ab amicis illi hoc corio admensum fuerit: Tricesimo die luctum finiunt. Quidam Tartarorum Christiani nominis, sed pessimi, parentes iam senio confectos, vt citiùs moriantur, multa pinguedine diu obescant, & inde defunctos comburunt: puluerem diligenter collectum, quasi pretiosum aliquid obseruant, illo cibaria sua quotidie condientes. Qua autem pompa, qua festiuitate Tartari post regis obitum alium illi substituant, quoniam nedum scribere, sed legere fortè tædiosum, paucis absoluam. In locum in campis aptum,

Sepeliendi Tartarorũ ritus.

Christiani nominis Tartari parẽtes necãt.

aptum, adhócque consuetum, Principes, duces, barones. & omnis populus totius regni conueniunt: tum eum, cui regnum aux ex successione, aut electione debetur, in thronum aureum collocant, atque procidentes vnanimi voce & excelsa omnes in hunc modum exclamant: Rogamus, volumus etiam, & præcipimus vt dominieris nobis. Respondet ille: Si hoc à me vultis, necesse est, parati situs, quidquid præcepero, facere: quum vocauero, venire: quocumque misero, ire: quemcumque occidi iussero, id intrepidos facessere, & totum regnum in manus nostras statuere atque committere. Vbi responderunt, Sumus: inquit rursus, Ergo oris mei sermo, de cætero gladius meus erit. Fit applausus à populo. Principes interea ipsum è regio solio exceptum supra filtrum in terra stratum humiliter sedere faciunt, ita alloquentes: Vide sursum, & agnosce Deum, ac respice filtrum, in quo sedes deorsum: si bene administraueris, ad votum habebis omnia: Si autem malè, adeò rursus humiliaberis, spoliaberisq; , vt ne exile hoc filtrum, in quo sedes, tibi relinquatur. Quo dicto, charissimam vxorum adiungunt, & ambos cum filtro eleuantes, hunc omnium Tartarorum Imperatorem, illam Imperatricem salutant. Adsunt tum mox ab omnibus gentibus quibus imperare habet, dona. Adsunt & quæcumque Rex defunctus reliquit, de quibus nouus Imperator vnumquemque prin-

Mos in regis creatione memorandus.

Regum potestas notatur.

cipum donat, cętera sibi seruari precipit, & cum hoc comitia dissoluit. In eius manibus seu potestate omnia sunt: nemo potest, audetq; dicere, hoc meum est, vel illius est. Nemo commorari in aliqua terrę parte debet, quàm in aßignata. Imperator ipse ducibus aßignat, duces millenarijs, millenarij centenarijs, centenarij decanis, decani cęteris. Sigillum, quo vtitur, ita inscribitur, Deus in cęlo, & Chuichuth Cham in terra: Dei fortitudo, & omnium hominum Imperator. Quinque maximos & robustißimos exercitus habet, quinque duces per quos omnes, qui obstant, expugnat: aliarum gentium legatis ipse non loquitur, nec etiam in conspectum admittit, nisi tam ipsi quàm munera (sine quibus venire prӕsertim non debent, nec possunt) à mulieribus quibusdam ad hoc deputatis priùs purgati fuerint: per medias personas respondet, quibus quando & quandiu loquitur (quantumcumque magni sint) flexis genibus auscultare debent, & ita attendere, vt ne à verbo quidem aberrent. Nemini enim licet Imperatoris verba mutare: Nemini latę ab illo sententię qualicumq; modo contraire. In publico is nunquam bibit, neque aliquis Tartarorum princeps, nisi priùs cantetur ei aut citharizetur. Potentiores quum equitant, vmbella, quę longiori hastę imposita iuxta eos portatur, obumbrantur: quod & mulieribus eorum fieri dicunt. Et tales Tarta-

Sigillum Imperatoris Tartarorum.

Imperator Tartarorũ per se non respondet.

Potẽtiores Tartarorũ quũ equitant obumbrantur.

rorum genti mores anno abhinc ducentesimo erant, hi viuendi ritus. Georgiani, quos Tartari eodem ferè tempore deuicerunt, cultores Christi erant, ritum Græcorum seruantes, Persis vicini: longo terrarum tractu à Palestina ad Caspios vsque montes eorum dominium extendebatur. Episcopatus decem & octo habebant, & catholicum vnum, id est, episcopum vniuersalem, qui loco patriarchæ erat. Antiocheno patriarchatui ab initio subiecti erant: bellicosi homines: rasuram in capite faciebant, clerici rotundam, laici quadratam. Mulieres eorum quædam equestris ordinis erant, & ad prælium edoctæ. Georgiani ordinatis iam aciebus in pugnam ituri repletam optimo vino pugillarem cucurbitam epotare solebant, & aduersarios posteà animosiùs adire. Clerici vsuræ & simoniæ liberè vacabant: cum Armenijs mutuò & perpetuò odio persistebant: Erant enim & Armenij Christiani nominis populus antequàm, Georgianis subactis, Tartari illos superauere: sed à fide, rituque orthodoxæ ecclesiæ in multis discordabant. Diem natalis Domini ignorabant, nullas festiuitates, nullas vigilias, nec etiam quatuor tempora obseruabant. Sabbatho Paschæ non ieiunabant, Christum eo die circiter vesperam resurrexisse asserentes. Omnibus sextis ferijs infra Paschatis & Pentecostes festiuitates carnes manducabant. Multum ieiunabant, à septuagesima quidem

Georgianorum ritus.

Raduntur in caput Georgiani.

Mulieres ad bellum edoctæ.

Armeniorũ ritus.

Ieiunia Armeniorum

quidem incipientes ita strictè, vt nec in quartis sextisq; ferijs oleo, vino, aut piscibus vterentur: plus peccare existimantes, qui his diebus vinum biberet, quàm eum, qui Veneris gratia lupanar subiret. Die Lunæ penitus se ab omnibus cibis abstinebant, die Martis ac Iouis comedebant semel, die Mercurij & Veneris omnino nihil, sabbato verò & Dominico die esitabant carnes, & reficiebantur lautè. Per totam septuagesimam, exceptis sabbatis & dominicis diebus, missarum officia nemo celebrabat, nec etiam sextis ferijs per totum annum: per hoc enim violari ieiunium volebant. Porrò duorum mensium infantes, & quoslibet alios indifferenter communioni admittebant: aquam sacrificio non addebant: cum lepore, vrso, corniculis, & huiusmodi, sicut Græci, iudaizabant. In calicibus vitreis & ligneis celebrabant: quidam sine paramentis & sacerdotalibus vestimentis omnino: quidam cum diaconi & subdiaconi infula tantùm operti. Vsuræ & simoniæ tam clerici quàm laici, quemadmodum Georgiani, æquè studebant omnes. Sacerdotes quoque diuinationibus & necromantia incumbebant. Potationibus magis, quàm laici, vacabant. Vxores ducebant, sed post mortem alterius secunda coniugia vtrisque prohibita erant. Adulteram viro repudiare, & aliam ducere, licentiam episcopi dabant. De igne purgatorio penitus nihil

Sacerdotes Armenior. vxores ducebant.

nihil tenebant. Negabant etiam obstinatè in Christo duas naturas fuisse. In triginta articulis à recto Christianæ pietatis tramite eos aberrare Georgiani prodidere.

De Turcia, Turcarúmque moribus, legibus, & institutis omnibus.

CAP. XI.

Terra, quæ nunc Turcia est, maiorem Armeniam ab ortu habet, excurritque ad Cilicum vsq; pelagus, Septemtrione versus Euxino terminatur. Ab Aetono Turquia dicitur. Plures in ea prouinciæ: Lycaonia, in qua Iconium caput gentis: Cappadocia, in qua Cæsarea: Isauria, vbi Seleucia: Lycia, quæ nunc Briquia: Ionia, quæ Quiscum, vbi Ephesus Paphlagonia, vbi Germanopolis: Lenech, vbi Trapezus. Hoc quidquid est terræ, quæ hodie Turciæ tenet nomen, non vna gens inhabitat, sed Turcæ, Græci, Armeni, Sarraceni, Iacobitani, Nestoriani, Iudæi, Christiani. Secundùm leges & instituta plerumque viuentes, quas Mahometus pseudopropheta Sarracenis Arabiæ genti anno salutis sexcentesimo atque vndetrigesimo sanxit: vir dubium Arabs an Persa, vtrumque enim traditur. Patre malorum dæmonum cultore, matre Ismaelita, & ob id Hebraicæ legis non ignara: distrahere puerum illi, ambiguúmque effingere, dum hic, dum illa suam vterque legem ingerit. Igitur vtroque puer imbutus cultu, neutrum adultus recepit, quin homo callidus

Turciæ fines.

Gentes Turciam incolentes.

Mahometi parentes.

Ex duabus legibus Mahometus vnam commentus.

dus, atque vafer ingenio, inter Christianæ pietatis viros diutißimè versatus, rem perniciosam humano generi ex duabus legibus commentus. Hebræos aiebat impiè facere, qui Christum natum ex virgine inficiarentur, quando id prophetæ, viri præcipua sanctitate, diuinóque afflati spiritu, futurum cecinissent, expectandúmque multum anteà prædixissent: contrà Christianos stultè credere Iesum Dei amicißimum, natúmque ex Virgine, opprobria & cruciatum à Iudæis perpeti voluisse. Martinus Segonius Neuomontanus sua hæc de Christi regis nostri sepulcro memoriæ prodidit: Sarracenos & Turcas, ex antiqua Mahometi prædicatione ridere Christianæ gentis homines, qui id conditorium venerabundi obseruent. Christum prophetam summum affirmantes, ex Dei spiritu, omnis terrenæ labis expertem, venturum iudicem gentium: inficiari tamen verum ipsius sepulcrum adiri, quoniam gloriosum corpus, diuino conceptum flatu prorsus fuerit impaßibile. Hæc Segonius, & aliam hanc sententiam, quæ à Mahometicæ gentis hominibus non magis impiè, quàm stultè, in nostros iactari soleant. His pseudopropheta quum suam gentem malis imbuisset, legem tulit, cui, ne ab hominibus sanæ mentis quandoque iretur obuiam, abrogaretúrque, vt sordidæ & pestilenti, capitalem inscripsit pœnam; sanxítque in

Sarraceni & Turcæ quid de Christo.

suo

suo Alcorano, si quis de ea ausus esset disputare. Qua sanctione palàm fecit nihil synceri in ea lege esse, quam velut mysterium quodam texerit, vetueritque tractari, vt quale esset id, quod ferebatur, populus haud scire posset. Sergij Monachi Nestorianæ impietatis viri consilio & opera in illa ferenda præcipuè vsus. Hac vt popularior esset, ex omnium gentium sectis aliquid assumpsit. Christum in primis laudandum censuit, virum fuisse affirmans sanctum, & omni virtute præstantem, eundémque supra humanitatis fastigium ponere, nunc verbum, nunc spiritum & Dei animam prædicans: virginis vtero natum: ipsam virginem miris efferre laudibus, astipulari miraculis & Euangelicæ historiæ quatenus à suo non discrepat Alcorano. Euangelia ab Apostolorum discipulis corrupta esse dicebat, oportuisse per Alcoranum suum emendari: & Christiani nominis multitudini per hæc blanditus à Sergio voluit baptizari: inde in aliorum studia concilianda cum Sabellianis negare trinitatem: cum Manichæis binarium in diuinis numerum ponere: Negare æqualitatem patris & filij cum Eunomio: Spiritum Sanctum creaturã dicere cum Macedonio: cum Nicolaitis multitudinem vxorum probare, & vetus testamentum, tametsi id quoque diceret quibusdam in locis non carere vitio: prætexuit his ambagibus incredibilem illecebram, qua facilè vita capi-

De lege Mahometi disputare capitale est.

Sergius Monachus.

Lex Mahometi ex sectis multis mendicata.

Christianis per quæ Mahometus blanditus.

tur, remiſsis ſuæ genti Veneris & omnium voluptatum habenis. Serpit peſtis hæc propterea in gentes innumeras, vt iam quota pars hominum præ multitudine illa à vero aberrantium adhuc ſit in officio, ex hoc facilè attendi poteſt, quòd Chriſto credat non Europa tota, Mahometo autem & illius maxima pars cum tota ferè Aſia & Africa. Sarraceni, qui hanc pſeudoprophetæ impietatem & delirium primi acceperunt, eam Arabiæ partem incolebant, quæ Petrea dicta eſt, vbi videlicet terra ipſa ab vno latere Iudææ inſerta eſt, & reliquo Aegypto, à Sarraceno loco Nabathæis propinquo: ſiue vt ipſi volunt, à Sara Abrahæ vxore appellati: vnde legitimos ſe omnium mortalium ſolos diuinæ promiſsionis ſucceſſores eſſe adhuc perſuaſum habent. Agriculturæ quidem vacabant, & rei pecuariæ, maior autem pars militiæ: & ob id ab Heraclio ad Perſicum bellum ſtipendio conducti, quum ſe ab illo poſt conſequutam victoriam fraudari cognouiſſent, ira & ignominia accenſi Sarraceni Mahometo duce & monitore in Syriam ſedentes. Damaſcum occupabant, vbi copijs & commeatu aucti Aegyptum petebant, qua ſubacta Perſidem, poſtea Antiochiam, & hinc Hieroſolymam: adeò potentia & fama in dies eorum res creſcebant, adeò in dies augmentabantur, vt nihil amplius ipſis reſiſtere poſſe timeretur: quum Turca, fera & crudelis Scyth

Voluptatũ indulgẽtia.

Sarraceni vnde appellati.

Rerũ Sarracenorũ incrementa.

Turcæ quales gens & vnde progreſſa.

Scythica gens, ex Caspijs montibus à finitimis pulsi, iam per Caucaseas portas in minorem Asiam primò, postea in Armeniam, Mediam, ac Persidem descendentes, vi, & armis omnia sibi subiugarent. Sarraceni igitur his vtpote Imperij fines defensuri obuiam processerant, sed quia ipsis impares erant, in breui ad eam desperationem adducti sunt, vt Mahometi fide ab his recepta, passi sint eos in Perside secum regnare: vt nescias vtra gens maiorem fecerit iacturam, quæ tanto regno cesserit, an quæ eam sibi pestem inculcari passa sit regnandi cupiditate. Vnius itaque fidei vinculum ita vtramq; gentem copulauit, vt Sarraceni pro Turcis, & contra Turcæ pro Sarracenis indiscreta appellatione aliquandiu vocati sint. Nunc, vt video, Turcarum nomen inualuit, altero abolito. Non vnum apud hos equitum genus in vsu. Sunt Thimarcini, qui stipendiarij interpretantur, ad octoginta millia: hi vicos, villas, castella, vt quisque meritus est, Regis indulgentia possident stipendij loco, præstoq; sunt Sensacho, duci videlicet eius prouinciæ, cui attributi sunt: In duos hodie diuisi sunt exercitus, Asiaticum & Europæum, ductu inde maiorum ducum militaturi, quorum hic Asiæ, ille Europæ præsidet. Hos Bassas gentili lingua appellant. Sunt & Aconziæ fatales dicti hi sine stipendio militant, semperque agmen præcedunt prædabundi, quintam prædæ partem regi debent,

Turcæ & Sarraceni in vnum confluxi.

Militia Turcarum ex quibus constet.

Bassæ exercitus Turcarum duces.

Aconiziæ milites fatales.

bent, manubiarum nomine: sunt hi circiter quadraginta millia. Abijt tertium genus in Charippos, Spahiglanos, & Soluphtaros: præstantissimi horum Charippi equestris dignitatis illustres, & circa regem frequentes octingenti numero ex Scythis Persisq; : neq; alio genere hominum lecti in conspectu regis insigniter, quum opus est, dimicant. Spahi & Soluphtari sunt, qui ab initio ad turpem vsum, pueri adhuc, apud regem fuere, mox adulti Regis indulgentia vxorem ducunt, auctiq; dote coniugis & stipendio plurimum oratorum vtuntur officio, Regis latus dextra læuáque stipantes inter eundum. Ad præfecturas & cæteras dignitates ex hoc ferè ordine leguntur. Mille sunt & trecenti numero. Triplex in peditibus ordo. Ianizari, hi impuberes adhuc ex toto imperio leguntur à conquisitoribus, aliquandiu militari disciplina instruuntur, sub magistro in publicis gymnasijs, mox militiæ adscripti amiciuntur breuiori veste, & pileo albo, ac sursum versus erecto, arma, scutum, ensis, & arcus: hi castra muniunt, vrbes oppugnant, súntque ad viginti millia, & ampliùs. Secundi sunt ordinis Asappi, leuis armaturæ pedites, ense, scuto, & longiore hasta instruuntur, rubro pileo à Ianizaris discreti: hostium equos in prælio confodiunt: horum numerus ad belli magnitudinem accommodatur, minimum quadraginta millia cum rege proficiscuntur: his stipendium

cum

Charippi equites illustres..

Spahi & Soluphtarii Regis stipatores.

Peditũ Turcarum triplex ordo.

cum bello finitur ex hoc instituto. Regius habet exercitus ad ducenta armatorum millia. Cæterùm peditum turba sine stipendio voluntariorum, aut euocatorum, suntq; hi calones mixti, lixæ, fabri lignarij, & qui pugnantibus necessaria ministrant: sternunt vias, per loca ardua & abrupta; pontes fluminibus aut stagnis imponunt, aggeres in hostes erigunt, cæteráque ad expugnationes vrbium vtilia expediunt. Comitantur castra numularij, trapezitæ, institores, atque aliorum id genus hominum ingens colluuio, nequid desit eorum, quæ humano vsui conducunt. Sed nihil est, quod in ea gente magis mirari possit, quàm celeritas in agendo, in periculis constantia, obseruatio imperij: ad minima delicta capite plectuntur: profunda & verticosa tranant flumina, abruptos superant montes, iussi per æqua & iniqua eunt præcipites, non vitæ, sed imperij memores, peruigilij, mediæq; tolerantissimi: nulla ibi seditio, nullus tumultus: fremitu, non clamore, vtuntur in prælio: in castris noctu tam pertinax silentium, vt patiantur captiuos dilabi, ne tumultus excitetur aliquis. Hi ex omni mortalium numero hodie legitimè militant, vt nemini mirum videri possit, quid sit, quòd res eorum tantùm ad hunc diem creuere, quantum ducentesimo abhinc anno nullius alterius gentis: possitq; verè dici, esse id genus hominum inuictum, nisi aut lue, aut peste aliqua teter-

Regius exercitus ducēta millia.

Turcarum in re militari peritia

Soli Turcæ legitimè militant.

rima, aut domestica discordia vincantur. Vestitus, quo milites vtuntur, honestissimus est, nihil indecentiæ, nihil inhonestatis omnino habens. In sellis, ac frenis nulla curiositas, aut superfluitas est. Armis indutus eorum nemo incedit, nisi quum pugna instet: arma post eos in sarcinis deferuntur. Vexillis non vtuntur, sed lanceis, ex quarum summitate quædam diuersicoloria fila dependunt, per quæ singuli ducum à suis internosci valeant. Tympano tamen & fistulis ad conuocandum, concitandúmque ad pugnam vtuntur. Registrario, qui magnatum vnus est, defuncto bello præsentari omnis exercitus debet, tum vt qui, & quot bello amissi sint, cognoscatur, cùm vt in illorum locum alii scribantur. Pro militibus in omnibus congregationibus & conuiuijs orant, sed multò magis pro communi patriæ causa cæsis, felices beatósque eos appellantes, quòd non domi inter coniugum filiorúmque lamentationes obierunt, sed foris inter hostium fremitus, hastarúmque fragorem. Maiorum suorum victorias describunt, descriptas cantant, & extollunt: multum enim militum animos per hoc excitari existimant. Domus, & cætera ædificia, sub quibus habitare solent, de lignis & terra vulgò sunt, pauca de lapidibus: solorum magnatum domus, balnea, & Deorum templa ex his vulgo constructa: quamuis & plebeiorum quidam locupletes adeò sunt, vt

Vexillis non vtutur Turcæ.

Tympano & fistulis etiam Turcæ vtuntur.

Pro militibus & cæsis suis Turcæ orant.

Maiorũ victorias Turcæ decãtãt.

Humiliter Turcæ ædificant.

exercit

exercitum armare expedireq; integrum vnus possit: sed quia frugales sint, & omnem sumptum deuitent, humilitatem diligant, voluntariam hanc paupertatem, & rerum situm patienter ferunt. Ob hanc etiam causam picturas abijciunt, imaginum sculpturas sic abhorrent, sic detestantur, vt Christianos, qui eis tantùm delectentur, idololatras vocitent, & in veritate esse contendant. Sigillis in literis siue regis, aut cuiuscumque alterius fuerint, nullis vtuntur, nullis signis obmuniunt: fidem habent statim vbi solummodo mittentis nomen audierint, aut scribentis stylum inspexerint. Campanarum vsus apud eos nullus, nec etiam Christianos inter eos habitantes habere ac vti permittunt. Pro pecunia aut aliqua alia re non ludunt, ludere repertos ignominijs multis & probris afficiunt, & prosequuntur. Ad sedendum scamnum, sedile, aut aliud fulcimentum nemo cuiuscumq; dignitatis conditionisve exsistat requirit, sed decentissima quadam & membrorum & vestium compositione super terram puerorum more recumbit. Mensa, supra quam vescuntur, vt plurimùm è corio bubalo parata est, aut ceruino non concinnato, & adhuc hirsuto, rotunditatem habens, quatuor vel quinque palmarum latitudinis, circulos multos per circuitum insutos ferreos, quibus quum corrigiæ inductæ sunt, instar bursæ clauditur, expanditur, & portatur. Domum, ecclesiam, aut alium locum,

Christiani idololatriæ à Turcis habentur.

Sigillis litteras Turcæ nō roborāt

Sedibus & scamnis Turcæ non vtuntur.

Mensa Turcarum de corio est.

locum, in quo sedendum est, nisi discalceatus, nemo intrat, quum inhonestum, indecorumq; valde habeatur, vt calceatus quis sedeat: quare calceamento quodam vtuntur, quod facilè & deponi potest, & recipi. Locus, in quo, vel domi, vel in ecclesiis sedetur, stratus tegetibus laneis est, aut scirpeis: habentur quoque interdum, propter locorum humilitatem, & immunditiam, tabulata. Vestimentis vtuntur tam viri quàm fœminæ satis largis & longis, in anteriori parte apertis, quo honestius curuati Naturæ opus perficere, celaréque possint. Multum enim in egestione cauetur, ne Meridiem versus, quo orantes se vertere solent, faciem conuertant. Multùm étiam ne ab homine quopiam conspecti turpitudinem suam ostendant. Curuati etiam, quemadmodum apud nos mulieres, micturiunt: nam si stando quispiã mingeret, pro stulto aut hæretico ab omnibus haberetur. A vino, quoniam peccati & omnis immunditiei seminarium sit, ex lege abstinent, vuas tamen comedunt, & mustum potant. Abstinent se quoque à carne & sanguine suillo, necnon ab omni morticino, reliquis coinestibilibus cunctis vescentes. Diem Veneris ab omni labore feriati tanto studio & religione colunt, quanta nos Dominicam, aut quanta Iudæi sabbatum. In singulis ciuitatibus ecclesiá vna principalis est, in qua eo die post meridiem conueniunt omnes, atque oratione solenniter

Vestimenta Turcarũ ka ea.

Viri curuati mingũt. Vinum non bibũt Turcæ.

Caro suilla, & omne morticiniũ vitatur.

Dies Veneris Turcis sacra.

niter peracta, prædicatio fit. Vnum Deum confitentur, qui nullum sibi vel similem habeat vel æqualem, cuius propheta fidelis Mahometus sit. Quinquies in die Sarraceni omnes orare tenentur, faciebus ad Meridiem versis, & hoc antequam faciant, perfectißimam corporis munditiam habere, culum, veretrum, manus, brachia, os, aures, nares, oculos, capillos, ad vltimum pedes etiam decentißimè lauare, præsertim post coitum & egestionem, nisi ægrotauerint, vel in itinere fuerint. Si verò aqua eis ad hoc desit, quod tamen contingere raro aut vix potest, (quòd in omnibus ciuitatibus continua balnea ad hoc habebantur) puluere munda & recentis terræ perficiunt: ante ablutionem hanc, pollutus quacumque pollutione loqui secum, aut se etiam videre, quantum poßibile est, permittit neminem. In quolibet anno mensem integrum & hebdomadam strictißimè ieiunant, interdiu nec comedentes, nec bibentes quicquam, nec etiam se mulieribus commiscentes: post Solis autem occasum adusque sequentis diei exortum cibis, potibus, ac Veneri ad placitum indulgent. In fine ieiunij, & postea iterum sexagesimo die Pascha celebrant, in memoriam arietis Abrahæ ostensi in sacrificium filij loco: noctisque cuiusdam, in quo Alcoranum de cælo datum existimant. Semel quotannis etiam domum Dei, quæ in Mecha est, ire Sarraceni omnes debent, tum pro-

Quinquies in die orare Turcæ tenentur meridiem versus loti corpore.

Continua in omnibus ciuitatibus balnea.

Ieiunia Turcarum.

Pascha Turcarum.

Domus Dei in Mecha.

pter professionem suæ recognitionis, tum propter annuos honores Mahometo persoluendos, cuius sepulcrum ibi obseruatur. Religionem, seu sectam suam abnegare Sarraceni neminem cogunt, nec istud alicubi persuadere conantur: quamuis Alcoranus præcipiat, vt aduersarios prophetásque eorumdem perdant, & omnibus modis persequantur: vnde fit vt in Turcia omnium sectarum gentes habitent, & quæque, vt solet, suo Deo sacra faciat. Sacerdotes præterea eorum à communi populo non multum differunt, nec à priuatis ædibus ecclesiæ. Alcoranum scire sufficit, & quæ ad orationem, cultúmque legis pertinent: meditationibus, literarúmque studijs minimè vacant. Non enim ecclesiarum, aut animarum aliqua cura occupati sunt, sacramenta nulla habent, reliquiarum, sacrorúmque vasorum, & altarium nulla obseruatio, sed vxoribus, liberis, ac cæteræ familiæ intenti, agriculturæ, mercaturæ, venationi, & similibus studijs, quibus victus quæritur & vita sustentatur, quemadmodum laici cæterique incumbunt: nihil est ipsis facere illicitum, nihil prohibitum. A seruitute, ab exactionibus immunes sunt. Honoris plurimum ab omnibus percipiunt, vt qui legis ceremonias sciant, ecclesiis præsideant, & alios docere possint. Gymnasia multa & magna habent, in quibus ciuiles leges à Regibus latæ pro regni administratione, defensionéque plurimi

Saraceni ad sectã suã cogunt neminem.

Sacerdotes Turcarum.

Gymnasia Turcæ multa habent.

plurimi docentur, quorum dein quidam ecclesiasticis, quidam secularibus officiis præficiuntur. Sunt etiam in ea secta multi & varij religiosi, quorum quidam in nemoribus & solitudinibus vitam villatim ducentes hominum commercia effugiunt, quidam in ciuitatibus hospitalitatem exercentes peregrinos pauperes ad hospitia saltem recipiunt, si non habeant quo reficere possint, ex mendicato enim & ipsi viuunt: alij per ciuitates vagantes in vtribus quibusdam bonam atque semper recentem aquam portant, quam cuique petenti bibendam vltro offerunt: pro quo pietatis officio, si quid ipsis porrigitur, accipiunt: cupiunt nihil, tantam religionis ostentationem in dictis & factis, in moribus & gestu præ se ferentes, vt non homines, sed Angeli credi possint. Signum quoddam quisque gerit, per quod cuius professionis sit, internosci habet. Iustitiæ Sarraceni seu Turcæ exactores strenuissimi sunt: qui hominis sanguinem fuderit, pari pœna semper plectitur. In adulterio deprenhensus cum adultera absq; misericordia, absque mora lapidatur. Est etiam fornicarijs sua pœna expressa: octingentos flagelli ictus seu verbera tolerare debet, qui præuentus fuerit. Fur prima & secunda vice deprehensus, totidem ictibus flagellatur: tertia, manu truncatur: quarta, pede. Qui damnum alicui infert, pretio æstimato satisfacere compellitur. In

Religiosorum Turcarum familia.

Iustitia Sarracenorum

Adulterorũ pœna.

possessionibus repetundis vt petitum testibus comprobetur, lege sancitum, vtq; negator iuramento sese expurget. Testes nullos, nisi valde idoneas, probatásque personas, & quibus siue iuramento credi possit, admittunt. Inquisitores per regionem multi etiam constituti sunt, qui orationum, ad quas tenentur, negligentes indagatos talibus quidem adficiunt ignominijs: tabulam vnam cum pluribus caudis vulpinis illorum collis appendunt, & hinc inde per totam ciuitatem trahentes non dimittunt, donec se certa pecunia absoluant. Extra matrimonium nemini, qui ad prouectam ætatem iam peruenerit, vitam agere licet. Vxores autem ducere legitimas quatuor possunt, & demptis matribus & sororibus quascumque volunt, nulla sanguinis habita ratione: illegitimas verò quotquot placuerint, & enutriri valeant. Filij tam ex his, quàm ex illis suscepti, hæredes in patris bonis æqualiter habentur. Hoc tamen seruato, quòd duæ filiæ filio vno coæquantur. Coniuges duas aut plures non in vna domo, nec etiam in vna ciuitate habent, ob iuges contentiones earum, atque inquietudines, sed in singulis ciuitatibus singulas. Libertatem viri eas tertiò repudiandi habent, tertiò item recipiendi. Repudiatæ verò à quo viro suscipiantur, si lubet, permanere possunt. Hæ in vestitu honestissimæ sunt. In capite mitris vtuntur velis ipsis superpositis, ita, vt decenter

Vxores Turcæ quatuor ducunt.

Repudium apud Turcas.

Mulierũ Sarracenarum vestitus.

ter hæc inuolutæ, vna veli extremitas à dextra aut sinistra capitis parte dependeat, qua, si domum exire, vel in domo in virorum conspectum prodire debeant, sine mora totam faciem præter oculos velare poßint. Nunquam audet fœmina Sarraceni, vbi virorum congregatio est, apparere. Forum adire, vendere aliquid, aut emere, omnino fœminis illicitum. In ecclesia maiori locum à viris longè remotum habent, & adeò occlusum, vt nemo introspicere poßit, nec aliquo modo intrare. Quem tamen non omnes, sed magnatum solùm vxores: & nunquam aliàs, quàm die Veneris, ad vnicam orationis meridianæ horam, quæ apud eos, vt dictum est, solennis est, intrare debent. Colloquutio viri & mulieris in publico adeò rara est, adeò præter consuetudinem, vt si inter eos per annum integrum morareris, semel vix videre posses. Virum apud mulierem in aperto sedere, aut equitare cum aliqua, pro monstro duceretur. Coniugati mutuò, aliis videntibus, nunquàm lasciuiunt, nunquàm rixantur, quum nec viri erga mulieres grauitatem vnquam remittant, nec mulieres erga viros reuerentiam. Magni domini, qui apud suas perpetuò esse non possunt, ad earum custodiam deputatos Eunuchos habent, qui tanta custodia illas obseruant & tuentur, vt præter maritum impoßibile vlli viro sit eas alloqui posse, impoßibile ipsas posse præuaricari.

Eunuchi mulieribus deputati.

ricari. Postremùm Mahometo, legibusq; ipsius fidem tantam Sarraceni tribuunt, vt illas seruantibus æternam beatitudinem certißimè promittant: paradisum videlicet deliciarum, hortum dulcibus & amœnißimis aquis quaquauersum irriguum sub puro & temperato cælo constitutum, in quo quicquid velint habituri sint: omnium ferculorum genera ad saturitatem, serica atque purpurea indumenta adolescentulas ad nutum speciosas, cum aureis, argenteísque vasis, Angelos pincernarum more in aureis lac, in argenteis vina rubra vbertim propinantes ministros. Contrà, non seruantibus infernum comminantur, interitúmque sempiternum. Hoc etiam credunt, quòd quantiscumque quis criminibus obnoxius, si moriturus tantùm deo credat, & Mahometo, saluus fiat.

De Christianis, eorúmq; origine & ritibus.

CAP. XII.

Causæ natiuitatis Christi.

CHristus Iesus, Dei patris omnipotentis verus & æternus filius, secunda in sancta indiuidua æquali perpetua trinitate persona, incomprehensibili & à seculo abscondito consilio atq; mysterio, anno abhinc millesimo quingentesimouigesimo, vt miseros, & infelices homines in primis parentibus Adam & Heua per inobedientiæ peccatum, heu, lapsos, & ob id multis seculis cælesti patria exclusos erigeret, eóque reduceret: ac detrusorum spirituum vetustiorem ruinam: ad quam supplend

plendam precipuè creati fueramus, aliquando in cælo resarciret: Sancti spiritus cooperatione in Iudæa à virgine Maria de progenie Dauid homo conceptus, & natus est. Tricesimo vitæ suæ anno vsque in tricesimumquartum, quo ex Iudæorum inuidia cruce affixus periit, Iudæam omnem percurrens, Iudæos primùm, deinde alias gentes ab antiqua Mosaica lege, ab idolorum profana cultura ad nouam suam institutionem adhortatus est. Sequaces quotquot habere potuit discipulos appellauit: Ex quibus duodecim selectioribus post mortem suam, quum (vt prædixerat) iterum viuus apparuisset, commisit, vt apostolorum, siue legatorum nomine, in orbem vniuersum irent, & quæcunque ab eo didicissent, vidissent que, creaturæ omni prædicarent. Simon Petrus, cui Ecclesiæ suæ regimen principatúmque diu anteà post se suscipiendum tradiderat, quum post sancti Spiritus perceptionem alij ad alias terræ oras, vt sortiti & iussi fuerant, ad prædicandum diuertissent, primùm Antiochiam venit; ibíque ecclesiæ cathedram primariam constituens, cùm alijs apostolis, qui sæpius ad eum venerant, concilium celebrauit: in quo inter cætera Christianos à Christo deinceps dici decretum, qui illius dogma, orthodoxámque pietatem amplexi tuerentur. Romam deinde sede primaria translata, pro maximo ipse, & successores sui semper habuere

Maria virgo Christi mater.

Christi sequaces discipuli vocati.

Petrus ecclesiæ christianæ princeps.

Antiochia prima ecclesiæ sedes.

A Christo Christiani appellati.

habuere negotio, rudem & incultam adhuc
Christiana religio à quibusfum pia. Christi sui sectam, eámque professos aliquo bono ordine & gubernatione ex Mosaica lege, quam Christus non soluere, sed adimplere venisset, ex politijs Romanorum, Græcorum, Aegyptiorum, aliarúmque gentium sacris & profanis ritibus, legibus, moribus: ex saluberrima in primis Christi Iesu doctrina, & sancti Spiritus inspiratione, cultiores facere. Rem aggressi, quemadmodum non solùm apud Hebræos, sed alias etiam gentes, diuisos viderint homines in sacros & profanos, & tam his, quam illis, pulcherrima ordinatione,
Romana politia. suos gradus, suas dignitates. Esse monarcham orbis vniuersi tunc Romanum Imperatorem, esse consules, esse patritios, qui & senatores, ad arbitrium quorum omnia ordinarentur, esse per terram reges multos, duces, comites, præsides, præfectos, suffectos, tribunos militum, tribunos plebis, prætores, primipilos, centuriones, decuriones, quaterniones, duumuiros, quæstores, ædiles, ianitores, scribas, lictores, & priuatos homines vtriusque sexus multos. In deorum verò templis Regem
Hebræorũ ciuilitas. sacrificulum esse, archiflamines, protoflamines, flamines, sacerdotes. Pari ordine apud Hebræos in sacris summum Pontificem esse, minores sacerdotes, Leuitas, Nazaræos, luminum
Græcorum administratio. extinctores, exorcistas, ianitores, siue æditos, & cantores. Apud Græcos chiliarchos, hecatontar-

tontarchos, pentacontarchos, decarchos, pentarchos. Esse præter eos quoque tam apud hos quàm illos diuersos & virorum & mulierum religiosos conuentus multos, Saducæos, Essæos, Pharisæos apud Hebræos: Salios, diales, vestales apud Romanos. Consensere sanctissimi Apostoli omnes, vt Petrus, & qui ei in Romana sede succederent, in perpetuum Papa tanquam pater patrum, vniuersalis, apostolicus, sanctissimus, & summus pontifex diceretur. Ecclesiæ catholicæ Romanæ, tanquam monarcha Romanus Imperator, orbi vniuerso præsideret. Consules, quorum semper duo erant, æquarent in ecclesia patriarchæ quatuor, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus: senatores Cardinales exprimerent, Reges, qui tribus ducibus, Primates tribus Archiepiscopis imperantes designarent. Archiepiscopi seu Metropolitani ducibus compararentur, quòd velut illi pluribus Comitibus, sic ipsi episcopis mandarent. Episcopi Comitum similitudinem exprimerent, Coepiscopi, siue episcoporum vicarij præsides, præfectos præpositi. Tribunos militum archipresbyteri redderent. Tribunos plebis cancellarij, prætores archidiaconi. Centuriones decani. Decuriones presbyteri parochi. Aduocatos sacerdotes alij. Aediles diaconi. Quaterniones subdiaconi. Duumuiros exorcistæ. Quæstores hostiarij, antecantores lectores,

Rom. pont. Papa vocatur.

Quatuor patriarchæ.

Primates.

Archiepiscopi.

Episcopi.

Coepiscopi.

Archipresbyteri.

Cancellarij

Archidiaconi.

Decani.

Presbyteri.

Diaconi.

Subdiaconi.

Exorcistæ.

Hostiarii.

Lectores.

cantores.

Acolythi. cantores, siue poëtas. Acolythi scriptores aut ceroferarios præsentarent. Eos omnes communi appellatione clericos, à cleros, id est, sorte, qua ex populo primùm in Dei sortem eligebantur, vocari voluere. Septem tamen, quos adhuc Romanus pontifex solenniter sacrificant secum in altari habet, cæteris nominatiores esse, Episcopos scilicet, presbyteros, diaconos, subdiaconos, acolythos, cantores, quibus singulis in ecclesia sua officia, habitum, atque dignitatem attribuere.

Clericorũ in ecclesia dignitates.

Quid episcopis concessum.

Episcopus clericos alios ordinare, virgines velare, & benedicere, pontifices consecrare, manus imponere, confirmare, basilicas Deo dedicare, deponendos ab officio sacerdotes deponere, & regradari, synodos celebrare, chrisma conficere, vestes & vasa sacrare, & alia, quæ etiam minoribus sacerdotibus communia, vt catechizare, baptizare, sacramentum altaris conficere, alijs communicare, à peccatis pœnitentes absoluere, contumaces arctius irretire, Euangelium annunciare.

Sacerdotũ qualis vita & habitus.

Caput in apice quatuor digitorum latitudine, in rotundum more Nazaræorum radere, & neq; comas, neq; barbam nutrire, perpetuò castos esse, sacerdotibus omnibus præcipere. Victum his solùm ex primitiis, decimis & oblationibus esse, secularibus curis, negotijsq; omnino vacare, honestè vestiri, incedere & conuersari: soli Deo & Ecclesiæ deseruire, lectioni sacræ sedulò incumbere, vt omnia quæ

Christ

Christianæ religionis sunt: in quibus alios instituere obligantur, ipsi perfectè norint. Religiosi conuentus, tam virorum, quàm mulierum, sunt Benedictini, Prædicatores, Franciscani, Augustiniani, Bernardini, Antoniani, Ioannitæ Charthusiani, Præmonstratenses, Carmelitæ, Cistercienses, innumeriq; alij, quibus omnibus ex regula, quam sibi priuatim quiq; præscripsere, certus habitus, certáque viuendi ratio est: continentiam, paupertatem, atque obedientiam perpetuam professi, vt plurimum vitam solitariam agunt: quare monachi, id est, solitarij appellantur: quidam abbates, quidam præpositos, aut priores sibi præficiunt. Episcopi autem Romano tantummodo Pontifici subsunt. Cucullo quamuis non vnius coloris, ferè vtuntur omnes, & carnibus abstinent. Episcopus sacrificaturis sacratas vestes ex Mosaica lege desumptas ob perfectionem eorum, quindecim numero esse, Sandalia, amictum, albam talarem, cingulum, stolam, manipulum, tunicam hyacinthinam, dalmaticam, chirothecas, annulum, casulam, sudariolum, pallium, mitram, pedum, & iuxta altare in quo sederet, cathedra. E quibus nouem quoque minoribus sacerdotibus communes esse voluere, amictum, albam talarem, cingulum, stolam, manipulum, casulam. Romano Pontifici præter eas ex Constantini magni largitione, omnia Romani Imperatoris insignia permissa, tunica coccinea, purpurea

Christianorũ religiosi conuentus.

Monachi solitarij.

Quindecim sacræ Episcoporũ vestes.

Nouem priuatorum sacerdotũ vestes.

Romani Põtificis vestes.

purea chlamys, sceptrum, diadema fastigiatum, quibus in magnis festiuitatibus in sacrario ritè indutum rem diuinam facturum ad altare stipatum procedere, presbytero à dextro, diacono à sinistro lateribus: subdiacono cum libro clauso, ceroferarijsq; duobus, & vno cum thuribulo suffumigante præcedentibus: eò peruentum mitram deponere, atque in imis gradibus peccatorum publicam confessionem cum comitibus dicere: ascenso postmodum altari codicem in cornu aræ sinistro iacentem aperire, deosculari, & missæ sacrificium suis ceremonijs perficere. Subdiaconum Epistolam, diaconum Euangelium legere. Septies per singulos dies Deum laudare oraréque præscriptis orationibus, tam maioribus quàm minoribus sacerdotibus præcepere, circiter vesperum Vesperas, sub noctis crepusculo Completorium, matutino tempore Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, prima, tertia, sexta, nona diei horis: & hoc si fieri possit, in ecclesia ante altare humiliter Orientem versus. Oratio dominica, symbolúmque Apostolorum, quemadmodum adhuc hodie à vulgo, ab initio tantùm dicebantur. Beatus Hieronymus Damasi Papa impulsu, psalmos per ferias digessit, & horis singulis proprios deputauit. Nocturnis die sacro nouem: non sacro, duodecim. Laudibus matutinis quinque. Vesperis quinque, cæteris omnibus treis. Euangelia, Epistolas, aliaq; quæ ex veteri

Septies per diem orare sacerdotes.

Horę septē canonicæ.

Orationes quis ordinauit.

veteri ac nouo instrumento adhuc leguntur, præter cantum, pro maiori parte ordinauit. Damasus antiphonas, quas Ambrosius Mediolanensium episcopus conscripsit, diuiso psallentium choro alternatim cantare instituit, & singulis versum gloria patri, &c. adiecit. Lectiones, & hymnos, qui horis singulis præmittuntur: concilia Toletanum & Agathonense approbauere. Orationes, gradualia, tractus, alleluia, offertoria, communiones in missa, antiphonas, versiculos, tropos, aliáque quæ tam in nocturno quàm diurno officio cantantur, leguntúrque ad decorem & laudem Dei, Gregorius, Gelasius, Ambrosius, & pleriq; alij sancti patres non vno, verùm diuersis temporibus edidere. Missa (sic appellant sacrificium) à lectione primùm, eo simplici apparatu, tenoréque, quo adhuc sancto Pascha sabbato fit, celebrabatur. Cælestinus papa introitum addidit. Telesphorus Gloria in excelsis. Hymnum Et in terra Hilarius Pictauiensis composuit, Symmachus cantari instituit. Salutationes, quæ per Dominus vobiscum septies in ea fiunt, ex libro Ruth transsumptæ, Clemens & Anacletus interposuere. Gelasius cætera ad offertorium vsque ordine, quo peraguntur, ordinauit, præter sequentias, quas Nicolaus, & symbolum, quod Damasus ex Constantinopolitana synodo immiscuere. Prædicatio, quæ ex suggesto diebus festis à sacerdote aut diacono ad

Alternatim cantare.

Missæ officij apparatus.

populum fit, Nehemiæ aut Esdræ exemplo inoleuit magis, quàm instituta est. Monebantur in hac ab initio quum omnes in missa præsentes ex præcepto communicarent, ad mutuam concordiam qui odio insectabantur, vt mundi non polluti vitijs, sacramentum altaris perciperent: ratione cuius publica peccatorum confeßione adhuc hodie ea concludi solet, veteris ac nouæ Legis instrumenta, decem Dei præcepta, duodecim fidei articuli, septem ecclesiæ sacramenta, sanctorum vitæ & martyria, dies sacri, doctrinæ, virtutes & vitia: & quæcumque alia, quæ Christiano homini cognitu necessaria sunt, edocentur. Offertorium Gregorius apposuit, Leo præfationes. Maiorem & minorem Canones Gelasius. Sanctus beatus Sixtus. Pater noster ex Matthæi Euangelio Gregorius. Martialis beati Petri discipulus benedictionem dare episcopos, pacem minores sacerdotes Innocentius instituit. Agnus Dei Sergius adiunxit. Gregorius communionem, Conclusionem per Ite missa: per Benedicamus domino, & Deo gratias, Leo adinuenit. Duodecim fidei articuli, quos quemlibet nedum constantißimè confiteri, verumetiam credere beati Apostoli mandauere, tales recensentur: Primus, vnum Deum & trinum esse, patrem omnipotentem, cæli terræq; factorem. Secundus. Iesum Christum filium eius vnigenitum, dominum nostrum. Tertius, eundem de Spiritu sancto conceptum,

Sermo quare in missa fiat.

De quibus sermo fiat.

Offertoriũ Præfatio canõ vterque.

Oratio dominica.

Agnus Dei.

Duodecim fidei articuli.

ptum, ex Maria virgine natum. Quartus, sub Pontio Pilato passum, crucifixum, mortuum, atque sepultum. Quintus, ad infera descendisse, rursus à mortuis tertia die resurrexisse. Sextus, ad cælos ascendisse, sedere ad dexteram Dei patris omnipotentis. Septimus, venturum rursus cum gloria, iudicatum viues & mortuos. Octauus, Spiritum sanctum esse. Nonus, sanctam ecclesiam catholicam. Decimus, sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Vndecimus, carnis resurrectionem. Duodecimus, æternam post obitum in alio orbe vitam. Decem præcepta, quæ Deus digito suo conscripta per Mosen Israelitico populo dederat, & nos obseruare voluere. Primum est, vnum Deum credere. Secundum, ipsius nomen vanè non assumere. Tertium, sabbata sanctificare. Quartum, parentes & natu maiores honorare. Quintum, non occidere. Sextum, non mœchari. Septimum, non furari. Octauum, falsum non attestari. Nonum, rei alienæ non inhiare. Decimum, alteri nuptam neque rem concupiscere: Septem ecclesiæ sacramenta, quæ in posterioribus quinque fidei articulis includuntur, & credi à nobis sancti patres præcepere. Primum baptismus est. Hoc ex canonica sanctione, nisi maxima necessitas citius depoposcisset, olim non nisi in fide priùs optimè instructis & approbatis catechumenis per examina vel inquisitiones septem, quæ septem certis per quadra-

Decem Dei præcepta.

Septem ecclesiæ sacramenta.

Baptismus primum.

Baptizandi olim septies examinabantur.

gesimæ ieiunium diebus fiebant, sacris Paschæ & Pentecostes sabbatis, quibus consecrari in parochijs omnibus solet, dabatur. Quoniam verò præ cæteris ad æternam salutem id apprimè necessarium est, nequis eo orbatus ex vita hac abscedat, statuere, vt nato mox infante patrini huic, tanquam testes, aut fideiussores, rogentur, à quibus antè ecclesiæ fores statutus, à sacerdote ad hoc accersito, priusquam sacro fonte immergatur, quæreretur, an Satanæ pompisque eius omnibus abrenunciauerit, an fidei Christianæ articulos omnes firmiter credat. Patrinus pro eo affirmantibus, sacerdos ter in faciem illi insufflans, exorciZat, catechiZatq;.

Septem circa baptizãdos.

Septem postea cum eo per ordinem facit: benedictum sal ori illius primò immittit. Secundò, oculos, aures, nares, terra suo sputo madefacta illinit. Tertio, nomen, quo postea vocetur, imponens, in pectore & dorso oleo sancto in crucis formam consignat. Quartò, baptismo ter sanctæ Trinitatis nomine, Patris & Filij & Spiritus sancti, quo etiam alia sacramenta omnia exhibentur, immergit: aut in crucis formam ter perfundit. Quintò, pollice sacro chrismate intincto frontem ipsius cruce notat. Sexto, vestem eum candidam induit. Septimò, candelam ardentem præbet. Iudæi antea quàm baptiZantur, ex Agathonensi consilio menses nouem cathecumeni in fide instruuntur, diesq; quadraginta ieiunare debent,

diuitijs

diuitijs se suis omnibus abdicare, seruos manumittere: filios, si quos Mosaica lege circumciderint, à se procul repellere. Nemini ob id mirandum, si tam grauatè gens illa baptismo admoueatur. Confirmatio, secundum sacramentum, ab Episcopo solùm in ecclesia, ante altare adultis, & si fieri possit, ieiunis, tali quidem ritu largitur. Confirmandi cum singulis patrinis omnes adsunt. Episcopus dicta super omnes vna oratione, singulorum frontes humectato chrismate pollice, crucis forma in Patris & Filij & Spiritus sancti nomine consignat, alapámque maxillæ sinistræ in suscepti sacramenti memoriam, ne repetant incutit, Patrini, ne recens vnctio defluat, aut per incuriam abstergatur, mox præparata ad hoc fascia frontem obligant, quam non nisi septimo die deponere fas ducunt. Tantum huic sacramento sancti patres concessere, vt nomen in baptismate impositum, si displiceat, in huius perceptione ab Episcopo in aliud mutari possit. Tertium sacramentum est: sacer ordo: similiter ab Episcopo solùm in prima ecclesia in Decembri tantùm, nunc constitutis sex anni temporibus, puta singulis quatuor ieiuniorum, eam ob causam institutorum, sabbatis. Sabbato, quòd Sitientes dicitur, & sacrosancti Paschæ sabbato confertur, maribus solummodo: & quorum vita conditio, corporum habitudo, animorum

Tam grauatè Iudæi cur baptizentur.

Confirmatio, secundum sacramentum.

Tertium sacramentum sacer ordo

qualitas, satis cognita perspectáque sit. Septem, secundùm quosdam nouem enumerantur, in quibus singulis characterem specialem suscipientis animæ imprimi, & eum hominem sacrum deinceps esse, credi sancti patres voluere: hi psaltes sunt, hostiarij, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, episcopi: vnum tamen sacramentum, non plura, ratione finalis effecti, quod est dominicum corpus consecrare, censetur. Singulis sua in ecclesia officia, insigniáque ex Toletano concilio constituta. Hostiarijs sacras ædes tueri, aperire & recludere: clauis ob id eis in ordinatione datur. Lectoribus veteris Testamenti sacrarúmque historiarum legendi facultas, Codex tribuitur. Exorcistis obsessos malo dæmone homines adiurare, in signum, quo illud continetur, liber porrigitur: Acolythis candelabra, luminaria: vrceolos ad aram disponere, atq; portare: Candelabrum eis cum cereo, vrceoliq; vacui præstantur. Subdiaconis oblationes percipere, calicem, patinamq; attrectare, & ad sacrificium deferre. Vinum & aquam in vrceolis diaconis administrare. Vacuus ea de re ipsis calix cum patina ab episcopo, vrceoli vino aquaq; pleni, & mappula ab archidiacono dantur. Diaconis Dei verbum gentibus prædicare, & sacerdotibus in sacris ecclesiæ actibus deseruire committitur, Euangelij liber tribuitur, & stola in modù iugi altero tantummodo

Septem clericorum ordines.

Ordinibus officia & insignia data.

eius

eius humero insecta. Presbyteris Dominicum corpus consecrare, pro peccatoribus orare, atq; per iniunctam pœnitentiam Deo rursus conciliare potestas. Calix cum vino, patina cum hostia, stola super vtrumque humerum, & casula insignia. Quid episcopo datum, suprà auditum. Dominica hic tantùm die, horam circiter tertiam, infra missæ officium, priusquam Euangelium legitur, ordinatur, per manus & libri super caput positionem ab alijs episcopis connumerato metropolitano, tribus. Episcopi in prima ecclesia ab alijs presbyteris parum aut nihil differebant, communi concilio ecclesiæ moderabantur, antequàm dissensiones vulgò audirentur, quibus vnusquisque se, non à Christo, sed à quo baptizatus esset, Hic Pauli, alius se Apollinis, tertius Cephæ appellaret. Pro vniformitate igitur conseruanda, & schismatibus, vitandis, necessariò decreuere sancti patres, vt communi appellatione omnes, qui baptizarentur, Christiani deinceps à Christo dicerentur, vtq; singulis prouincijs, prout magnæ vel paruæ essent, vnus aut plures presbyteri probatiores, episcopi nomine, præficerentur: qui non, vt anteà, suo nutu, sed ecclesiæ Romanæ, sacrorumque conciliorum statutis, ordinationibúsque subditum sibi & clerum & populum gubernarent, instituerćutque. Tunc primùm piorum principum auxilio permissuq; regiones per totum Christianum orbem in

Episcopi consecratio

Episcopi à presbyteris olim nihil differebant.

Christiani à Christo.

Episcopi quomodo primò introducti.

diœceses. diœceses in conuentus seu caiptula, capitula in parochias diuisæ: & pulcherrima illa ordinatio, qualis adhuc cernitur, tam in clero, quàm populo facta, vt populus vicanus dato iure suo parocho obediat, parochus decano, decanus episcopo, episcopus archiepiscopo, archiepiscopus primati, siue patriarchæ, primas siue patriarcha legato, legatus papæ, papa concilio, concilium Deo soli. Corporis & sanguinis Christi salutiferum sacramentum sacerdos quisque ritè secundum ecclesiæ claues ordinatus, consecraréque intendens, obseruata verborum forma conficere, ex triticeo pane verum corpus, ex vino verum sanguinem Iesu Christi potest. Ipsemet Christus dominus noster nocte, quæ passionis suæ diem proximè præcessit, cum discipulis celebrauit, & in memoriam sui ipsius celebrandum, manducandumq; perpetuò instituit & consecrauit. Magna fide circa id necessarium, vt primò transmutari panem in corpus, vinum in sanguinem Christi credatur. Secundò, id licet quotidie fiat, Christum tamen non augmentari. Tertiò, manducatum in dies non minui. Quartò, sacramento in plures partes diuiso integrum Christum in singulis etiam minimis particulis permanere. Quintò, ab homine malitioso manducatum non coinquinari. Sextò, sumentibus malis mortem, bonis vitam æternam conferre, Septimò, manducatum non

Corpus & sãguis Christiqu. rum sacramentum.

Magna fide opus vt tredecim sequentia credantur.

non in manducantem, vt alius cibus, sed manducantem in ipsum conuerti. Octauo, manducatum illæsum in cælum rapi. Nonò, tam in exigua & modica panis aut vini forma immensum incomprehensibilémque deum & hominem Christum comprehendi. Decimò, vnum atq; idem Christi corpus vno momento multis in locis, multis ab hominibus, & diuersa sub specie percipi. Vndecimò, mutata substantia panis in veram Christi carnem, vini in sanguinem verum, naturalia accidentia panis & vini permanere: non carnis aut sanguinis assumere. Duodecimò, dignè manducantibus vtilitates duodecim maximas, quæ in his versibus enumerantur, subministrare: Inflammat, memorat, substentat, roborat, auget Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat, & vnit, Confirmat fidem, minuit, fomitemq; remittit, Vltimò, tam viuis quàm defunctis, pro quibus à sacerdote specialtim in sacrificio offertur, miro modo salutificum & vtile esse: Eucharistiam communionem propterea dici. Consecrabatur quidem ab exordio Christianæ religionis, & adhuc, vt aiunt, apud schismaticos quosdam, tantæ magnitudinis vnus panis, qui à sacerdote in scutellam comminutus, omnibus, qui sacrificio aderant, communicari satisq; esse posset. Ex præcepto namque olim Christiani de eo quotidie commũnicabant: deinde dominicis tantùm diebus. Sed cùm nec his etiam dignè obseruaretur, præceptum

Eucharistia communio

Quo têpore sumendum

ptum vt in anno ter, vel ad minus semel sacra videlicet Paschatis tempore in omniq; vita pe-
Viaticum. *riculo pro viatico, quo etiam nomine appellatur, Christianus homo quilibet sanæ rationis diligentiori qua vnquam possit, & animæ & corporis sui ad hoc præparatione percipiat.*
Matrimonium sacramentũ quintum. *Matrimonium, quod est maris & fœminæ legitima coniunctio, iure naturali, diuino, gentium & ciuili inductum sacramentum quintum, Sancti patres in Christiana pietate vnum non plura simul, publicum non clandestinum, in*
Matrimonij iura. *ecclesia vel eius foribus solenniter fieri præcepere, ita scilicet, vt sacerdos accersatur, qui virum primò, deinde fœminam inquirat, in matrimonium contrahendum vtriquéne consentiant: quibus consentientibus, quod maximè in eo necessarium est, ipse, comprehensis amborum dextris, eos in indiuiduæ sanctæq; Trinitatis & vnitatis nomine Patris & Filij & Spiritus sancti coniungens, iubet, hortatúrque, vt vnanimis huius & mutui coniugij perpetuò memores, viuentes se mutuò nunquam derelinquant, mutuò diligant, mutuò deseruiant, honorent: procreationi, non libidini, studeant: natos ex se pueros honestè & diligenter educent: annulo posteà eos subarrat: & aqua benedicta aspersos, porrecta stola in ecclesiam introducit, supplices ante altare, si priùs benedicti non sint, benedicit. Mulier rubea vitta, & supra hanc candido velamine*

obuel

obuelatur, sine quo deinceps in publicum prodire, aut viris assidere haud licitum. Duodecim esse, quibus matrimonium contrahendum impediri, contractum dirimi rursus voluere. Personæ vtpote errorem, conditionem interpositam, cognationem, crimen apertum, sectæ disparitatem, violentiam, sacrum ordinem, ligamen, quo alij alter obstringitur, publicam honestatem, affinitatem, coeundi impotentiam. Sextum ecclesiæ sacramentum, Pœnitentia est, à Christo pro altera naufragij tabula datum, quam Christianus homo quilibet; indubiè credere debet in quatuor consistere: Peccatorum videlicet pœnitudine, canonica confessione, absolutione, satisfactionéque. Primò non leui sed grauissima pœnitudine in animæ penetralibus super perdita, iterumq; amissa illa, per peccatum puritate & innocentia, quàm vel baptismo, vel superioris pœnitentiæ beneficio consequutus fuit, doleat, & dolore siue pœnitudine ea se reconciliandum rursus Deo speret, omnia quibus sese innocentiam amisisse, indignationémque Dei in se concitasse cognoscit, sacerdoti prudenti, ore proprio humiliter verè loco Dei confiteatur, firmiterq; credat, à Christo illi, ceu suo in terris vicario, potestatem concessam esse, vt se à peccatis confessis omnibus absoluere possit. Postremùm pro satisfactione, & culparum remedio non grauatè, verùm alacriter obeat quicquid facere iussus fuerit: indubitata fide credat

Duo deci matrimonio obsta-cula.

Sextum sacramentum pœnitentia

Pœnitẽtia.

Confessio.

Satisfactio. Absolutio.

credat absolutum esse se, quàm mox à sacerdote absolutio debita verborum forma pronunciata fuerit. Vltimum sacramentum Extrema vnctio creditur, per oleum, quod ad hunc vsum ab episcopo in singulis diœcesibus, annuo ritu, quinta feria, quæ Pascha festum proximè præcedit, quemadmodum chrisma consecratur à sacerdote ex Iacobi apostoli præcepto, & Felicis Papæ in sede beati Petri quarti institutione moriturus tantummodo adultis, atque eam poscentibus præstatur. Præscripta verborum forma & crebra sanctorum inuocatione, ea corporis membra iunguntur, quibus quinque sensus, visus, auditus, gustus, olfactus, tactus maximè vigere, & homo deliquisse existimatur, vtpote os, oculi, aures, nares, manus, & pedes, quæ concedi, si dignè percipiatur, nedum leuium delictorum omnimodam remissionem, verùm quoque, aut mox pristinam sanitatem, aut obitum maturiorem, leniorémque sancti patres credi voluere. Festi dies, quos per annum ab Ecclesia obseruari præcepere, initium à Christi domini nostri aduentu, quem in Decembri apostolus Petrus per hebdomadas integras treis, & dimidiam ieiunio & oratione ante natiuitatem eiusdem, quæ vltimis Decembris diebus continuis octo ingenti gaudio & solennitate celebratur, omnes auspicantur. Annum in hebdomadas quinquaginta duas: hebdomadas in menses duodecim,

Vltimum sacramentũ vnctio extrema.

Quæ corporis membra inungãtur.

Extremæ vnctionis effectus.

Qui dies Christianis sacri.

Aduentus domini.

Temporis diuisio.

decim, menses vt plurimum in dies triginta diuisere. Prima Ianuarij die, vt secundum Mosaicam legem Christus præputio circumcisus sit, Ecclesia recolit. Tertia posteà, vt à Magis tribus, tribus muneribus adoratus, atque à Ioanne in Iordanis flumine baptizatus, nouæ legis primordia fecit. Secunda Februarij die, vt immaculata mater eius patrio ritu obediens templo ipsum intulerit, & sese purgari permiserit: in cuius rei memoriam solennis ab Ecclesia eo die processio peragitur, candelæq; cereæ benedicuntur. Vicesimaquinta Martij, vt nasciturus Christus virgini Mariæ per angelum annunciatus, sancti Spiritus obumbratione in vtero conceptus sit: quo tempore, quadraginta etiam dies, quos nobiscum in terris agens ieiunauit, & nos ieiunare, passionemq; ipsius & mortem, quam, vt nos à diaboli iugo liberaret: sponte sua sustinuit, recolere voluere: vltima illius ieiunij die, quæ frequenter in Aprilem cadit, maximo omnium festo, vt superata morte ad inferna descendit, diabolo expugnato rediit suis iterum viuus, & gloriosus multum apparuit, celebrare in Maio, vt spectantibus discipulis vniuersis propria virtute in cælos ascendit: Quo tempore beati Mamerti episcopi Viennensis institutione per vniuersum Christianum orbem peregrinationes, seu litaniæ de ecclesia vna ad aliam minores fiunt. In Iunio & Maio

Circúcisio Christi.
Epiphania domini.
Purificatio Mariæ.
Annúciatio domini.
Ieiunium domini.
Passio domini.
Resurrectio domini.
Ascensio ad cælos.
Litaniæ minores.
Pentecostes festum.

quand

quandoque vt promissus Spiritus sanctus discipulis Christi singulis in ignitarum linguarum formis deorsum datus apparuit, ac omnium nationum linguas & loqui, & intelligere dedit. Octaua die sequenti festum sanctæ Trinitati celebre. Deinde quinta ex Vrbani sexti institutione, vt in vltima cœna Christus in perennem sui memoriam saluberrimum corporis & sanguinis sui sacramentum sub panis & vini speciebus perpetuò visendum, vescendúmque suis post se relinquens instituit, frequenti celebritate recolitur. Decimaquinta Iulij, vt beati apostoli, velut iussi fuerant, duodecimo anno post domini sui in cælos ascensionem, ad prædicandum gentibus in orbem vniuersum abierunt, nouo festo memoratur. Obitus genitricis Christi decimaquinta Augusti, Natiuitas, octaua Septembris. Vt templo præsentata à trimatu ibi ad nubiles vsque annos Deo iugiter seruiendo permanserit, vicesimaprima Nouembris peragitur. Octaua Decembris immaculata illius ex diu sterilibus parentibus conceptio veneratur. Secunda Iulij die vt montana transcendens Elizabeth cognatam inuisit. Constituti etiam duodecim Apostolis, quibusdam martyribus, nonnullis confessoribus, & virginibus, sacri dies. Vicesimaquarta siquidem Februarij Matthiæ, Marco Euangelistæ vicesima quinta Aprilis, quo die Litanias maiores Gregorius fieri or-

Trinitatis festum.

Corporis Christi.

Apostolorũ diuisionis.

Assumptionis Mariæ.

Natiuitatis Mariæ.

Præsentationis in templum.

Conceptionis Mariæ.

Visitationis

dinauit, Philippo & Iacobo maiori prima Maij, Petro & Paulo vicesimanona Iunij, & eiusdem mensis dies vicesima quarta Natali Ioannis Baptistæ sacra est, Vicesima quinta Iulij Iacobo minori, Bartholomæo vicesimaquarta Augusti, Matthæo vicesima prima Septembris, Vicesimaoctaua Octobris Simoni & Iudæ, Vltima Nouembris Andreæ, Vicesimaprima Decembris Thomæ, & eiusdem mensis vicesimaseptima Euangelistæ Ioanni, protomartyri Stephano præcedens dies dicata, Innocentibus pueris subsequens, Laurentio decima Augusti, Georgio vicesimatertia Aprilis, Martino & Nicolao solis ex omnibus confessoribus festa, huic sexta Decembris, illi vndecima Nouembris tributa, Catharinæ virgini vicesimaquinta Nouembris, Mariæ Magdalenæ vicesima secunda Iulij. Esse etiam sub vnius Michaelis nomine omnibus beatis angelis diem vicesimumnonum Septembris sacrum. Et in commune omnibus sanctis & electis dei primum Nouembris voluere. Septimam præterea quamque diem, quemadmodum Iudæis sabbatum, Dominica appellatione ab omni seruili operatione prorsus Christianis quietam esse: Solùm diuinis laudibus, diuinis sacrificijs in ecclesia operari: Euangelium & fidei præcepta à sacerdotibus prædicantibus addiscere, ac quibuscunque modis cælestis in nos numinis iram diebus sex intermedijs pro-

Dominica dies Christianis, vt Iudæis sabbatum sacra.

uocasse timemus, hac die totum deprecari, expiarcque. Olim quaque quinta dies pari celebritate obseruabatur: sed ne idololatris gentibus, quae Iouis hac die feriabant, nonnihil condonaretur, abrogata. Rursus fiebat tam dominicis diebus quàm quintis ferijs ante missae incaeptionem per ecclesiarum circuitum à clero & populo solennis processio, atque aquae benedictae per sacerdotem aspersio. Agapitus instituit hanc in memoriam Christi ascensionis, in illa gloriosae resurrectionis, quae de dominica in dominicam, velut de octaua in octauam perpetuo festo celebratur. Per noctes, quae praecipuos solennes dies praecedunt, totas olim ex praecepto clerus & populus omnis in ecclesia diuinis laudibus inuigilabant: sed ob plura enormia scandala & crimina, quae tenebris occultantibus à malitiosis interim perpetrabantur, mos iste sublatus, pro eo ieiunia die praecedenti instituta adhuc vigiliarum nomen retinent. Quinque per annum Ecclesiam recolere statuere: A dominica, quae septuagesima à septuaginta diebus, quos includit, ad octauam Paschae Christi domini ieiunium, passionem, mortem, sepulturam, praeterque hos primorum parentum miserabilem lapsum, maximósque humani generis errores illos, quibus à veri numinis cognitione cultúque abducti, ad idolorum & malorum daemonum profanam obseruationem declinauit. Duram item & intol

Quintaquaque dies olim sacra vt dominica hodie.

Processio dominica die quare fiat.

Quinque per annum ecclesia recolit.

Christi passionem.

intolerabilem illam seruitutem, quam sub Aegyptio Pharaone Israëliticus populus seruiebat: quare in canonicis horis Geneseos & Exodi libri leguntur, & tristitiam tam in gestu, quàm cultu omnem Ecclesia ostentat. Ab octauo Paschatis die ad octauam Pentecostes Christi resurrectionem, ascensionem, & sancti Spiritus transmissionem: cúmque hoc humani generis Deo Patri per Filium reconciliationem, redemptionémq; : ac, in qua praefigurata fuit, filiorum Israël in terram promissionis restitutionem: noui ob id instrumenti libri leguntur, & iucunda laetáque omnia repetuntur. Ab octauo deinde Pentecostes Ad Christi aduentum vsque per hebdomadas plus viginti miracula & conuersationem illius cum mundo celebrare voluere: praetérque hoc longam illam peregrinationem, quam à restituta salute ad extremum seculi diem de generatione in generationem longa serie humanum genus facit, vnde ob diuersam fortunam, qua velut in aestuoso pelago nauis fluctuatur, ecclesia neque satis exsultat, neq; tristatur, verùm vt cautè ambulet, victoriámque ex ingruentibus procellis reportet, varij veteris & noui instrumenti libri praeleguntur. A domini insuper aduentu ad ipsius natiuitatem temporis meminisse, quod à Mose ad Messiae exortum perdurauit, quo certificatum de sua salute humanum genus ex lege & prophetis illius aduentum, futurúmq;

Christi resurrectioné

Christi in mundo cõuersationé.

Christi exspectationé

rúmque regnum ardentissimis desiderijs expectauit: prophetias igitur legi, & ieiunium obseruari statuere: vt Ecclesia ex his & edocta melius, & habilitata, domini sui Christi natalem, qui in quarta hebdomade semper celebratur, dignè exceptum, læta salutis suæ primordia, veluti continuo festo ad septuagesimum vsque dignè & meritò pertractaret. Oratoria siue templa, quæ Ecclesias appellauere, non nisi Episcopi diœcesani permissu ædificari voluere, & comportata ad structuram materia, fundóque solidiori reperto, eundem ad hoc accitum lapidem primariam angularem in fundamentis benedicere, signo crucis signare, & orientem solem versus dirigere: tum primùm fabris cæmentarijs superædificare fas esse. Aedem in humani corporis seu crucis formam. Chorum, in quo summum altare, & psallentium clericorum chorus, à quo appellatur, esset; caput præsentare orienti obiectum, rotundum, posteriori ædificio breuiorem: sed propter oculos, qui in capite sunt, magis luminosum, cancellis è reliquo corpore, veluti collo distingui. Turrim huic vnam, aut duas (forsitan aptius) aurium loco annecti. Campanas in his suspendi, ad populum ad diurna nocturnáque officia conuocandum. Posterius ædificium, ita quoquo versum constitui, vt aptè brachia ad dexteram læuámque reliquum corpus cum pedibus porrectum in longum latúmque

Christi Iesu natalé dié.

Christianorum oratoria siue templa.

Dispositio templorum Christianorum.

Posterius ædificium.

tumque significet. Conclaue concameratum, vt plurimum sub turrium vna, esse, ianuam in chorum habens, in quo sacrorum vasa, consecratæ vestes, aliaq; ecclesiæ vtensilia reponantur. Sacrarium illud dici. Columnas duplici ordine locari, in quarum epistylijs testudinem aut tectum quiescere, basibus inferius altaria applicari, altaria pallis duabus ritè lustrata, Christi cruce, aut sanctorum reliquias conseruante arcula. Candelabris duobus hinc atque hinc dispositis, & libro semper exornata esse. Parietes intus & extra incrustari, variaq; pictura insigniri. In singulis parochiis singulos excauatos & bene munitos lapides haberi, in quibus consecrata baptismatis vnda pro baptizandis conseruaretur. Ad dexteram summi altaris parieti aut applicari aut incidi riscum, in quo dominici corporis sacramentum, ac oleum sacrum pro ægrotis, Chrisma pro baptizandis omni tempore sub clausura haberi voluere. Suggestum in ecclesiæ ad hæc medio esse ex quo festis diebus populus à sacerdote suo quæ sciri opus sit, edoceretur. Clero soli chorum in ecclesia locum esse, profanæ multitudini posteriorem partem: diuisim tamen: viris dextrum latus, mulieribus sinistrum: honesto vtrosque & gestu & cultu esse: quicquid contra bonos mores, contra Christianam religionem esset, magna diligentia deuitare. Comas in prima ecclesia tam viros quàm mulieres nutrire,

Sacrarium columnæ.

Altaria & eorum ador natio.

Baptisterium

Sacrum riscum.

Suggestum.

Christianorũ honestas in ecclesia.

& corpus nudum ostentare mos fuit. Nihilque aut parum in corporis cultu differre. Mulieres capita obnubere, viros comas decurtare, & vtrosque in habitu discretos esse beatus Petrus primùm praecepit. Admetiri porrò sacris aedibus omnibus adiacentem agrum, in quo Christianorum hominum cadauera communiter sepelirentur, Cœmiterium appellari, ab Episcopo consecrari, atq; omnibus, quibus ecclesia, priuilegijs vti. Defunctis non vbique aequaliter exsequiae parantur: aliqui enim continuis diebus septem, aliqui nouem, quidam triginta, aut quadraginta, aut quinquaginta, nonnulli centum, reliqui toto anno nigris indumentis obuoluti magis, quàm vestiti, lugent, & iusta quotidie faciunt. Cadauer lotum priùs, sudarioq; aut cilicio indutum à suae conditionis viris, clerici à clericis, laici à laicis cum cantu Toletanum concilium efferre decreuit, à sacerdote thure suffitum, & benedicta aqua conspersum, cum certis imprecationibus sepulcro imponi resupinum, pedibus ad orientem, capite ad occidentem solem versis, terra postea obruit. Sepulcrum, in signum Christiani ibi sepulti lignea cruce, & circum eam hedera, cupresso, aut lauro insigniri. Christianae religionis instituta haec sunt.

Cœmiterium. De functorum exequiae, & quandiu lugentur.

Christianorum funeratio.

DE EVROPEIS MEMORABILIORIBVS GENTIBVS, LIBER III.

CAPVT I.

POST *Asiam ad Europam tertiam orbis partem stylus vertendus est, appellatam ab Europa Agenoris Phœnicum regis filia, quæ à Ioue rapta, in Cretam abducta fuit. Ab Occidente mari Atlantico clauditur, à Septemtrione oceano Britannico, ab Oriente Tanai, Mæotide palude, & Ponto, à Meridie Mediterraneo. Terra multifirmis, & ad virorum virtutem ingenuè disposita, ciuiliúmq; & domesticarum ad alios rerum transfusiua. Est enim tota habitabilis: in exigua tantummodo parte propter frigoris vim inhabitabilis: quæ finitima Tanaidis & Mæotidis incolis Borysthenensibusq; in curribus degentibus: habitabilis autem regionis id, quod algidum est, & montanum, laboriosè habitatur. Curatores autem probos suscipientia loca etiam prauè habitata & per latrocinia mitigantur. Quemadmodum obtinētes Græci mōtes petrasq;* Europæ limites. Europæ fines. Græci.

incoluerunt pulchrè ob prouidentiam circa ciuilia, artésq;, & reliquum ad vitam sensum. Romani quoque multas gentes accipientes, quæ natura inhumanæ erant, ex ipsis locis asperis importuosisq; & frigidis, causáve alia malè habitatis insociabiles homines inter se, multis aliis admixtis connexuerunt. Et ciuiliter quidem viuere agrestiores durioresque docuerunt. Quantum autem Europæ ipsius in plano est, naturalémque temperiem habet, multum adiuuat ad ista: quandoquidem id, quod est in felici regione, pacificum omne est: & quod in tristi pugnax & virile, accipiúntque hæ gentes aliqua inter se beneficia: aliæ enim opem armis ferunt, aliæ fructibus & artibus, morumq; doctrina. Manifesta verò sunt etiam non auxiliantium inuicem detrimenta. Habet superius quiddam vis arma tenentium, nisi ea ipsa multitudine superetur: adestq; terræ ipsi etiam vltra hoc quoddam naturale bonum: quòd ea sanè omnis planitie, montibúsque distinguitur. Ita vt vsquequaque descriptibile & ciuile pugnaxq; subiaceat: plusq; esse alterum, id scilicet, quod est pacis familiare: ita vt hoc vincat, adiuuantibus etiam ducibus, Græcorum prius, Macedonum verò, Romanorúmque posterius. Ex hoc autem & ad pacem, & ad bellum sufficientissima est sibi. Etenim multitudinem pugnacem abūdè habet, & quæ agros colat, & quæ vrbes quoque contineat. Excellit hæc

Romani.

Europa & ad pacem & ad bellū sibi ipsi sufficientissima.

hec & fructus afferens optimos, vitæq; necessarios: & metalla quæcumque vsui sunt: odores ad sacrificia, necnon multi sumptus lapillos ipsa extrinsecus petit. Quarum etiam rerum in opibus nihilo deterior, quam abundantibus est vita. Similitérq; pecudum exhibens mitium multarum copiam: At bestiarum, ferarúmque habet raritatem. Et talis quidem natura est Europæ in vniuersum, particularis autem pars prima est omnium ab ortu Græcia.

De Græcia, & legibus à Solone Atheniensibus Græcorum longè principibus sancitis.

CAP. II.

GRæcia, Europæ regio est, à quodam Græco, qui late in ea rerum olim potitus est, appellata. Hæc ab Isthmi angustiis incipit, & à septentrione in meridiem vecta, qua sol oritur Ægæis, quà occidit Ioniis fluctibus obiacet. Thermopylæ mediam dirimunt, vt Italiam Apenninus, iuga montium à Leucade & mari ad occidentem solem verso, ad alterum mare, quod ad ortum spectat, tendentia. Extremos montes ad occasum Oetam vocant, quorum, quod altissimum est, Callidromum appellant, per cuius vallem in Maliacum sinum iter est, non latius LX. passibus. Hæc vna via militaris est, per quam, si nemo prohibeat, traduci potest exercitus: cætera loca adeò ardua & perplexa, vt ne expeditissimis quidem sint peruia: ideo pylæ, quasi portæ, dictæ:

Græciæ descriptio.

Thermopylæ.

Apenninus

Callidromus.

m 5

dictæ: & à calidis aquis inbi nascentibus Thermopylæ. Iacent ad mare versa, Acarnania, Aetolia, Locris, Phocis, Bœotia, Eubœa penè terræ annexa: Attica & Peloponnesus, longiùs prædictis in mare excurrunt, diuersa montium specie: & qua ad Septemtrionem obuersa iacet, includitur Epirus, Perrhabia, Magnesia, Thessalia, Phthiota, & sinus Malliacus. Athenas ciuitas liberalium literarum & Philosophorũ mater, & qua nihil habuit tota Græcia clarius atque nobilius, fuit inter Achaiam & Macedoniam in regione quæ Attica appellatur ab Atthide filia Athenarum regis, qui Cecropi in regno successit, & Athenas condidit, vnde & Cecropia dicta est, & postea à Mopso Mopsopia: & à Ione Xuthi filio, vel, vt Iosephus scribit, à Iano Iaphet filio Ionia: postremò à Minerua Athenæ: Græci enim Mineruam Ἀθηνᾶν vocant. Atheniensibus Draco primùm leges conscripsit, deinde Solon Salaminius multis prioribus ob pœnarum magnitudinem abrogatis: omnibus ferè enim legibus, quas Draco tulerat, pœna erat morte definita, vt otij & desidiæ conuicti capite plecterentur. Qui olera, fructusve in alieno prædio legisset, eodem quo & parricidæ supplicio puniretur. Ciuitatem censûs æstimatione Solon in ordines distribuit. In primo ij fuere, quibus quingentorum Medimnûm esset censûs. Secundo dein loco adscripti,

Regiones Græciæ.

Athenæ & studium instituta.

Athenarũ appellatio.

Draconis leges.

Ciuitas in ordines distributa.

adſcripti, qui trecentis cenſi ferent, equóſque alere poſſent. Tertius equorum onere adempto pari cenſu æſtimatus. Et ex his ferè ordinibus Magiſtratus creari: qui infra fuerunt, Mercenarij nuncupati, concionis habendæ, iudicandiq; munia, cæteris excluſi magiſtratibus, obibant. Quam ciuilem inſtitutionem Romæ Seruius Tullius magna ex parte imitatus creditur. Concilium in Areopago ex annuis magiſtratibus conſtituit: inſtituti huius Draconem auctorem prodiderunt. Quidam ſecundùm hæc, quæ dixi, vt omnem Solon ciuilis diſcordiæ occaſionem in futurum tolleret: ne temeraria multitudo incertis (vt ſolet) flatibus iudicia turbaret: ex quatuor tribubus, quæ Athenis erant, quadringentos legit viros, ex ſingulis centum: his permiſſum, vt quæ Areopagitæ decreuiſſent, ſi æqua viſa forent, probarent: ſi minus eſſent placita, pari poteſtate reſcinderent. Atque ita velut duabus anchoris nixus, aduerſus omnes fluctus immobilis manſurus ciuitatis ſtatus videri potuit. Parricidij, affectatæq; tyrannidis damnati, ne magiſtratum caperent lege vetuit. Nec hos ſolùm ab honorum petitione excluſit, ſed eum quoque qui orta in ciuitate ſeditione neutram partium ſequutus eſſet: mali ciuis eſſe ratus, quum proprias rationes in tuto collocarit, nulla communi cura ſolitudinéve teneri. Habuit nec minùs admirationis ſuud, vt fœminæ quæ

Concilium in Areopago.

Quatuor tribus.

Quadringenti viri Areopagitis additi.

Lex admiranda pro mulieribus

viros

viros parum ad rem veneream idoneos sortita essent, vnum, quem vellent, ex mariti propinquis impunè admitterent. Dotes pecuniariæ sublatæ. *Pecuniarias dotes à medio sustulit, vt pauca vestimenta, & vasa quædam paruo empta paterna domo ferret mulier: testatus coniugij societatem, non pretio, sed natorum charitate iungi oportere: ne in defunctos vita maledicta iacerentur. Si quis in sacro aut in iudicio, ciui conuicium fecisset, quinque drachmis multaretur.* Leganda pecuniæ facultas permissa *Leganda pecuniæ; cæterarúmque rerum facultatem testari volentibus permissam, quum prius patrio instituto in familia esse debere censerentur, quæ amicitia propinquitati prælata est, & gratia necessitati, in ea cautum ne dementia, subdoláve persuasione fieret. Ploratus & lamentationes in alieno funere sustulit.* Luctus in alieno funere inhibitus *Nec subsidia alimentáve vlla filius patri deberet, à quo non arte esset aliqua ad vsum vitæ institutus. Qui illegitimo essent toro procreati, neu parentes alerent. Enimuerò qui meretricio non abstinet congressu, perbellè demonstrat, se non liberorum procreationi, sed voluptati studere, séque ipsum mercede priuat.* Adulterorũ pœna. *Mœchum in adulterio deprehensum impunè necari voluit. Qui vim ingenuæ virgini intulisset, decem drachmis multari. Ius vendendæ filiæ sororísve sustulit, nisi adhuc in stupro deprehensæ.* Victorum præmia. *Qui Isthmia vicisset, centum drachmas: Qui* [illegible]

Qui

Qui lupum victum attulisset, quinque drachmas ex publico acciperet. Qui lupam, drachmam vnam: hoc pecoris, illud bouis pretium. Vetus fuit mox Atheniensium hác beluam insectari, quippe quæ æque sit pecuariæ rei & agrorum cultui infesta. Eorum liberos, qui in prælijs occubuissent, publice nutriendos erudiendósque præcepit, quo sanè animati singulis fortiter ac strenue in bellis dimicarent. Voluit etiam vt & is, qui oculos in bello amisisset, publicè aleretur. Præclare & illud statuit, curatorem cum pupillorum matre non inhabitare. Cauit ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret. Illud item, non licere annulario venditi annuli seruare sigillum. Et qui alteri vnum oculum eruerit, ei ambos erui debere. Et quæ non posuisti ne tollas: si quis secus faxit, capitale esto. Principem, si ebrius deprehensus esset, morte multandum. Athenienses vt dies secundùm lunæ cursum agerent, monuit. Ex omni genere frugum mel & ceram extra Atticos fines asportari permisit. Nullum ciuitate donari nisi opificem, qui cum tota domo se Athenas contulisset, aut perpetuo exilio natali solo pulsus esset, censebat. Has leges Solon ligneis tabulis, quas Axionas dixere, notatas, in centum annos sanciendos curauit, haud ignarus fore, vt his ciuitas longo temporis intercapedine assueta, in perpetuum deinceps sanciret.

Lupus ab Atheniensibus insectatus.

Occisorum in bello liberi ex publico alti.

Curator pupillorum.

Princeps ebrius morte multandus.

Legũ tabulæ Axionæ dictæ.

Herod

Herodotus in decem annos Atticis legibus cautum prodidit. Sed vt sanctiores essent, magisque obseruarentur, aliorum legumlatorum more, qui latas leges ad numen aliquod referre solent, ipse, quemadmodum Draco antea, Mineruam suarum auctorem dixit, atq; in verba sua iurare in foro ad lapidem senatum populúmque induxit. Fuerunt Athenienses non aduenæ, neque paßim collecta populi colluuies originem vrbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt: & quæ illis sedes, eadem origo est. Primi lanificij, & olei, & vini vsum docuere, arare quoque & serere, frumenta glande vescentibus monstrauerunt: literæ certæ, ac facundia, & hic ciuilis ordo disciplinæ veluti templum Athenas habent. Tres leges, quæ in Neptuni placationem à Cecrope in mulieres, à quibus deus ipse suffragio fastiditus fuerat, & Mineruæ posthabitus, latæ erant, adhuc obseruabantur, videlicet, ne vlla vnquam mulier senatum ingrederetur, vt nulla earum proles maternum nomen accipiat, ne quis eas Atheneas siue Athenienses dicat, sed Atticas. Cæsos in bello, Thucydide auctore, in hunc modum sepeliunt: facto ante triduum tabernaculo, mortuorum ossa proponuntur, & suorum quisq; reliquijs, si quid lubeat, imponit: quum efferuntur, singularum tribuum singulas arcas ex cupresso suæ quamq; tribus ossa continentes vehicula portant. Vnus

Minerua Atheniensiũ legum auctor.

Atheniensium origo & inuenta.

Tres leges in Neptuni placationẽ in mulieres

Cæsos in bello quomodo Athenienses sepeliant.

item

item torus inanis fertur, constratus eorum, qui non exstant, qui inter cæsos non fuere reperti. Efferunt autem promiscuè voluntarij quique vel ciues vel hospites, fœminis propinquitate coniunctis ad sepulchrum eiulantibus, condúntque in publico monumento, quod est iuxta monumentum Callisti, apud suburbana, vbi semper eos sepeliunt, qui in bello ceciderunt, præterquàm, qui in Marathone, quorum singularem fuisse virtutem existimantes, eodem in loco sepulcrum fecerunt: posteà verò quàm eos humauerunt, aliquis ab ipsa ciuitate delectus vir haudquaquam pro inconsulto habitus, & cui pro dignitate conueniat, super eos orationem habet, qualem decet de eorum laudibus: qua habita disceditur. Hoc quidem more sepeliunt quo per omne belli tempus, quoties id accidit, legitimè vtuntur.

Monumentū Callisti.

Marathon ciuitas non procul ab Athenis.

De Laconia, & Laconum, siue Lacedæmonum institutis. CAP. III.

LAconia in Peloponneso prouincia, quæ & Oebalia & Lacedæmonia dicitur, à Lacedæmone Iouis & Taygetes filio: à quo etiam clara & potens ciuitas in eadem regione ædificata est atque appellata. Hæc quoque Sparta dicta est, à Sparto Phoronei filio: Agamemnonis regia fuit. Lycurgus insignis Philosophus Polydectis Regis frater cum vita illo defuncto imperium relicti filij tutoris nomine aliquādiu administrasset, ciuitatis statum atque

Oebalia Lacedæmonia [illegible]

Sparta.

Lycurgus Philosophus Legislator.

atque regionis optimis institutis, optimis legibus excoluit. Quum anteà ex omnibus ferè Græcis soli Lacedæmonij pessimè morati essent, tam circa se, quam circa hospites, nullo consuetudinis conuersationísque commercio. Lycurgus ergo audacter rem aggressus, omnia iura, instituta, & priscos viuendi ritus abrogauit, atq; ciuiliora quædam multoq; laudabiliora instituit. Primùm omnium seniores de republica electi, qui cum Regibus, qui duo numero creati sunt, consultarent: is ordo velut arbiter fuit inter regiam potestatem, & vim multitudinis: ne, aut hæc contumacia sæuiret, aut imperio illi. Octo & viginti seniores (tot enim fuisse Aristoteles scripsit) duobus regibus assidebant, ne nimium Democratia inualesceret prouidentes, & rursus, ne qui Regnum tenerent, tyrannicum quipiam molirentur: quæ hic ordo decreuisset, cætera multitudo vt sciret necesse erat. Addita deinceps post multos annos Ephororum potestas huic paucorum administrationi, quæ Græco verbo Oligarchia dicitur, posteaquam nimis visa est ferocessere, estq; quasi frænum conciiio illi iniectum: accidit id tamen centesimo à Lycurgi interitu anno, quum Theopompus regnaret. Alterum ab Oligarchia institutum, agrorum diuisio: persuasit illi multitudini, vt solum omne Laconicum in medio positum æquis in singulos portionibus diuideretur: oportere ratus ciuem ciui ingenio

Reges simul apud Lacedæmones regnabant.

Octo & viginti seniores.

Democratia, id est, principatus populi.

Ephororum potestas. Oligarchia.

[illegible] plebis

Agrorum diuisio.

ingenio & virtute: & non luxu, & diuitijs præstare. Abijt igitur vniuersa terra in sortium nouem & triginta millia: in nouem millia vrbanus ager: paganicus & municipalis in triplo & amplius maiorem numerum: portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos LXX. *fœminæ* XII. *annuos ferret. Habuit à principio in animo & res mobiles diuidere, sed inuidiam veritus, quæ inde imminebat (plures enim videbantur id ægrè laturi) omnem auri argentíque vsum è medio sustulit, ferreumq; nummum induxit, percussitq; decussem, quem iussit minimum valere, ac tum demum omnis furandi occasio sublata est. Ignitum ferrum, ex quo nummum percussit, aceto exstinxit, vt ad rem nullam amplius ob mollitiem vtile redderetur. Omnes ad hoc artes vt inutiles orbe eiecit: quanquam artifices ipsi sublato auri vsu sua sponte inde transmigrarunt, quum ferrei nummi apud alios in vsu non essent. Mox verò vt omnem ex ciuitate tolleret luxum, publica conuiuia instituit, vt diuites promiscuè & inopes vni adhiberentur conuiuio, vnisq; vescerentur epulis. At ne lautorum quisquam cœnatus in publicum veniret, quiminus cupidè & hilariter vesceretur, vt parum frugi à proximè accumbentibus obiurgabatur. quo planè instituto omnis vetus è medio luxuria sublata est. Exarserunt ex ea re potentiorum ira: impetuq; in eum facto, alter est illi oculus baculo excussus:*

Auri & argenti vsus è medio sublatus.

Artes omnes apud Lacedæmones sublatæ.

Luxus omnis sublatus.

quare cautum, ne Spartiatæ cum baculo amplius ad conuiuium intrarent. Hunc conuiuandi ritum Philias dixerunt, haud dubiè publicæ amicitiæ & humanitatis argumento: vel quòd quasi Phiditia dicerent, quòd ita conuiuando φειδεῖ, id est, parsimoniæ assuescerent. Qui sacrificij aut venationis causa conuiuio non occurrissent, his domi cœnare permissum, cætera multitudo aderat. Conferebant ad hoc conuiuium quotannis singuli farinæ medimnum, vini coros octo, casei quinque minas, ficuum quinque semis minas. Frequentabant id pueri etiam velut temperantiæ omnisq; ciuilis disciplinæ gymnasium: assuescere ibi vrbanis sermonibus, iocarique comiter discebant, ac sine scurrilitate cauillare. In re vxoria haud tam pudicitiæ, quàm procreationi ob assiduam militiam est consultum, eousque vxoribus indultum, vt eas viri heras appellarent. Virgines cursu, palæstra, disco, iaculo exercebantur: vt otio & muliebribus delicijs sublatis robustiores ad tolerandos partus fierent; nudæ, vt pueri in aperto versari, saltare, & cantare in sacris quibusdam, præsentibus, spectantibusq; iuuenibus. Nudatio illa nihil turpe habuit: aderat namque verecundia, petulantia omnis aberat. Hinc illa indoles, tempestiuaq; in Laconicis fœminis ad omnia promptitudo. Qui cælebs vixisset, Gymnicis spectaculis arcebatur, nudusq; hyeme forum circuibat, ne, vt

φιλίας id est amicitias.

φειδίτια id est, sodalitia.

Ad publicū conuiuium quid singuli conferebant.

Vxores heræ appellatæ.

Virginum studia.

Cælibes ludibrio habiti.

ne, vt cæteri senes, in honore apud iuuenes esset. Nubebant virgines raptu maturæ virgo. Paranympha in cubiculum abducta capillos ad cutem resecabat: sponsus inde ad eam ingressus cingulum soluebat, noctu tantùm cum ea congrediebatur, nec priùs sponsam aspiciebat interdiu, quàm ex illa factus esset pater. Filiorum & sobolis cura dignis hominibus permissa. Licebat seniorum cuique honestum ex iuuentute ac probum aliquem ad vxorem procreationis causa adducere: atq; vbi eam alieno semine impleßet, suum quod nasceretur efficere: neque probro dari si quis huic, qui fœcundam, pudicamq; haberet vxorem, suadere esset ausus, vt cum ea sibi congredi liceret, ceu bono fertilique solo operaturus liberorum causa. Ridebant adhæc quarumdam gentium stultitiam, quòd canes & equas nunc pretio, nunc gratia optimis eius generis animalibus supponerent: vxores præsidio custodirent: ex illis soli ipsi, siue amentes essent, siue ægri infirmique generare vellent. Ius alendi partus nullum parentibus. Natus infans in publicum deferebatur ad locum, quem leschen dixere, vbi magno effecto puero, viri pueri formam intuiti si probaßent, ex nouem millibus sortium, in quas vrbanus ager diuisus erat, vnam illi curabant adscribi. Infirmum & deformem, ad apothecas, locum haud longe à Taygeto præcipitem ac præruptum, exponendum dabant,

Raptu nubunt virgines.

Sponsus spōsam nō aspicit antequam pater sit factus.

Ius alendi partus paréṫibus nullū

Infantes infirmi præcipitiontur

dabant, vtpote Reipublicæ inutilem. [7] *Mulieres vino non aqua pueros abluebant, quo liquore admoto constat resolui corpora, debilitariq́;, si qua sunt Comitiali morbo obnoxia. Nulla lotis fomenta adhiberi, nulla teneris crepundia, solitudinibus tenebrisq́; assuescere. Ob idque externarum gentium quidam Laconicas nutrices liberis alendis adhibuerunt. Pueri à septimo anno in æqualium cœtu exerceri, literásque pro necessitate addiscebant: reliqua disciplina toleratu percipiebatur. Ad cutem pueri tondebantur, nudis calcibus ambulare, duodecimo anno tunicam vnam patrio instituto sortiri, neque balneas, neque fomenta scire. Toris ex arundine constructis quietem capiebant: Hyeme eos, quos Lycophones dixerunt, toris immiscere. Iren, qui cœtui praerat, is creabatur, qui vno anno aut altero cæteros anteibat, grandiores lignare imperabat, minores onera furto quærere. Maiorum conuiuia ingredi, inde etiam aliquid furari. Qui deprehensi erant in furto flagris admonebantur: non quia nefas esset furari, sed quòd parum prudenter & ingeniosè esset id ab eis factum. Iren quosdam canere iubebat, alios argutas quæstiones proponere: breue esse oportebat, subitumq́; responsum. Quod si quis negligentius fecisset, huius pollex ab Irene acrius mordebatur. Instituebantur ad hæc graui vti oratione: sed quæ iucunditate non careret, sententijsq́; breui*

Puerorum Lacædemonum educatio. Exercitia.

Iren puerorum præceptor. Furari honestas habita Lacedæmoniis.

breui sermone complexis, ita vt res in prouerbium abierit, faciliùs philosophari homines posse, quàm Laconicum sermonem imitari. Prouerbiũ. *Operæ pretium est etiam cognoscere quale ab initio studium fuerit omnium ætatum, quanta ad virtutem contentio, atque æmulatio. In treis distincta erat choros omnis ætas.* In choros tres ætas omnis diuisa. *Tum in solennibus sacris seniorum cœtus canere exorsus, Fuimus olim robusti & iuuenes, canora voce pronunciabant. Tum adultæ ætatis, eum excipiens, nos quidem iuuenes sumus & fortes, respondebant: idq; si libet experiamini. Ad eum pueritis chorus, Tam boni erimus, & meliores. Plutarchus auctor est, ad sua vsque tempora perdurasse Laconicos quosdam modulos, quibus illi ad tibiam in hostem ituri vti consueßent.* Cantus tibiarum in bello vsurpatus. *Thucydides Laconici huius instituti relator, tibiarum modulos in prælijs vsos scriptum reliquit: negat tamen id aliquo religionis ritu, rei've diuinæ causa fieri solitum, neque vt vibrarentur animi, excitarentúrve ad pugnam, (quod cornua & litui apud Romanos factitarunt,) sed vt æquali modulatóque sensim gressu conuenientes pugnam capeßerent, nec suos ordines distrahi sinerent. Exstat Laconici vatis carmen, quo apparet non tibia solùm Spartiatas in procinctu vsos, sed citharæ etiam concentu: qui mos & ipse à Cretensibus sumptus videri potest.* Citharæ cõcentu in procinctu Lacedæmones vsi. *Herodotus Halyatien Lydorum regem scribit fistulatores & fidicinas,*

& , quod penè indignum relatu sit , conuiuiorum etiam delicias in acie habuisse , eo bello, quod Milesijs intulit. Romani præter cornuum & lituorum concentum , ardentissimo militum clamore bellum capessebant : quod longè diuersum ab eo est , quod Homerus de Achæis scripsit, quos tacitos fecit , stipantésq; robur in pugnam procedere. Galli tripudio , vt Polybius & Liuius scribunt, scutáque super capita quatientes. Barbarorum quidam cum vlulatu prælium ineunt. Ex qua rituum varietate potest intelligi, cæteras gentes non id , quod Spartani, in bellico concentu secutas. Capillos præterea à pubertate ex instituto alebant memorabili legumlatoris dicto , comantibus capitibus multo pulchriora fieri humana corpora, quæ si sint alioqui deformia , capillo haud dubiè ferocescunt. Prælium initurus rex Musis capram immolabat. Domi militiæq; certa viuendi lege sunt vsi, bellicaq; exercitatione , patriæ, non sibi , natos arbitrantes. Nullas quæstuosas tractabant artes , bellicæ tantùm exercitationis studio teneri. Solennibus epulis reliquum dabatur tempus, eóque per hæc ventum est, vt quemadmodum præclarè scribit Plutarchus Spartani neque nollent , neque si vellent, scirent amplius priuatim viuere, eßéntque ex omni parte patriæ dediti. Suffragandi ratio vt cætera, ab alijs gentibus diuersa : pauci ad hoc ipsum delecti conclaue Comitio propinquum

Cornuum & lituorũ concentu clamoréq; Romani bellum capesſebant.

Galli cum tripudio bellũ inierũt, Barbari cũ vlulatu.

Rex bellũ initurus Musis sacrificabat.

Suffragandi ratio admiranda.

quum subibant: vnde ipsi neque quempiam viderent, neque ab vllo viderentur. Tum verò, vt primo, alteróve loco competitorum nomina sortitò educta essent, quantus vocum assensus ad singula nomina ortus esset, diligenter attendebant: ac quoto quisque clamor loco maior minórve esset ad ipsorum aures redditus, tabella pernotare, ex qua in publicum missa percipiebatur, cui competitorum plures essent voces suffragatæ. Primus adhæc Lycurgus, omni superstitione sublata, permisit cadauera in vrbe sepeliri, tum etiam circa templa sortiri monumenta. Nec viri, nec fœminæ nomen licebat cuiquam sepulcro inscribere, nisi eorum qui fortiter bello periissent. Lugendi tempus vndecim erat diebus finitum. Nec ciuibus peregrinari permissum: ne alienos mores vrbi importarent. Quin & peregrè eò delati, nisi qui Reipublicæ vtiles essent, vrbe excludebantur: ne quid (vt Thucydides habet) Laconicæ disciplinæ peregrinæ gentes imbiberent: quod satis inhumanè haud immeritò aliquis dixerit. Vel, vt Plutarchus scribit, ne mutuo congressu noui sermones in vrbe orirentur, & ex his noua iudicia, dissonæq; voluntates, quæ publicæ rei perniciosissima esse solent. Iuuenibus Lycurgus non amplius vna veste toto anno vti permisit, nec aliquem cultiùs quàm alterum: non splendidiùs, vt dictum est, epulari. Emi singula non pecunia, sed mercium

Cadauera in vrbe sepelire permissum.

Luctus funebris vndecim dibus.

Peregrinari Lacedæmonibus prohibitum.

Iuuenum vestitus.

compensatione iussit. Pueros puberes non in fo
Pueri in agrum nō in forum ducebantur. *rum, sed in agrum deduci iussit, vt primos an*
nos non in luxuria, sed in omni labore & oper
agerent. Nihil eos somni causa substernere, &
Virgines sine dote nubere. *vitam sine pulmento degere, nec prius in vr*
bem redire, quàm viri facti essent, statuit. Vir
gines sine dote nubere iussit, vt vxores non pe
cuniæ causa eligerentur: seueriusq; matrimo
nia sua viri coercerent, quum nullis frænis do
Senium apud Lacedæmones honoratissimum. *tis tenerentur. Maximum honorem non diui*
tum & potentum, sed senum esse voluit, ne
vsquam terrarum locum honoratiorem sene
ctus habet. Regibus potestatem bellorum, ma
gistratibus iudicia, & annuas successiones, se
natui custodiam legum, populóque sublegend
Senatum, vel creandi quos vellet magistratu
potestatem concessit. Hæ quoniam leges au
noua instituta solutis anteà moribus dura ess
Apollo auctor legum apud Lacedæmones. *videbantur, earum auctorem Apollinem Del*
phicum finxit: & inde se eas ex præcept
Numinis detulisse, vt consuescendi tædiu
metus religionis euincat. Deinde, vt æternita
tem suis legibus daret, iureiurando ciuitate
obligauit, nihil eorum quæ sanxisset, mutatu
ram, priusquam reuerteretur: se ad oraculu
Delphicum profecturum, consulturum qui
mutandum addendúmve legibus suis illi vi
Lycurgus voluntario exsulat. *deatur. Proficiscitur autem Cretam, ibiq; per*
petuum exsilium egit. Præcepit etiam morie
ossa sua in mare abijci, ne Lacedæmonē delati

Spar

Spartanis se de non mutandis legibus à iuramento absolutos putarent. Libet hic quoque aßignare quas dignationes regibus suis Spartiatæ olim tribuerunt : duo Sacerdotia Iouis Lacedæmonij , & Iouis cælestis : & ius belli in quamcumque libuerit regionem inferendi , vt id nulli Spartiatarum prohibere fas sit , alioqui piaculari crimine teneatur ; vt in expeditionibus adeundis primi eant reges , in abeundo postremi sint. Centum delecti viri eis in militia custodes adsint. In egreßibus vtantur quotcumque pecoribus libuerit , quorum immolatorum pelles omnes ac terga accipiant. Bellica hæc. Alia sunt , quæ pacis tempore eis tribuuntur: quoties in aliqua Republica euisceratio fit, primi in cœna reges discumbant , & ijs primis distribui incipiat , vtriq; eorum duplu omnium quàm cæteris conuiuis , libaminàque immolatorum & coria eorum sint. Singulis quoque Calendis instantis mensis singula pecora vtrique è publico dentur Apollini immolanda , & farinæ medimnum , id est , sex modia , & vini Laconicus quartarius. Et in spectaculis singulorum certaminum certis locis præsideant , liceatq; quibuscumque libeat ciuibus inniti , & vtrique binos eligere Pythios. Sunt autem Pythij , qui Delphos ad consulenda oracula mittuntur, quiq; publicè cum Regibus pascuntur. Regibus ad cœnam non euntibus binæ Chœnices , id est, semimodia farinæ , & vini singulæ

Regũ Spartiatarũ dignationes.

Belli tempore.

Pacis tempore.

Pythii qui vocati.

Chœnix.

Cotyla. *Cotylæ, id est, sextarij: præsentibus dupla den-tur omnia. Eadem ratione pupilla viri dand-sit, eine cui mater, aut cui pater despondera-nec non de vijs publicis: & si quis adoptiuum fi-lium facere velit inuitis regibus. Liceat quoq-eis pro suo arbitrio assidere in senatu, qui con-stat ex duodetriginta senibus: si eò non acce-serint, eorum maximè propinqui, duo Senatore-ius regum obtineant, duos calculos ponend-tertium pro seipsis. Viuentibus hæc regibus R. publica Spartiatarum tribuuntur, illa defun-*

Honor defunctis regibus exhibitus. *ctis. Equites per vniuersam Laconicam ob-tum Regis enunciant. Fœminæ per vrbem cir-cumeuntes ollas pulsitant: quúmque hoc fit, ne-cesse est, ex singulis domibus duos ingenuo-marem & fœminam luctu fœdari, magnis pe-nis (nisi hoc faxint) impositis. Eadem circa fu-nus regum consuetudo Lacedæmonijs est, qu-Barbaris Asianis. Nam plerique Barbarorum*

Exsequiæ regum Lacedæmoniorũ. Publicus in Lacedæmoniorũ regũ funere luctus. *eodem ritu in mortibus Regum vtuntur. Siqui-dem posteaquam mortem obijt Lacedæmonio-rum Rex, oportet eius exsequijs adesse ex om-Lacedæmonis regione necessarios quosq; Spar-tiatarum, qui sunt numero vicenorum, quo-rum & item seruorum atque ipsorum Spartia-tarum, posteaquam multa millia in vnum co-cta sunt promiscuè cum mulieribus frontes su-intrepidè plangunt, & vlulatu immenso vtun-tur, vltimum quemque Regum dicentes semp-fuisse optimum. Qui verò regum in bello pery-*

ci-

eius simulacrum, quum expresserunt, in toro bene strato efferunt, cuius tumulatione decem dies iustitium est, nullusq; magistratuum consessus, sed luctus continuus. In hoc quoque cum Persis isti conueniunt, quòd defuncto Rege alter, qui succedit, liberat ære alieno, quicumq; Spartiata aliquid aut regi, aut Reipublicæ debebat. Apud Persas, qui rex creatus est, omnibus ciuitatibus tributum, quod debebant, remittit. Cum Aegyptijs etiam Lacedæmonij in hoc congruunt, quòd eorum præcones, & tibicines, & coqui in paterna artificia succedunt: & coquus è coquo, & tibicen ex tibicine, & præco ex præcone gignitur: neque vlli propter vocalitatem alij insidiantes seipsos ingerunt, sed in paterno opere perseuerant: atque hæc quidem ita fiunt.

De Creta insula, & Cretensium celebratis moribus. CAP. IIII.

CReta, quæ & Candia dicitur, insula in mediterraneo mari centum vrbium fama clara: hæc, vt Strabo scribit, à septemtrione Aegeo alluitur pelago & Cretico, ab austro Libyco, ad occidētem Egilam & Cythera spectat, ad Orientem Carpathon. Habet in longitudine CCLXX. millia passuum, in latitudine quinquaginta millia. Circuitus eius quingenta octoginta octo millia passuum complectitur. Insignes in ea vrbes sunt Gortyna, Cydonea, Cnossus, Minois regia, & Ida mons omnium, qui in ea — Cretæ descriptio. — Idæ montis descriptio.

ea sunt celeberrimus, celsissimo is vertice assi git. Apollodorus longitudinem eius duûm mi lium trecentorúmque stadiorum tradit, circ tum quinque millium & amplius. Artemi rus mille minus. Nullum in Creta animal i xium est. Serpens ibi nullus: nulla noctua: & inuehatur, statim moritur. Capris copiosa. C uis eget. Optimi vini feracissima. Herbam pr ducit, quæ diptamos dicitur: & Alunosa quæ morsa diuturnam famem prohibet. Spala gos etiam venenatos gignit, & lapidem, Idæus dactylus dicitur. Cureta olim vocaba ab habitantibus Curetibus: & per syncop Creta. Alij dicunt Cretam dictam à Crete, qu dam Iouis filio Curetum Rege. Alij à Cr Nympha Hesperidis filia. Incultum homin genus à principio habuit: Rhadamanthus mãsuetiores vitæ ritus perduxit. Sequutus i Minos, qui æquitate & iustitia adhuc m excoluit. Plato auctor est, Lacedæmonios, alias vetustissimas Græciæ ciuitates hinc leges & instituta quæsiuisse. Optimum ge statũ euertit primò tyrannicus dominatus, n & Cilicum latrocinia. Fuit gens ab initio lib tatis studiosa, ea se possidere arbitrati, quæ n essent tyrannorum libidinibus exposita. F & concordiæ perpetua cura, quæ seditioni uitiarum auaritiæ alumnæ inimica est: mo cè proinde antiquitus frugaliterq; vitam agi re. Frequentabant pueri conuentus quos gre

In Creta nullum animal nocium.

Mores Cretensium.

non

nominabant. Adultæ ætatis viri publica inter se conuiuia celebrare, arma Reipublicæ causa tractare, ab ineunte ætate corpora laboribus exercere. Maris æstus & frigora perpeti, accliues semitas saltusq; cursu superare, in gymnasijs pugnas ciere, arcubus & sagittis plurimum vti, in armis saltationem, quam pyrrichen nominant, vulgò celebrare: flexu corporis hæc saltatio fiebat, quo plaga teláque euitarentur. Sagulum & militarem calceum sibi inducere, arma pretiosissimum munus credere: tantum adhæc rei maritimæ studium, vt in prouerbium abierit, si quis quæ nosset se nescire dissimularet, Cretes (diceretur) pelagus nescit. Inter æquales connubia conciliari, ex omnique iuuenum cœtu virginibus sibi sponsos optare ius erat, nec priùs paterna domo abduci moris erat, quàm ad domesticam administrationem essent idoneæ. Dotis magnitudo fuit, si frater aderat patrimonij dimidium. Pueri ex legibus literas, & cantilenas, & musicæ artis modulamina quædam discebant. Ad virorum Syssitia perducti humi vilibus tecti amiculis sedebant, illisq; pugnam cientibus ministrare puerorum validissimus, maximéque elatus ductabat gregem. Pro viribus singuli plurimos aggregabāt æquales, ad venationes egredi, cursu exercebantur corpora, statis diebus puerorum cœtus ad tibiæ & lyræ cantum inter se committi, vt in re bellica, consueuere. Huius gentis eam fuisse

Saltatio pyrricha.

Matrimonia.

Dos.

Musicæ studium.

Dies lapilli signate.

quid

quidam memorant lætos dies candido notа calculo, tristes atque molestos, atro: etsi plu hunc morem ad Thraces referunt.

De Thracia, Thracúmque feris moribus.

CAP. V.

Romania. *THracia, quæ hodie Romania appellat Europæ regio est, inter partes Scyth computata, Macedoniam sequitur, à septe trione Istrum habet, ab oriente Pontum ac P*

Stython. *pontidem, à meridie Aegæum mare. Olim S thon, posteà Thracia, à Thrace Martis fi siue ab asperitate appellata. Græcis enim τρα*

Thraciæ qualitas. *asperum dicitur. Regio est, vt Pomponius s bit, nec cælo nec solo (quàm vbi mari vicin est) satis fæcunda temperatáque. Frigida est, eorum, quæ seruntur, malignè admodum p tiens: rarò vsquam pomiferam arborem: vit frequentiùs tolerat, sed nec eius quidem f*

Celebriores Thraciæ vrbes. *ctus maturat, ac mitigat, nisi vbi frigora ob ctu frondium cultores arcuere. In ea quonda vrbes celebriores fuere Apollonia, Aen Nicopolis, Byzantium, quæ postea à Consta tino Constantinopolis dicta est, & in ma aucta gloriosissimi Imperij sedes & Orien totius caput delecta, Perinthos, Lysimach Calliopolis. Amnes, Hebrus, Nessus, Str mon. Montes, Hæmus, Rhodope, & Orbel*

Thraciæ quales homines. *Homines habet feros, asperos, & numeros adeò vt si, aut vnius imperio regerentur, a idem sentirent, vt historiæ pater opinat. Hero*

Herodotus, inexpugnabiles forent, & omnium gentium multo validissimi: sed quia arduum hoc illis est, & nulla ratione contingere potest, ideo imbecilles sunt. Habent autem multa nomina singularum regionum singula, moribus tamen ac opinionibus consimilibus imbuti, praeter Getas & Trausos, & qui supra Crestonas incolunt: ex quibus Getae se non mori persuasum habuere, sed ad Zamolxin Deum suum post fatum migrare. Fuit hic Zamolxis homo Pythagorae quondam discipulus, qui in patriam reuersus, quum animaduerteret Thraces male viuere, & inscitè, ipse edoctus Ionicum viuendi genus, & mores ipsis legesq; dedit, docuitque, atque persuasit popularibus eas seruantibus post obitum ad se in eum locum ire, vbi superstites omnium bonorum compotes essent: per hoc deitatis opinionem consequutus, è Thracum se conspectu subduxit, atque euanuit, maximo sui desiderio post se relicto. Ad hunc mittunt assiduè adhuc cum naui quinque remigum nuncium quempiā ex seipsis sorte delectum, praecipientes ea, quibus semper indigent: eúmque ita mittunt: Quibusdam eorum datur negotium: vt tria iacula teneant: aliis, vt comprehensis eius, qui ad Zamolxin mittitur, manibus, pedibusq; hominem agitantes in sublime iactent ad iacula: qui si in praesentiarum exstinguitur, propitium sibi Deum arbitrantur: sin minus, ipsum nuncium insimulant,

Getae se non mori putabant.

Zamolxis Getarum Deus.

Nuncius ad Zamolxin mittitur.

mulant, asseuerantes malum illum esse vir
Hoc insimulato alium mittunt, dantes ac
viuenti mandata. Iidem Thraces dum t
fulguratq; in cælum sagittas excutiunt,
minitantes quòd nullum alium præter
esse arbitrentur. Transi verò in cæteris
dem omnibus idem quod Thraces: verùm
ca natalitia suorum atque obitus hoc f
tant. Edito puero propinqui circumsede
eum ploratione prosequuntur, censentes q
cumque necesse est illi, quòd vitam ingr
sit, perpeti humanas calamitates: Hom
fato functum, per lusum, atque lætitiam
demandant, referentes quot malis liberatu
omni sit modo felicitate. At qui supra C
nas incolunt, ista agunt: singuli plures
res habent, quorum vbi quis decessit,
ptatio magna fit inter vxores acri amic
circa hanc rem iudicio, quænam dilecta
à marito præcipuè. Quæ talis iudicata est
hunc honorem adepta, ea à viris & mi
bus exornata, ad tumulum à suo propinq
mo mactatur, vnáq; cum viro humatu
teris vxoribus id sibi pro ingenti calai
ducentibus atque lugentibus: nam id e
mo dedecori datur. Cæteri Thraces, filios
ri instituto palàm venditare; nec virg
parentibus & propinquis adseruari, sec
bus libuit cum viris concumbere sinunt.
rum pudicitiam solicitius custodiunt, eas

In cælum sagittã̃ e dũ tonitruat Thraces.

Edito puero Transi lamentantur.

Hoĩe mortuo Transi lætantur.

Vxorũ charissima cũ marito defuncto sepelitur.

Mulieresin genuæ notis in fronte signabantur.

gne are à parentibus coëmunt, fronte notis quibusdam signatas: generosum id iudicatur ignobilitatis argumentum sine his esse. Nuptura, quæ præ cæteris specie valeant, priùs subtaxari volunt, & licentia taxationis admissa, non minoribus nubunt præmijs. Quas formæ dedecus premit, dotibus emunt quibus coniunguntur. Vterque sexus epulantes focos ambiunt: herbarum (quas habent) semine ignibus superiecto, cuius nidore perculsi, pro lætitia habent imitari ebrietatem sensibus hebetatis. Otiari, ex rapto viuere pro re honesta haberi: contrà, agros colere pro dispicatissima. Martem vulgò, Liberum, Dianam, & Mercurium religiosè colere: pérque eum solum iurare, sui generis auctorem arbitrari. Corporum magnitudine Thraces omnes homines antecedunt: cæruleis oculis, ac truci visu, terrifico vocis sono, annosa ætate. Aedificia modicè ab humo eleuata, annona eodem semper tenore: vites nesciunt, pomis abundant. In regis electione non nobilitas præualet, sed suffragium vniuersorum: populus enim eligit spectatum moribus & inueterata clementia, etiam annis grauem. Sed hic in eo quæritur, cui liberi nulli sint: nam qui pater fuerit, etiamsi vita spectatur, ad regendum non admittitur: & si fortè, dum regnat, pignus sustulerit, potestate exuitur. Maximè hic custoditur ne regnum hæreditarium fiat. Tum si rex etiã maximã præ se ferret æquitatem,

Aedificia.

Rex eligitur cui non liberi sunt.

o tatem,

tatem nolunt ei totum licere: quadraginta rectores accipit, ne in causis capitum j iudicet. Quòd si ipse etiam in peccato al arguitur, morte multatur: non tamen v insquam manu attrectetur, sed consensu pu rerum omnium ei potestate interdicta, ipse dem fame pereat. Optimates ita sepeliunt: lato triduum cadauere, mactatísque omni hostijs conuiuantur, illudq; defletum priùs, d de combustum sepeliunt: aut aliter humo co gunt, adiectóque desuper tumulo cùm omnis generis certamina proponunt, tum cipuè certa cum ratione Monomachiam, est singulare certamen. Armatura, qua (vt rodotus scribit) in Dariana expeditione sunt, talis erat: è pelle vulpina caßides gest tunicis induti, & insuper circumdati varijs gulis, pedibus & tibijs indutis caliga è pell hinnulorum, iacula, peltas, & pugiunc Arcu valde pugnaces sunt, & exercitatißi quem apud se repertum volunt. Vna cum this lingua vtebantur. Scribit Plinius, to Thraciâ in quinquaginta strategeas diuid litam. Sed ea Thraciæ pars, quæ Getica dicebatur, vbi Darius Hydaspis filius penè rijt, hodie Valachia appellatur, à Flaccis Q tum gente. Romani enim, Getis superatis deletis, Flacci cuiusdam ductu eò colon miserunt. Vnde primùm Flaccia, dein corru voce Valachia dicta. Adstipulatur huic

Quadraginta iudices Thraces habuerunt

In reges animaduersio acerba.

Sepeliendi ritus.

Armatura Thracum.

Thraces arcus inuentores.

Valachia, & eius appellatio.

n

nioni Romanus sermo, qui adhuc in ea gente durat: cæterùm adeò ex omni parte corruptus, vt vix Romano homini intelligatur: Romanarum literarum vsus, elementorum forma aliquatenus inuersa. Sacrorum ritus, qui & Græcis. Daci posteà eam terram occupauerunt, à quibus aliquandiu etiã Dacia dicta fuit, nunc Teutones, Siculi, & Valachi tenent. Teutones fortes viri ex Saxonia illuc à magno Carolo transmissi, à septem vrbibus quas habitant Seibemburgenses patrio sermone vocantur. Siculi Hungarorum vetustissimi, ex his, qui ab initio ex Scythia digressi his locis consedere. Valachorum factiones duæ, Dragulæ & Dani, aliàs Dani. Nam Getæ & Daui seruorum nomina inde olim profecta Græcorum quidam prodidere. Dragulæ Danis impares Turcas nostrorum patrum memoria in eam terram induxerunt, quorum armis Dani ad internecionem deleti sunt. Ioannes Huniades vir acer, Danis demum auxilio fuit: terramq; ab hoste receptam sibi vendicauit. Agriculturæ, reique pecuariæ Valachi vt plurimùm student, quod originem gentis arguit. Tributum regi pendunt, sed semel tantùm: ac id cuique regum: & confestim ab eius declaratione tum singulæ familiæ dant bouem tributi nomine. Sexaginta millia numero & amplius esse traduntur. Iussi ad bellum exire capitale est nõ paruisse. Est Valachia Transsyluaniæ contermina

Valachia Dacia vocata.

Seibemburgenses.

Dragulæ & Dani.

Ioãnes Huniades.

Valachorũ exercitia.

Valachiæ quatuor latera.

tatem nolunt ei totum licere: quadraginta ergo rectores accipit, ne in causis capitum solus iudicet. Quòd si ipse etiam in peccato aliquo arguitur, morte multatur: non tamen vt cuiusquam manu attrectetur, sed consensu publico rerum omnium ei potestate interdicta, ipse tandem fame pereat. Optimates ita sepeliunt: prolato triduum cadauere, mactatísque omnifarijs hostijs conuiuantur, illudq; defletum priùs, deinde combustum sepeliunt: aut aliter humo contegunt, adiestóque desuper tumulo cùm alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipuè certa cum ratione Monomachiam, hoc est, singulare certamen. Armatura, qua (vt Herodotus scribit) in Dariana expeditione vsi sunt, talis erat: è pelle vulpina casides gestabāt tunicis induti, & insuper circumdati varijs sagulis, pedibus & tibijs indutis caliga è pellibus hinnulorum, iacula, peltas, & pugiunculos. Arcu valde pugnaces sunt, & exercitatissimi, quem apud se repertum volunt. Vna cum Scythis lingua vtebantur. Scribit Plinius, totam Thraciā in quinquaginta strategeas diuidi solitam. Sed ea Thraciæ pars, quæ Getica olim dicebatur, vbi Darius Hydaspis filius penè perijt, hodie Valachia appellatur, à Flaccis Quiritum gente. Romani enim, Getis superatis & deletis, Flacci cuiusdam ductu eò coloniam miserunt. Vnde primùm Flaccia, dein corrupta voce Valachia dicta. Adstipulatur huic opi-

Quadraginta iudices Thraces habuerunt

In reges animaduersio acerba.

Sepeliendi ritus.

Armatura Thracum.

Thraces arcus inuentores.

Valachia, & eius appellatio.

nica

nioni Romanus sermo, qui adhuc in ea gente durat: cæterùm adeò ex omni parte corruptus, vt vix Romano homini intelligatur: Romanarum literarum vsus, elementorum forma aliquatenus inuersa. Sacrorum ritus, qui & Græcis. Daci posteà eam terram occupauerunt, à quibus aliquandiu etiã Dacia dicta fuit, nunc Teutones, Siculi, & Valachi tenent. Teutones fortes viri ex Saxonia illuc à magno Carolo transmißi, à septem vrbibus quas habitant Seibemburgenses patrio sermone vocantur. Siculi Hungarorum vetustißimi, ex his, qui ab initio ex Scythia digreßi hu locis consedere. Valachorum factiones duæ, Dragulæ & Dani, aliàs Daui. Nam Getæ & Daui seruorum nomina inde olim profecta Græcorum quidam prodidere. Dragulæ Danis impares Turcas nostrorum patrum memoria in eam terram induxerunt, quorum armis Dani ad internecionem deleti sunt. Ioannes Huniades vir acer, Danis demum auxilio fuit: terramq; ab hoste receptam sibi vendicauit. Agriculturæ, reique pecuariæ Valachi vt plurimùm student, quod originem gentis arguit. Tributum regi pendunt, sed semel tantùm: ac id cuique regum: & confestim ab eius declaratione tum singulæ familiæ dant bouem tributi nomine. Sexaginta millia numero & amplius esse traduntur. Iußi ad bellum exire capitale est nõ paruisse. Est Valachia Transsyluaniæ contermina ab

Valachia Dacia vocata.

Seibembur genses.

Dragulæ & Dani.

Ioãnes Huniades.

Valachorũ exercitia.

Valachiæ quatuor latera.

ab occasu, ad ortum in Euxinum excurrit: ad boream & septemtrionem Rusiam attingit: alluitur ad meridiem Istro, circa quem quicquid vagarum gentium occupat perpetua illis hyems, triste cælum premit. Maligne olim solum sterile sustentabat, imbrem culmo aut fronde defendebant. In cælo super durata glacie stagno prosultabant, in alimentum feras captabant: nulla illis domicilia, nullaq; sedes erant, nisi quas lassitudo in diem posuerat: vilis & his quærendus erat victus, quod horrenda iniquitas cæli, intecta capita.

Gētes Istrū accolentes.

De Rusia siue Ruthenia, & recentibus Rusianorum motibus. CAP. VI.

Rusiæ fines.

RVsia, quæ etiam Ruthenia dicitur & Podolia, tripartitò nominatur. Alba, superior, & inferior, pars Sarmatiæ Poloniæ prætenta, Peuce fluuio ad Septemtrionem includitur, ad orientem solem Moscus, occidua illi Liuonia atque Pruscia extremæ Germaniæ partes. Patent hodie Ruthenorum siue Rhoxolanorum (nam & hoc nomine appellantur) fines octo dierum itinere, à Tanai ad septemtrionalem oceanum: habetq; id spatium nonaginta & amplius dierum iter, rursus à Germanico oceano, quem Baltheum vocant ad mare Caspium. Regio adeò fertilis est, vt agro rude culto frumentóque insperso, tribus perpetuis annis fructum ferat: nec opus est agrum quotannis inuertere, sed inter metendum segete lenis

Terra omnium fertilissima.

leniter excussa alia in sequentem annum sua sponte crescit. Gramen adeò procerum producit, vt perticam transcendat: vnde ibi apum tanta copia, vt mella nedum in aluearijs, aut arboribus, verùm in rupium & terræ cauernis reponant. Optimus medo, & hi grandes cerarum orbes, qui ad nos vsque aduehuntur, ibi fiunt. Non impiscuntur piscinæ & stagna Russorum, sed, vt aiunt, pisces ex cæli influentia succrescunt. Sal quodam in lacu Katzibeo vocato siccis temporibus colligitur, pro quo genti cum Tartaris crebra bella. Mirum est, quod dicitur, in solo Chelmensi defectos pini arboris ramos truncósve, duos aut tres annos super terram iacentes in saxa indurari. Est ibi optimæ cretæ copia. Versus Tanaim & Mæotim calamo aromatico & reupontico abundat, pluribusq; herbis & radicibus alijs, alibi non visis. Vrbs regia Moscouia est, ad Moscum amnem sita, quatuordecim millium passuum circuitu. Nullus hic signati argenti vsus. Lapis est in medio foro quadrata forma, quem si quis ascendit, nec inde vi deturbari possit, principatum vrbis obtinet. Ingens de ascensu loci & deiectu dimicatio inter indigenas, sæpiusq; ob eam rem pugnatum inter ciues. Gens adeò valida est, quòd superiori anno quodam bellico tumultu in regis castris centum viginti millia equitum recensa sint, quorum singuli ordinem ducenti.

Apũ copia

Sal in lacu nascitur.

Calamus aromaticus in Russia.

Signati argẽti nullus vsus.

Russianorũ potentia.

Bellica Rußianorum arma.

rent. Arcu in bello vtuntur, quod gentile & vetus est illis: est & lancea in vsu duodenûm pedum: cataphracti equites supra hamatam loricam ferreum thoracem induunt, vmbilicis speculorum modo prominentibus, galerum gestant, pro casside, in conum fastigiatum: equite libentiùs vtuntur in bello quàm pedite. Pedites alij scorpione vtuntur (balistam Itali vocant) alij plumbeas pilas sulphureo puluere ex æneis excutiunt machinis Teutonico more. Inuisum genti Regium nomen: idcirco ducis appellationem libentiùs vsurpant, vt magis popularem. Qui ibi rerum potitur, dux dicitur, qui in totam gentem imperium obtinet. Huic pileus paulo elatior quàm cæteris proceribus, cætero nihil ab alijs differens. Omnis color in vsu, præter nigrum. Viri fœminæq; lineo amiciuntur indusio, eóque tenuissimo, & ad crura demisso, auro circa collum rubentíve serico extolunt id amiculum, laxior vestis, ac nihil ferè à Græcis differens, qualem Turcæ quoque & totus septemtrio vsurpat, manicæ tantùm laxiores Ruthenis, auróque fimbriatæ à pectore & humeris. Lutrina pellis ambit exteriùs vestem. Sola vxor luget virum, obducto capite albo linteo, & ad vlnas deiecto. Quibus fortuna amplior est, quadragesimo die à funere conuiuantur in defuncti memoriam: quorum res angustior est, quinquies hoc temporis interuallo solenni

Regium nomen Ruthenis inuisũ.

Vestitus Rußianorum.

Luctus funebris.

lenni modo epulantur. Obseruantur dies obitus, quem anniuersarijs quoque celebrant epulis. Quando ex ea stirpe superest aliquis, custodiuntur nomina defunctorum monumentis literarum, vt sciri possit, quo cuiquam die parentandum sit. Planctu & lamentatione funus educunt. Patrij moris est, mulieres gemmas & vniones ex auribus suspendere: decorum & maribus, sed adhuc pueris. Quæ iterum nupserit satis castam ducunt: auersantur vt impudicam tertiò nubentem: par in maribus offensa. Puellæ à tergo capillum promittunt: cæterùm matrimonio locatæ sedulò abscondunt. Viri supra aures tondentur, datur probro huic sexui omnis capillorum cultus. Gens vniuersa in Venerem prona, ac bibacissima: hoc laudis loco ponunt, alterum licere arbitrantur, modò id fieri contingat citra omnem connubij offensam. Fænerant vulgò, nec fraudi cuiquam, ne sacerdotibus quidem. Pars multò maxima, Russianorum seruitutem seruiunt, nec inuiti, multi quidem, & in his nobiles, etiam se, coniugem, & liberos venditant: aut quia sic maiore otio fruuntur, aut quòd maiore voluptate. Antistites sacrorum Græcanico ritu nigro amiciuntur pallio: horum primores albo. Ferunt hi bullam ad pectus suspensam, & tabulam præceptis diuinæ legis inscriptam. Minores sacerdotes & ipsi Græcè vestiuntur. Sacræ virgines, quod vnũ genus in ea gente est, ex

Rutheni vt plurimum seruiunt.

Sacerdotũ habitus.

Antonij abbatis instituto nigra stola amiciuntur. Est & suus sermo genti, Scythicus verò, an alius, parum compertum habeo. Sunt & literæ non multùm à Græcorum figura abhorrentes. Musicen & Grammaticen discunt, vtramque Græcè, cæteras artes vulgò aspernantur. De summa fidei cum Græcis sentiunt: par in cultu ceremonia, & in cælites veneratio. Iudicia exercent duodecim numero viri: vnus aliquis è collegio cognoscit causam, crimenve, cognitum ad collegas defert, interdum & ad Regem. Si res maioris est ponderis, quàm vt pro collegio vindicari possit, si reus nequeat conuinci, parúmve liqueat factum, cum accusatore cogitur de vita dimicare: atq; ita victor duplici pecunia donatur, qualis fuerit æstimata. Agrorum cultum oppidò exercent, equis arant, ager feracissimus præterquam vini. Ceruisiam potum ex milio, hordeo, atque humulo decoctum potant, & idem ferè totus Septemtrio. Ex canapi, papauere, & nucibus oleum conficiunt. Oliuam non fert Rusiana regio, neq; ex ea arbore liquor aliunde inuehitur. Varia alit animalium genera, & in his pleraq; pellium æstimatione nobilia; quarum aliquæ à veteribus celebratæ: pisium ingens copia, & in his Seldis nobilissimus, ex Pareslausco lacu, perquam similis ijs, qui in Benaco capiuntur Lacus in Ruthenia illustres septem, flumina insignia nouem: & in his quem Borysthenem

Sermo.

Musica & Grammatica tantum discuntur.

Causa dubia monomachia probatur.

Ceruisia totius septentrionis potus.

nem esse suspicari libet, ob ea quæ de ipsius magnitudine, & natura prædicant,

De Lithuania & Lithuanorum vita.

CAP. VII.

Lithuania est Poloniæ ad ortum connexa noningentorum millium passuum circuitu, magna sui parte palustris, plurimúmque nemorosa: & ob eam rem difficilis aditu, ac quodammodo inaccessa, aquis palustribus cuncta obtinentibus. Hyeme commercia cum Lithuanis habiliora, paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueq; superinfusa, fiunt omnia mercatoribus peruia: vt velut alto mari, quando nulla sit certa via aut semita, sydera signent iter. Rara in Lythuania oppida, villarum in colatus infrequens. Accolarum diuitiæ pecora.pellesq; multigenûm ferarum, vt Zobellinæ sunt, atque Harmelinæ, quibus regio insigniter statet, ceræ ac mellis abundans. Vsus pecuniæ genti nullus. Inter se matronæ palam concubinos habent virorum permissu, quos connubij vocant adiutores: contrà, pellicatus viris probro datur. Soluuntur faciliè matrimonia mutuo consensu, & iterum atque iterum nubunt, Adeò gens vna cæteris mortalibus diuerso viuit ritu, non vt absurdum sit illud Aristippi, Honestum non natura, sed consuetudine constare. Vini rarißimus vsus: panis nigricans, non cribratus: armenta vinum præbent, multo lacte vtentibus.sermo genti, vt Polonis, Sclauonicus:

Lituania tota palustris.

Regio hyeme tantùm accedenda.

Diuitiæ Lithuanorũ rarũ pelles.

Pecuniæ nullus vsus

 his

hic enim ſermo quàm latiſſimè patet, at pluſimis quidem gentibus communis eſt: ex quibus quædam Romanæ ritum Eccleſiæ ſequuntur, vt Poloni ſunt, Dalmatæ, Croatij, Carníque: Aliæ Græco ritu ſacra peragunt, vt Bulgari, Rutheni, & ex Lithuanis plerique. Nonnullæ ab his diuerſæ, proprias hæreſes habent, vt Boëmi ſunt, Merau, & Boſnienſes. Ioannem Huſſum quædam obſeruant, pars multo maxima Manichæos: quædam adhuc etiam gentili cæcitate tenentur: idola colunt, quemadmodum multi ex Lithuanis. Hieronymus Pragenſis, qui Eugenij quarti pontificatu in ea terra Euangelium prædicauit, quíq; gentis illius ritus & mores ad id tempus minus notos noſtris hominibus demonſtrauit, dicebat Lithuanorum quoſdam, ad quos primùm perueniſſet, domeſticatim ſerpentes habuiſſe: quibus per ſe quiſq; vt dijs penatibus ſacrificabant: Serpentes domeſticatim venerati. *cæterùm tenuiſſe ſe, vt præter vnum, qui cremari non potuit, à ſuis cultoribus interficerentur. Alij ignem colunt, captantq; ex eo auguria. Solem nonnulli mallei ferrei ſpecie immani magnitudine, proprium ducem habent, quem Magnum vocant: perſæpe tamen regi Polonorum ſubditi.* Sol ſub mallei ſpecie veneratus. *Caput regionis Vilna eſt. Epiſcopalis ciuitas tantæ magnitudinis eſt, quantæ Cracouia cum ſuburbijs omnibus. Domus contiguæ in ea non ſunt, ſed veluti in rure horti intermediant, & pomaria. Duo fortiſſima ca-*

—ſtra

stra habet, vnum in monte situm, inferius in plano alterum. Distat hæc ciuitas à Cracouia CXX. *milliaribus. Tartari quidam circa Vilnam in assignatis pagis habitant, qui agros nostro more colentes laborant, & merces vehunt. Tartarica lingua loquuntur, Mahometum & sectã Sarracenorum profitentur.*

De Liuonia, Prussia & militibus Marianis.

CAPVT VIII.

L*Iuonia veræ fidei cultrix, Rutheniæ ad septemtrionem prætenta & ipsa Sarmaticis finibus: Tartari Scythicum hominum genus crebrius incursant. Liuonianos ad Christi cultum milites nostri traxere, quum anteà nullum nisi malorum dæmonum nouere. Sæpius vario euentu de regni possessione in ea terra bellatum. Sarmaticum mare ab occasu, sinúsque incompertæ magnitudinis, cuius ostium ab Occidente est, non procul à Cimbrica Chersoneso, quam Daciam hodie vocant. Circa sinum ad Septemtrionem semiferæ gentes sunt, cum quibus nullum est linguæ commercium, nutu & signis permutant merces. Prussia, vnde Pruteni, terra hodie Germaniæ & Sarmatiæ particeps, à meridie illi occurrit. Eam terram, si Ptolemæus verus auctor est, Vistula perluit à Torno oppido Gedanum vsque: quo in loco Balteo mari infunditur: ad Sarmaticum oceanum extensa citra Vistulam, vltrà Germania est. Ad orientem solem & meridiem Massonitæ*

Milites Mariani.

Cimbrica Chersonesus hodie Dacia.

Prussia.

Vistula.

sonitæ sunt, & Poloni accolunt: ad occidentem Saxones. Prussiæ solum ferax est, maximéque frugiferum, irriguum, frequens cultus: Regio amœna, & pecoris abundans piscatus, venatióque multa. Vlmerigi Gotti ex Scandinauia. *Vlmerigi eam terram tenuere, quum Gotti ex Scandinauia insula egreßi sunt in continentem; vt Iornandes scripsit. Ptolemæus Amaxobios, Alaunos, Venedes, & Githones penes Vistulam habitaße auctor est. Malorum & hæc cultrix fuit dæmonum vsque ad secundi Federici tempora.* Deiparini milites. *Deiparini milites, qui & Mariani dicuntur, post Ptolemaidem in Syria amissam in Germaniam reuersi, viri videlicet nobiles & rei militaris periti, ne per otium marcerent, eundem accedentes,* Prussia quomodo ab ordine Teutonico acquisita. *Prußiam Germaniæ conterminam Christi cultum spernere dixerunt: sæpe illius gentis homines in Saxones, cæterosq; vicinos excurrere, ingentem vim pecorum abigere, esse in animo sibi compescere barbaram gentem, annuat tantùm Imperator, prouinciamq; fratribus perpetuo iure poßidendam tradat, si eam armis acquirant.* Maßouiæ duces. *Iam enim Maßouiæ duces, qui eius se terræ dominos affirmabant, ius suum fratribus concesserant. Grata oblatio Federico fuit, qui collaudato proposito, quas voluere fratres sub aurea bulla literas conceßit. Illi sumptis armis breui tempore quicquid Prutenici iuris citra & vltra Vistulam fuit subegere: subactam, ac bello quæsitam, suæ ditionis fecere*

Vict

Victa gens Christi fidem complexa est, & cum fide Teutonicam linguam. Fuit ad Vistulam amnem quercus, vbi victrix gens à principio castellum erexit. Mox, vt sunt res hominum, quæ tenui principio in majus augentur, oppidum frequenti cultu adoleuit, Mariæ burgum dixerunt. Caput gentis est, atque sedes eius, qui vniuersi ordinis magisterio fungitur. Sacræ huius militiæ origo Teutonica est, nec quisquam nisi Teutonicus his sacris initiatur, atque idem claris ortus natalibus, & cui proponitur, vt aduersus sacratissimæ crucis hostes paratus sit omni tempore dimicare. Albo pallio amiciũtur, nigra cruce insuta. Omnes alunt barbam, præter eos, qui sacris operantur, & sacerdotes sunt. Dominicam orationem milites ipsi pro canonicis horis vsurpant: neque literas discunt. Diuitijs abundant: nec minor, quàm regibus, potentia. Sæpe cum Polonis de regni finibus acceptis atque illatis cladibus contendere, nec totis viribus belli fortunam experiri recusauerunt.

Mariæ burgum.

Ordo militum Teutonicorum.

Vestitus militũ Teutonicorum.

Potentia ordinis Teutonicorum.

Est Prussiæ atque Lithuaniæ cõtermina regiuncula, quæ Samogithia dicitur, syluis & fluminibus circumsepta, quinquaginta milliarium longitudine: cuius gentes proceræ & pulchræ staturæ, agrestes tamen, moribúsque inculti. Matrimonia plura celebrant: & absq; sanguinis respectu, patre mortuo filius nouercam, fratre frater glotem in vxorem accipiunt. Aes nullum habent, humiliter ædificant, ex lino

De Samogithia & gẽtis moribus.

lino culmóque tuguria in carinarum aut galearum formam, in quorum culminibus fenestram vnam faciunt tam patentem, vt toti ædificio lucem supernè præbeat. Focus perpetuo igne in singulis vnus, circa quem familia vniuersa sedens, non solùm vt cibos coquat, verumetiam vt vehemens frigus, quæ pro maiori anni parte terra hæc congelata constrictaq; iacet, propellat. Vaporaria, seu stubas habent nuüas. Gens ad diuinationem & auguria inclinata. Præcipuum ei numen ignis, quem sacrosanctum perpetuúmque esse persuasum habuere, quòd in edito colle ad fluuium Neuyasa assidua lignorum suggestione per sacerdotem aleretur. Vladislaus Poloniæ rex, qui eam ad Christi fidem compulit, illum vnà cum turri, in qua conseruabatur, exstinxit, disiecit, & syluas, quas non minore religione, quàm ignem, sanctas, proq; deorum habitaculis Sarmatæ (iuxta poeticum illud, Habitarunt dij quoque syluas) colebant: & nedum syluas, verùm quoque quidquid eas subijsset, sanctum miniméque violandum censebant, vt aues erant & feræ. Malorum dæmonum præstigio violantes eas statim in manibus & pedibus contrahebantur. Erant in his syluis singulis familijs suus focus & sacra domus constituta, in quibus defunctorum suorum corpora cum equis, sellis & meliori eorum vestimento comburere mos fuit. Conuenire eos noctu credebant, ideoq; sedilia

Diuinationi vacãt Samogithæ.

Ignis sacro sanctus.

Superstitio gẽtis admiranda.

sedilia ibi ex subere contexta disposita, in quibus optimus medo, escáque ex pasta in casei forma omni tempore largè subministrabatur, vt ipsis vescerentur. Prima Octobris die in his sylvis maximum festum peragebant, ex omni regione vniuersus populus congregatus: quæque familia in sua casula cibo & potu, vt meliùs potuit, patrio instituto, indulgebat, tum ad focos dijs, in primis quem Perkumo, id est, tonitrum dicebant, libabant. Cum Lithuanis & Polonis linguam vnam habent: nam & Polonico sermone sacerdotes eis in ecclesiis prædicant. Romanæ ecclesiæ morem obseruant, licèt Rutheni alij ad meridiem, & Moscouitæ ad septemtrionem habitantes Græcorum ritum teneant, obedientiámque non Romano, verùm Constantinopolitano pontifici promittant. Ad septemtrionem his Moscouia protenditur, terra quadragintorum milliariorum patens: argento diues, tàm valido vbique præsidio conclusa, vt nedum aduenæ, verùm indigenæ, etiam absque literis ducis exire atq; intrare non possint. Plana omnino regio est, non montosa, nemorosa tamen, & vt plurimùm paludosa, plurimis maximis fluminibus Occa, Volha, DZuuina, Boristhenéque & Dnieper irrigua: piscibus ob id varijs, & feris abundat, quemadmodum Lithuania, à qua non multum discrepat, nisi quòd frigidior est, quia septemtrionalior. Vnde pecora parua habet, & communiter

Festiuitas.

Sermo.

Moscouia.

Flumina Moscouiæ.

niter

niter mutila. Moscua metropolis regionis dupla maior quàm Praga Boemiæ, lignea, vt aliæ ciuitates, ædificia habet, multas plateas, sed dispersas, latissimi campi interiacent. Mosca amnis ipsam intersecat. Arx in medio vrbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis adeò pulchris & validis, vt similia vix reperiantur. Sedecim in ea arce ecclesiæ, quarum tres sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, & sancti Nicolai muratæ, cæteræ omnes ligneæ. Tres quoque in eà amplissimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur. Palatium, in quo dux est, Italico more constructum pulcherrimum, sed non amplum. Multos nobilissimos ducatus habet, ex quibus ingruente bello plusquàm ducenta millia hominum duobus aut tribus diebus contrahuntur. Aqua genti potus, & medo, liquorq́; fermentatus, quem quassetZ vocant. Arant ligneo aratro: frondibus arborum aut spinis arpicant: segetes propter longum frigus rarò maturescunt: ideoq́; in stubis desiccant, triturantq́;. Aromatibus & sublimatis calfactorijs contra frigus varijs vtuntur. De auena & melle aquam ardentem siue sublimatum faciunt, & lacte etiam, adeò forte vt sæpius ab eo inebrientur. Vino & oleo carent. Ne inebrientur inebriantem potum omnem terræ princeps capitis pœna prohibuit: bis aut ter tamen in anno conceditur. Monetam habent argenteam maiorem & minorem:

Moscua ciuitas maxima.

Mosca amnis.

Arx amplissima.

Potus Moscouitarum

Frigoris curatio.

Ebrietas capitis pœna multatur.

minorem, non rotundam, sed quadrangularem oblongam DZuuingis hanc dicunt. Sclauonica lingua loquuntur. Sectam & religionem cum Græcis vnam obseruant. Episcopi eorum patriarchæ Constantinopolitano subsunt, & ab eo confirmationem postulant. Christum adorant, præter Kosannenses, qui cum Sarracenis Mahometum venerantur: & Scythas quosdam alios, ad septemtrionem, qui linguis proprijs loquuntur, & idola colunt. In primis vnum, quod Zlota baba dicunt, id est, auream vetulã, tanta veneratione, vt nemo id pertranseat, quin saltem pilo ex veste tracto, si aliud nihil habeat, coram eo prostratus pro oblatione proijciat. His populis quamuis sermo sit vnus, Sclauonicus videlicet, est tamen adeò impar, & externis linguis hîc & alibi confusus, vt mutuò se non planè intelligant. Idololatriæ tempore pontificem maximum vnum habebant, quem Criue nominabant: in ciuitate Romoue (à Roma dicta) habitabat. Communis gentibus illis mos est, vt non solùm seruos vt pecora, sed etiam filios, & semetipsos vendant, & abducere quàm longißimè patiantur, ob victus tãtummodo sufficientiam, quamuis grosißimis cibis vescantur.

Lingua. Religio. Scythæ idololatræ. Zlota baba idolum. Sclauonica lingua aliis linguis viciata & confusa.

De Polonia, Polonorumq; recentibus moribus. CAP. IX.

Polonia Europæ regio vasta & plana, vnde & hoc nomen accepit. Significat enim

Sarmatia Europæa.

Sermo.

Musica & Grammatica tantum discuntur.

Causa dubia monomachia probatur.

Ceruisia totius septentrionis potus.

Antonij abbatis instituto nigra stola amiciuntur. Est & suus sermo genti, Scythicus verò, an alius, parum compertum habeo. Sunt & literæ non multùm à Græcorum figura abhorrentes. Musicen & Grammaticen discunt, vtramque Græcè, cæteras artes vulgò aspernantur. De summa fidei cum Græcis sentiunt: par in cultu ceremonia, & in cælites veneratio. Iudicia exercent duodecim numero viri: vnus aliquis è collegio cognoscit causam, criménve, cognitum ad collegas defert, interdum & ad Regem. Si res maioris est ponderis, quàm vt pro collegio vindicari poßit, si reus nequeat conuinci, parúmve liqueat factum, cum accusatore cogitur de vita dimicare: atq; ita victor duplici pecunia donatur, qualis fuerit æstimata. Agrorum cultum oppidò exercent, equis arant, ager feracißimus præterquam vini. Ceruisiam potum ex milio, hordeo, atque humulo decoctum potant, & idem ferè totus Septentrio. Ex canapi, papauere, & nucibus oleum conficiunt. Oliuam non fert Rusiana regio, neq; ex ea arbore liquor aliunde inuehitur. Varia alit animalium genera, & in his pleraq; pellium æstimatione nobilia, quarum aliquæ à veteribus celebratæ: pisçium ingens copia, & in his Seldis nobilißimus, ex Pareslausco lacu, perquam similis ijs, qui in Benaco capiuntur. Lacus in Ruthenia illustres septem, flumina insignia nouem: & in his quem Borysthenem

nem esse suspicari libet, ob ea quæ de ipsius magnitudine, & natura prædicant,

De Lithuania & Lithuanorum vita.

CAP. VII.

Lithuania est Poloniæ ad ortum connexa noningentorum millium passuum circuitu, magna sui parte palustris, plurimúmque nemorosa: & ob eam rem difficilis aditu, ac quodammodo inaccessa, aquis palustribus cuncta obtinentibus. Hyeme commercia cum Lithuanis habiliora, paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueq; superinfusa, fiunt omnia mercatoribus peruia: vt velut alto mari, quando nulla sit certa via aut semita, sydera signent iter. Rara in Lythuania oppida, villarum incolatus infrequens. Accolarum diuitiæ pecora, pellesq; multigenûm ferarum, vt Zobellinæ sunt, atque Harmelinæ, quibus regio insigniter scatet, ceræ ac mellis abundans. Vsus pecuniæ genti nullus. Inter se matronæ palam concubinos habent virorum permissu, quos connubij vocant adiutores: contrà, pellicatus viris probro datur. Soluuntur faciè matrimonia mutuo consensu, & iterum atque iterum nubunt, Adeò gens vna cæteris mortalibus diuerso viuit ritu, non vt absurdum sit illud Aristippi, Honestum non natura, sed consuetudine constare. Vini rarissimus vsus: panis nigricans, non cribratus: armenta vinum præbent, multo lacte vtentibus. sermo genti, vt Polonis, Sclauonicus:

Lituania tota palustris.

Regio hyeme tantùm adeunda.

Diuitiæ Lithuanorũ ferarũ pelles.

Pecuniæ nullus vsus

hic enim ſermo quàm latiſſimè patet, ac pluri-mis quidem gentibus communis eſt: ex quibus quædam Romanæ ritum Eccleſiæ ſequuntur, vt Poloni ſunt, Dalmatæ, Croatij, Carníque: Aliæ Græco ritu ſacra peragunt, vt Bulgari, Rutheni, & ex Lithuanis plerique. Nonnullæ ab his diuerſæ, proprias hæreſes habent, vt Boëmi ſunt, Morani, & Boſnienſes. Ioannem Huſſum quædam obſeruant, pars multo maxima Manichæos: quædam adhuc etiam gentili cæcitate tenentur: idola colunt, quemadmodum multi ex Lithuanis. Hieronymus Pragenſis, qui Eugenij quarti pontificatu in ea terra Euangelium prædicauit, quiq; gentis illius ritus & mores ad id tempus minus notos noſtris hominibus demonſtrauit, dicebat Lithuanorum quoſdam, ad quos primùm perueniſſet, domeſticatim ſerpentes habuiſſe: quibus per ſe quiſq; vt dijs penatibus ſacrificabant: cæterùm tenuiſſe ſe, vt præter vnum, qui cremari non potuit, à ſuis cultoribus interficerentur. Alij ignem colunt, captantq; ex eo auguria. Solem nonnulli mallei ferrei ſpecie immani magnitudine, proprium ducem habent, quem Magnum vocant: perſæpe tamen regi Polonorum ſubditi. Caput regionis Vilna eſt. Epiſcopalis ciuitas tanta magnitudinis eſt, quantæ Cracouia cum ſuburbijs omnibus. Domus contiguæ in ea non ſunt, ſed veluti in rure horti intermediant, & pomaria. Duo fortiſſima ca-

Serpentes domeſticatim venerati.

Sol ſub mallei ſpecie veneratus.

ſtra

stra habet, vnum in monte situm, inferius in plano alterum. Distat hæc ciuitas à Cracouia CXX. *milliaribus. Tartari quidam circa Vilnam in aßignatis pagis habitant, qui agros nostro more colentes laborant, & merces vehunt. Tartarica lingua loquuntur, Mahometum & sectã Sarracenorum profitentur.*

De Liuonia, Pruſſia & militibus Marianis.

CAPVT VIII.

Liuonia veræ fidèi cultrix, Rutheniæ ad septemtrionem prætenta & ipsa Sarmaticis finibus: Tartari Scythicum hominum genus crebriùs incursant. Liuonianos ad Christi cultum milites nostri traxere, quum anteà nullum nisi malorum dæmonum nouere. Sæpius vario euentu de regni possessione in ea terra bellatum. Sarmaticum mare ab occasu, sinúsque incompertæ magnitudinis, cuius ostium ab Occidente est, non procul à Cimbrica Chersoneso, quam Daciam hodie vocant. Circa sinum ad Septemtrionem semiferæ gentes sunt, cum quibus nullum est linguæ commercium, nutu & signis permutant merces. Prußia, vnde Pruteni, terra hodie Germaniæ & Sarmatiæ particeps, à meridie illi occurrit. Eam terram, si Ptolemæus verus auctor est, Vistula perluit à Torno oppido Gedanum vsque: quo in loco Balteo mari infunditur: ad Sarmaticum oceanum extensa citra Vistulam, vltrà Germania est. Ad orientem solem & meridiem Massouitæ

Milites Mariani.

Cimbrica Chersonesus hodie Dacia.

Prussia.

Vistula.

lino culmóque tuguria in carinarum aut galearum formam, in quorum culminibus fenestram vnam faciunt tam patentem, vt toti ædificio lucem supernè præbeat. Focus perpetuo igne in singulis vnus, circa quem familia vniuersa sedens, non solùm vt cibos coquat, verumetiam vt vehemens frigus, quæ pro maiori anni parte terra hæc congelata constrictaq; iacet, propellat. Vaporaria, seu stubas habent nullas. Gens ad diuinationem & auguria inclinata. Præcipuum ei numen ignis, quem sacrosanctum perpetuúmque esse persuasum habuere, quòd in edito colle ad fluuium Neuyasa assidua lignorum suggestione per sacerdotem aleretur. Vladislaus Poloniæ rex, qui eam ad Christi fidem compulit, illum vnà cum turri, in qua conseruabatur, exstinxit, disiecit, & syluas, quas non minore religione, quàm ignem, sanctas, proq; deorum habitaculis Sarmatæ (iuxta poeticum illud, Habitarunt dij quoque syluas) colebant: & nedum syluas, verùm quoque quidquid eas subijsset, sanctum miniméque violandum censebant, vt aues erant & feræ. Malorum dæmonum præstigio violantes eas statim in manibus & pedibus contrahebantur. Erant in his syluis singulis familijs suus focus & sacra domus constituta, in quibus defunctorum suorum corpora cum equis, sellis & meliori eorum vestimento comburere mos fuit. Conuenire eos noctu credebant, ideoq; sedilia

Diuinationi vacāt Samogithæ.

Ignis sacro sanctus.

Superstitio gētis admiranda.

sedilia ibi ex subere contexta disposita, in quibus optimus medo, escáque ex pasta in casei forma omni tempore largè subministrabatur, vt ipsis vescerentur. Prima Octobris die in his syluis maximum festum peragebant, ex omni regione vniuersus populus congregatus: quæque familia in sua casula cibo & potu, vt meliùs potuit, patrio instituto, indulgebat, tum ad focos dijs, in primis quem Perkumo, id est, tonitrum dicebant, libabant. Cum Lithuanis & Polonis linguam vnam habent: nam & Polonico sermone sacerdotes eis in ecclesiis prædicant. Romanæ ecclesiæ morem obseruant, licèt Rutheni alij ad meridiem, & Moscouitæ ad septemtrionem habitantes Græcorum ritum teneant, obedientiámque non Romano, verùm Constantinopolitano pontifici promittant. Ad septemtrionem his Moscouia protenditur, terra quadragintorum milliariorum patens: argento diues, tàm valido vbique præsidio conclusa, vt nedum aduenæ, verùm indigenæ, etiam absque literis ducis exire atq; intrare non possint. Plana omnino regio est, non montosa, nemorosa tamen, & vt plurimùm paludosa, plurimis maximis fluminibus Occa, Volha, Dzuuina, Boristhenéque & Dineper irrigua: piscibus ob id varijs, & feris abundat, quemadmodum Lithuania, à qua non multum discrepat, nisi quòd frigidior est, quia septemtrionalior. Vnde pecora parua habet, & communiter

Festiuitas.

Sermo.

Moscouia.

Flumina Moscouiæ.

niter

niter mutila. Moscua metropolis regionis dupla maior quàm Praga Boemiæ, lignea, vt aliæ ciuitates, ædificia habet, multas plateas, sed dispersas, latissimi campi interiacent. Mosca amnis ipsam intersecat. Arx in medio vrbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis adeò pulchris & validis, vt similia vix reperiantur. Sedecim in ea arce ecclesiæ, quarum tres sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, & sancti Nicolai muratæ, cæteræ omnes ligneæ. Tres quoque in ea amplissimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur. Palatium, in quo dux est, Italico more constructum pulcherrimum, sed non amplum. Multos nobilissimos ducatus habet, ex quibus ingruente bello plusquàm ducenta millia hominum duobus aut tribus diebus contrahuntur. Aqua gentis potus, & medo, liquorq; fermentatus, quem quassetZ vocant. Arant ligneo aratro: frondibus arborum aut spinis arpicant: segetes propter longum frigus rarò maturescunt: ideoq; in stubis desiccant, triturantq;. Aromatibus & sublimatis calfactoriis contra frigus variis vtuntur. De auena & melle aquam ardentem siue sublimatum faciunt, & lacte etiam, adeò forte vt sæpius ab eo inebrientur. Vino & oleo carent. Ne inebrientur inebriantem potum omnem terræ princeps capitis pœna prohibuit: bis aut ter tamen in anno conceditur. Monetam habent argenteam maiorem & minorem:

Moscua ciuitas maxima.

Mosca amnis.

Arx amplissima.

Potus Moscouitarum

Frigoris curatio.

Ebrietas capitis pœna mulctatur.

minorem, non rotundam, sed quadrangularem oblongam DZuuingis hanc dicunt. Sclauonica lingua loquuntur. Sectam & religionem cum Græcis vnam obseruant. Episcopi eorum patriarchæ Constantinopolitano subsunt, & ab eo confirmationem postulant. Christum adorant, præter Kosannenses, qui cum Sarracenis Mahometum venerantur: & Scythas quosdam alios, ad septemtrionem, qui linguis proprijs loquuntur, & idola colunt. In primis vnum, quod Zlota baba dicunt, id est, auream vetulã, tanta veneratione, vt nemo id pertranseat, quin saltem pilo ex veste tracto, si aliud nihil habeat, coram eo prostratus pro oblatione projiciat. His populis quamuis sermo sit vnus. Sclauonicus videlicet, est tamen adeò impar, & externis linguis hîc & alibi confusus, vt mutuò se non planè intelligant. Idololatriæ tempore pontificem maximum vnum habebant, quem Criue nominabant: in ciuitate Romoue (à Roma dicta) habitabat. Communis gentibus illis mos est, vt non solùm seruos vt pecora, sed etiam filios, & semetipsos vendant, & abducere quàm longißimè patiantur, ob victus tãtummodo sufficientiam, quamuis grosßißimis cibis vescantur.

Lingua. Religio. Scythæ idololatræ. Zlota baba idolum. Sclauonica lingua aliis linguis viciata & confusa.

De Polonia, Polonorumq; recentibus moribus. CAP. IX.

Polonia Europæ regio vasta & plana, vnde & hoc nomen accepit. Significat enim

Sarmatia Europæ.

Sclauonica lingua, qua & ipsa vtitur, Pole planum: Sarmatia alio nomine vocata, Hæc Slesiæ ad occidentem contermina est, Prutenis & Massouitis à septentrione, ab oriente Ruthenis, à meridie Hungaris. Carpatho monte, quem Crapak accolæ vocant, interiacente, hæc in partes duas diuiditur, quarum quæ Saxonibus Prutenisque vicina est, maior Polonia dicitur: altera Hungariæ ac Russiæ obiecta minor vocatur. Regnum vniuersum in quatuor velut regiones diuisum, quas in orbem Rex quotannis inuisit. Singulæ ternis mensibus alunt Regem, regiúmque comitatum: cæterùm si casu consilióve is in vna regni parte diutiùs esse perseuerauerit, nihil debetur ipsi ampliùs. In Craconia celebri & amplissima vrbe regia est, totiusq; regni gaza: cæteræ ciuitates parum nitidæ sunt: ex maceria domus ferè omnes compositæ, pleræque luto collinitæ, plaga regionis nemorosa. Gens in vniuersum prudens, multáque comitate in hospites, Bibacissimum genus hominum, vt totus Septemtrio, sed rarus vini vsus: ignotusq; genti omnis vinearum cultus. Factitia ex tritico, aliisq; generibus seminum potio in vsu est: solum ferax, triticiq; abundans. Est & pascuis idoneum, armenta latè pascuntur. Venatio multiplex, equus siluester ceruino cornu, bos ferus, Vrum Romani vocant. Plumbum dumtaxat ex omnibus metallis fodiunt Poloni, & salem saxorum duritie: null.

Termini Poloniæ.

Polonia duplex, maior & minor.

Cracouia Polonorum regia.

Gens Polonica prudēs & comis.

Potus Ceruisia.

Salis fodina.

nullumq; toto regno vberius vectigal. Mellis copia tam ingens, vt non satis illis atque Ruthenis loci supersit, quibus illa recondant: arbores namque omnes & syluæ aluearibus mellificantium nigricant. Literarum figuratio ex Gentili & Græcanico mixta: promiscuus & fidei ritus inter Romanum & Græcum: virorum & mulierum vestitus Græcanico similis.

Mellis vectigal.

Literæ.

Fidei ritus

Vestitus.

De Hungaria, Hungarorumq; viuendi institutis. CAP. X.

H*Vngaria nunc sanè ea regio est, quæ olim Pannonia fuit, licet hæc hodie illius fines in totum non impleat, nec tam latè quondam patuit, quàm hodie Hungaria. Enimuerò à Laytha flumine inferiorem tantùm Pannoniam vsque ad Sauum amnem complexa, vltra Danubium Poloniam attingit, terramq; complectitur, quam Gepidæ & Daci tenuerunt: patétque Imperium gentis multò latiùs quàm terræ nomen. Erat hæc terra, vt prisci rerum scriptores habent, nouem circulis, quos hagas Germanica lingua dicimus, circumdata, quorum singuli ita stipitibus quernis, siue fagineis, vel abiegnis extructi erant, vt de margine ad marginem viginti pedum spatium tenderetur in latum, totidem erigeretur in altum: ciuitas autem vniuersa aut durißimis lapidibus, aut tenacißima creta repleretur: porrò superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia arbu[s]cula*

Hungariæ fines.

Gepidæ & Daci.

plantatæ erant, quæ abscissæ proiectæq; vt plurimum herbas & frondes proferebant. De primo autem circulo ad secundum viginti milliaria Teutonica protendebantur, & inde totidem ad tertium, & ita vsq; ad nonum, quamuis alius alio semper contractior erat. Intra hos aggeres, vici, villæq; ita constitutæ, vt ab vna ad aliam vox hominis audiretur. Aedificia validißimis muris præmunita: portæ non satis latæ propter hanc causam, vt per eas latrocinandi gratia quaquauersum exire ingredique facilè possent. Tubarum clangore vnus circulus alteri cuiusque rei certa signa dabat. Pannones ab initio eam terram tenuerunt. Pæones olim dicti, inde Hunni habuere, gens Scythica. Mox Gotthi ex insulis Germanici oceani profecti: post Gotthos, Longobardi ex Scandinauia etiam oceani insula: nouißimè Hungari ex alia Hungaria Scythica egreßi, quæ non longè à Tanais ortu extat, & Iuhra hodie dicitur: misera adhuc regio, vtpote sub frigidißimo cælo iacens, duci Moscouiæ tributaria. Non tamen aurum argentúmve, quibus omnino carent, sed pretiosas animalium pelles Sabellorum scißmorúmque pendunt homines. Non arant, non seminant, neque panes habent: ferarum carnibus & piscibus vescuntur: aquam potant: sub tugurijs ex virgultis contextis inter densas syluas humiliter habitant. Vnde fit, vt homines syluestribus feris commorantes, vestimentis

Pannones. Pæones. Hunni. Gotthi. Lõgobardi Hungari.

Hungaria Scythica.

mentis se non laneis, neque lineis induant, sed pellibus nuper aut lupo, aut ceruo, vrsóve detractis. Solem, lunam, astráq; alia alij adorant, & quicquid eis primùm occurrit. Propriam linguam habent. Corallia piscantur, & balenas, ex quarum cute rhedas bursasq; faciunt: axungiam pro impinguatione seruatam exteris nationibus vendunt. Mediocris tumoris montes ad eam partem, quà oceano incumbit, habet, quos pisces quidam Mors vocati dentibus se promouendo scandentes, dum superiora nacti vlterius nituntur, præcipites decidunt, & moriuntur: eos illi colligunt eduntq; dentes, quos latos & albos valde habent, reseruant, & mercatoribus pro mercibus alijs permutant: Manubria cultellorum ex illis optima parantur. Habet Hungaria nostra ad occasum Austriam & Boemiam, ad meridiem Illyrici partem, quæ Adriatico est pelago obuersa: ad orientem solem Seruiam, quam Triballi & Mysij tenuerunt, nunc à quibusdam Sagaria vocatam: ad Arctum & Boream Poloni, Moschíque finitimi. Vrbs regia est Buda, à Bada Attilæ fratre appellata. Ager regionis, quatenus colitur, tritico fertilis est, auro atque argento diues. Mirum est, quod indigenæ narrant, esse in Pannonia riuum, in quo si sæpius ferrum mergatur, cuprum fieri. Viri vestes supernè excauant, circa interscapilium, linea subtus tunica, circa

Fines Hungariæ.

Buda vrbs regia.

hic enim sermo quàm latißimè patet, ac pluri- mis quidem gentibus communis est: ex quibus quædam Romanæ ritum Ecclesiæ sequuntur, vt Poloni sunt, Dalmatæ, Croatij, Carníque: Aliæ Græco ritu sacra peragunt, vt Bulgari, Rutheni, & ex Lithuanis plerique. Nonnullæ ab his diuersæ, proprias hæreses habent, vt Boëmi sunt, Moraui, & Bosnienses. Ioannem Hussum quædam obseruant, pars multo maxima Manichæos: quædam adhuc etiam gentili cæcitate tenentur: idola colunt, quemadmodum multi ex Lithuanis. Hieronymus Pragensis, qui Eugenij quarti pontificatu in ea terra Euangelium prædicauit, quiq; gentis illius ritus & mores ad id tempus minus notos nostris hominibus demonstrauit, dicebat Lithuanorum quosdam, ad quos primùm peruenisset, domesticatim serpentes habuisse: quibus per se quisq; vt dijs penatibus sacrificabant: cæterùm tenuisse se, vt præter vnum, qui cremari non potuit, à suis cultoribus interficerentur. Alij ignem colunt, captantq; ex eo auguria. Solem nonnulli mallei ferrei specie immani magnitudine, proprium ducem habent, quem Magnum vocant: persæpe tamen regi Polonorum subditi. Caput regionis Vilna est. Episcopalis ciuitas tanta magnitudinis est, quantæ Cracouia cum suburbijs omnibus. Domus contiguæ in ea non sunt, sed veluti in rure horti intermediant, & pomaria. Duo fortißima ca-

Serpentes domesticatim venerati.

Sol sub mallei specie veneratus.

stra

stra habet, vnum in monte situm, inferius in plano alterum. Distat hæc ciuitas à Cracouia CXX.*milliaribus. Tartari quidam circa Vilnam in assignatis pagis habitant, qui agros nostro more colentes laborant, & merces vehunt. Tartarica lingua loquuntur, Mahometum & sectā Sarracenorum profitentur.*

De Liuonia, Prussia & militibus Marianis.

CAPVT VIII.

L*Iuonia vera fidei cultrix, Ruthenia ad septemtrionem pretenta & ipsa Sarmaticis finibus: Tartari Scythicum hominum genus crebriùs incursant. Liuonianos ad Christi cultum milites nostri traxere, quum anteà nullum nisi malorum dæmonum nouere. Sæpius vario euentu de regni possessione in ea terra bellatum. Sarmaticum mare ab occasu, sinúsque incompertæ magnitudinis, cuius ostium ab Occidente est, non procul à Cimbrica Chersoneso, quam Daciam hodie vocant. Circa sinum ad Septemtrionem semiferæ gentes sunt, cum quibus nullum est linguæ commercium, nutu & signis permutant merces. Prussia, vnde Pruteni, terra hodie Germaniæ & Sarmatiæ particeps, à meridie illi occurrit. Eam terram, si Ptolemæus verus auctor est, Vistula perluit à Torno oppido Gedanum vsque: quo in loco Balteo mari infunditur: ad Sarmaticum oceanum extensa citra Vistulam, vltrà Germania est. Ad orientem solem & meridiem Massouitæ*

Milites Mariani.

Cimbrica Chersonesus hodie Dacia.

Prussia.

Vistula.

ſonitæ ſunt, & Poloni accolunt: ad occidentem Saxones. Pruſſiæ ſolum ferax eſt, maximéque frugiferum, irriguum, frequens cultus: Regio amœna, & pecoris abundans piſcatus, venatióque multa. Vlmerigi eam terram tenuere, quum Gotti ex Scandinauia inſula egreſſi ſunt in continentem; vt Iornandes ſcripſit. Ptolemæus Amaxobios, Alaunos, Venedes, & Githones penes Viſtulam habitaſſe auctor eſt. Malorum & hæc cultrix fuit dæmonum vſque ad ſecundi Federici tempora. Deiparini milites, qui & Mariani dicuntur, poſt Ptolemaidem in Syria amiſſam in Germaniam reuerſi, viri videlicet nobiles & rei militaris periti, ne per otium marcerent, eundem accedentes, Pruſſiam Germaniæ conterminam Chriſti cultum ſpernere dixerunt: ſæpe illius gentis homines in Saxones, cæteroſq; vicinos excurrere, ingentem vim pecorum abigere, eſſe in animo ſibi compeſcere barbaram gentem, annuat tantùm Imperator, prouinciamq; fratribus perpetuo iure poſſidendam tradat, ſi eam armis acquirant. Iam enim Maſſouiæ duces, qui eius ſe terræ dominos affirmabant, ius ſuum fratribus conceſſerant. Grata oblatio Federico fuit, qui collaudato propoſito, quas voluere fratres ſub aurea bulla literas conceſſit. Illi ſumptis armis breui tempore quicquid Prutenici iuris citra & vltra Viſtulam fuit ſubegere: ſubactam, ac bello quæſitam, ſuæ ditionis fecere.

Vlmerigi Gotti ex Scandinauia.

Deiparini milites.

Pruſcia quomodo ab ordine Teutonico acquiſita.

Maſſouiæ duces.

Victa

Victa gens Christi fidem complexa est, & cum fide Teutonicam linguam. Fuit ad Vistulam amnem quercus, vbi victrix gens à principio castellum erexit. Mox, vt sunt res hominum, quæ tenui principio in majus augentur, oppidum frequenti cultu adoleuit, Mariæ burgum dixerunt. Caput gentis est, atque sedes eius, qui vniuersi ordinis magisterio fungitur. Sacræ huius militiæ origo Teutonica est, nec quisquam nisi Teutonicus his sacris initiatur, atque idem claris ortus natalibus, & cui proponitur, vt aduersus sacratissimæ crucis hostes paratus sit omni tempore dimicare. Albo pallio amiciũtur, nigra cruce insuta. Omnes alunt barbam, præter eos, qui sacris operantur, & sacerdotes sunt. Dominicam orationem milites ipsi pro canonicis horis vsurpant: neque literas discunt. Diuitijs abundant: nec minor, quàm regibus, potentia. Sæpe cum Polonis de regni finibus acceptis atque illatis cladibus contendere, nec totis viribus belli fortunam experiri recusauerunt.

Mariæ burgum.

Ordo militum Teutonicorum.

Vestitus militũ Teutonicorum.

Potentia ordinis Teutonicorum.

Est Prussiæ atque Lithuaniæ cõtermina regiuncula, quæ Samogithia dicitur, syluis & fluminibus circumsepta, quinquaginta milliarium longitudine: cuius gentes proceræ & pulchræ staturæ, agrestes tamen, moribúsque inculti. Matrimonia plura celebrant: & absq; sanguinis respectu, patre mortuo filius nouercam, frater fratris glotem in vxorem accipiunt. Aes nullum habent, humiliter ædificant, ex lino

De Samogithia & gẽtis moribus.

lino culmóque tuguria in carinarum aut galearum formam, in quorum culminibus fenestram vnam faciunt tam patentem, vt toti ædificio lucem supernè præbeat. Focus perpetuo igne in singulis vnus, circa quem familia vniuersa sedens, non solùm vt cibos coquat, verumetiam vt vehemens frigus, quæ pro maiori anni parte terra hæc congelata constrictaq; iacet, propellat. Vaporaria, seu stubas habent nullas. Gens ad diuinationem & auguria inclinata. Præcipuum ei numen ignis, quem sacrosanctum perpetuúmque esse persuasum habuere, quòd in edito colle ad fluuium Neuyasa assidua lignorum suggestione per sacerdotem aleretur. Vladislaus Poloniæ rex, qui eam ad Christi fidem compulit, illum vnà cum turri, in qua conseruabatur, exstinxit, disiecit, & syluas, quas non minore religione, quàm ignem, sanctas, proq; deorum habitaculis Sarmatæ (iuxta poeticum illud, Habitarunt dij quoque syluas) colebant: & nedum syluas, verùm quoque quidquid eas subijsset, sanctum miniméque violandum censebant, vt aues erant & feræ. Malorum dæmonum præstigio violantes eas statim in manibus & pedibus contrahebantur. Erant in his syluis singulis familijs suus focus & sacra domus constituta, in quibus defunctorum suorum corpora cum equis, sellis & meliori eorum vestimento comburere mos fuit. Conuenire eos noctu credebant, ideoq; sedilia

Diuinationi vacãt Samogithæ. Ignis sacro sanctus.

Superstitio gẽtis admiranda.

sedilia ibi ex subere contexta disposita, in quibus optimus medo, escáque ex pasta in casei forma omni tempore largè subministrabatur, vt ipsis vescerentur. Prima Octobris die in his sylvis maximum festum peragebant, ex omni regione vniuersus populus congregatus: quæque familia in sua casula cibo & potu, vt meliùs potuit, patrio instituto, indulgebat, tum ad focos dijs, inprimis quem Perkumo, id est, tonitrum dicebant, libabant. Cum Lithuanis & Polonis linguam vnam habent: nam & Polonico sermone sacerdotes eis in ecclesiis prædicant. Romanæ ecclesiæ morem obseruant, licèt Rutheni alij ad meridiem, & Moscouitæ ad septemtrionem habitantes Græcorum ritum teneant, obedientiámque non Romano, verùm Constantinopolitano pontifici promittant. Ad septemtrionem his Moscouia protenditur, terra quadragintorum milliariorum patens: argento diues, tam valido vbique præsidio conclusa, vt nedum aduenæ, verùm indigenæ, etiam absque literis ducis exire atq; intrare non possint. Plana omnino regio est, non montosa, nemorosa tamen, & vt plurimùm paludosa, plurimis maximis fluminibus Occa, Volha, Dzuuina, Boristhenéque & Dineper irrigua: piscibus ob id varijs, & feris abundat, quemadmodum Lithuania, à qua non multum discrepat, nisi quòd frigidior est, quia septemtrionalior. Vnde pecora parua habet, & communiter

Festiuitas.

Sermo.

Moscouia.

Flumina Moscouiæ.

niter

niter mutila. Moscua metropolis regionis dupla maior quàm Praga Boemiæ, lignea, vt aliæ ciuitates, ædificia habet, multas plateas, sed dispersas, latißimi campi interiacent. Mosca amnis ipsam intersecat. Arx in medio vrbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis adeò pulchris & validis, vt similia vix reperiantur. Sedecim in ea arce ecclesiæ, quarum tres sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, & sancti Nicolai muratæ, cæteræ omnes ligneæ. Tres quoque in ea amplißimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur. Palatium, in quo dux est, Italico more constructum pulcherrimum, sed non amplum. Multos nobilißimos ducatus habet, ex quibus ingruente bello plusquam ducenta millia hominum duobus aut tribus diebus contrahuntur. Aqua genti potus, & medo, liquorq; fermentatus, quem quasset Z vocant. Arant ligneo aratro: frondibus arborum aut spinis arpicant: segetes propter longum frigus rarò maturescunt: ideoq; in stubis desiccant, triturantq;. Aromatibus & sublimatis calfactoriis contra frigus varijs vtuntur. De auena & melle aquam ardentem siue sublimatum faciunt, & lacte etiam, adeò forte vt sæpius ab eo inebrientur. Vino & oleo carent. Ne inebrientur inebriantem potum omnem terræ princeps capitis pœna prohibuit: bis autem tamen in anno conceditur. Monetam habent argenteam maiorem & minorem:

Moscua ciuitas maxima.

Mosca amnis.

Arx amplissima.

Potus Moscouitarum

Frigoris curatio.

Ebrietas capitis pœna mulctatur.

minorem, non rotundam, sed quadrangularem oblongam Dzuuingis hanc dicunt. Sclauonica lingua loquuntur. Sectam & religionem cum Græcis vnam obseruant. Episcopi eorum patriarchæ Constantinopolitano subsunt, & ab eo confirmationem postulant. Christum adorant, præter Kosannenses, qui cum Sarracenis Mahometum venerantur: & Scythas quosdam alios, ad septemtrionem, qui linguis proprijs loquuntur, & idola colunt. In primis vnum, quod Zlota baba dicunt, id est, auream vetulã, tanta veneratione, vt nemo id pertranseat, quin saltem pilo ex veste tracto, si aliud nihil habeat, coram eo prostratus pro oblatione proijciat. His populis quamuis sermo sit vnus, Sclauonicus videlicet, est tamen adeò impar, & externis linguis hîc & alibi confusus, vt mutuò se non planè intelligant. Idololatriæ tempore pontificem maximum vnum habebant, quem Criue nominabant: in ciuitate Romoue (à Roma dicta) habitabat. Communis gentibus illis mos est, vt non solùm seruos vt pecora, sed etiam filios, & semetipsos vendant, & abducere quàm longissimè patiantur, ob victus tãtummodo sufficientiam, quamuis grossissimis cibis vescantur.

Lingua. Religio. Scythæ idololatræ. Zlota baba idolum. Sclauonica lingua aliis linguis viciata & confusa.

De Polonia, Polonorumq; recentibus moribus. CAP. IX.

Polonia Europæ regio vasta & plana, vnde & hoc nomen accepit. Significat enim

Sarmatia Europæa.

Sclauonica lingua, qua & ipsa vtitur, Pole planum: Sarmatia alio nomine vocata. Hæc Slesiæ ad occidentem contermina est, Prutenis

Termini Poloniæ.

& Massouitis à septentrione, ab oriente Ruthenis, à meridie Hungaris. Carpatho monte, quem

Polonia duplex, maior & minor.

Crapak accolæ vocant, interiacente, hæc in partes duas diuiditur, quarum quæ Saxonibus Prutenisque vicina est, maior Polonia dicitur: altera Hungariæ ac Russiæ obiecta minor vocatur. Regnum vniuersum in quatuor velut regiones diuisum, quas in orbem Rex quotannis inuisit. Singulæ ternis mensibus alunt Regem, regiúmque comitatum: cæterùm si casu

Cracouia Polonorum regia.

consilióve is in vna regni parte diutiùs esse perseuerauerit, nihil debetur ipsi ampliùs. In Cracouia celebri & amplissima vrbe regia est, totiusq; regni gaza: cæteræ ciuitates parum nitidæ sunt: ex maceria domus ferè omnes compo-

Gens Polonica prudẽs & comis.

sitæ, pleræque luto collinitæ, plaga regionis nemorosa. Gens in vniuersum prudens, multáque comitate in hospites. Bibacissimum genus ho-

Potus Ceruisia.

minum, vt totus Septemtrio, sed rarus vini vsus: ignotusq; genti omnis vinearum cultus. Factitia ex tritico, alijsq; generibus seminum potio in vsu est: solum ferax, triticiq; abundans. Est & pascuis idoneum, armenta latè pascuntur. Venatio multiplex, equus siluester cerui-

Salis fodina.

no cornu, bos ferus, Vrum Romani vocant. Plumbum dumtaxat ex omnibus metallis fodiunt Poloni, & salem saxorum duritie: null-

nullumq; toto regno vberius vectigal. Mellis copia tam ingens, vt non satis illis atque Ruthenis loci supersit, quibus illa recondant: arbores namque omnes & syluæ aluearibus mellificantium nigricant. Literarum figuratio ex Gentili & Græcanico mixta: promiscuus & fidei ritus inter Romanum & Græcum: virorum & mulierum vestitus Græcanico similis.

Mellis vectigal.

Literæ.

Fidei ritus

Vestitus.

De Hungaria, Hungarorumq; viuendi institutis. CAP. X.

Hungariæ fines.

HVngaria nunc sanè ea regio est, quæ olim Pannonia fuit, licet hæc hodie illius fines in totum non impleat, nec tam latè quondam patuit, quàm hodie Hungaria. Enimuerò à Laytha flumine inferiorem tantùm Pannoniam vsque ad Sauum amnem complexa, vltra Danubium Poloniam attingit, terramq; complectitur, quam Gepidæ & Daci tenuerunt: patétque Imperium gentis multò latiùs quàm terræ nomen. Erat hæc terra, vt prisci rerum scriptores habent, nouem circulis, quos hagas Germanica lingua dicimus, circumdata, quorum singuli ita stipitibus quernis, siue fagineis, vel abiegnis extructi erant, vt de margine ad marginem viginti pedum spatium tenderetur in latum, totidem erigeretur in altum: ciuitas autem vniuersa aut durißimis lapidibus, aut tenacißima creta repleretur: porrò superficies vallorum eorundem integerrimis cæspitibus tegeretur. Inter quorum confinia arbu, cula plant-

Gepidæ & Daci.

plantata erant, quæ abscissa proiectaq; vt plurimum herbas & frondes proferebant. De primo autem circulo ad secundum viginti milliaria Teutonica protendebantur, & inde totidem ad tertium, & ita vsq; ad nonum, quamuis alius alio semper contractior erat. Intra hos aggeres, vici, villæq; ita constitutæ, vt ab vna ad aliam vox hominis audiretur. Aedificia validissimis muris præmunita: portæ non satis latæ propter hanc causam, vt per eas latrocinandi gratia quaquauersum exire ingredique facilè possent. Tubarum clangore vnus circulus alteri cuiusque rei certa signa dabat. Pannones ab initio eam terram tenuerunt. Pæones olim dicti, inde Hunni habuere, gens Scythica. Mox Gotthi ex insulis Germanici oceani profecti: post Gotthos, Longobardi ex Scandinauia etiam oceani insula: nouißimè Hungari ex alia Hungaria Scythica egreßi, quæ non longè à Tanais ortu extat, & Iuhra hodie dicitur: misera adhuc regio, vtpote sub frigidißimo cælo iacens, duci Moscouiæ tributaria. Non tamen aurum argentúmve, quibus omnino carent, sed pretiosas animalium pelles Sabellorum scissorúmque pendunt homines. Non arant, non seminant, neque panes habent: ferarum carnibus & piscibus vescuntur: aquam potant: sub tugurijs ex virgultis contextis inter densas syluas humiliter habitant. Vnde fit, vt homines syluestribus feris commorantes, vestimen tis

Pannones. Pæones. Hunni. Gotthi. Lõgobardi Hungari.

Hungaria Scythica.

mentis se non laneis, neque lineis induant, sed pellibus nuper aut lupo, aut ceruo, vrsóve detractis. Solem, lunam, astráq; alia alij adorant, & quicquid eis primùm occurrit. Propriam linguam habent. Corallia piscantur, & balenas, ex quarum cute rhedas bursasq; faciunt: axungiam pro impinguatione seruatam exteris nationibus vendunt. Mediocris tumoris montes ad eam partem, quà oceano incumbit, habet, quos pisces quidam Mors vocati dentibus se promouendo scandentes, dum superiora nacti vlterius nituntur, præcipites decidunt, & moriuntur: eos illi colligunt eduntq; dentes, quos latos & albos valde habent, reseruant, & mercatoribus pro mercibus alijs permutant: Manubria cultellorum ex illis optima parantur. Habet Hungaria nostra ad occasum Austriam & Boëmiam, ad meridiem Illyrici partem, quæ Adriatico est pelago obuersa: ad orientem solem Seruiam, quam Triballi & Mysij tenuerunt, nunc à quibusdam Sagaria vocatam: ad Arctum & Boream Poloni, Moschíque finitimi. Vrbs regia est Buda, à Bada Attilæ fratre appellata. Ager regionis, quatenus colitur, tritico fertilis est, auro atque argento diues. Mirum est, quod indigenæ narrant, esse in Pannonia riuum, in quo si sæpius ferrum mergatur, cuprum fieri. Viri vestes supernè excauant, circa interscapilium, linea subtus tunica, circa

Fines Hungariæ.

Buda vrbs regia.

collum & humeros quodamtenus apparens, quam partem serico & auro ferè omnes exornant, indifferens in caliga, cothurno superinducto. Capillos inungunt, concinnantq; lineo galericulo contegunt, raroq; nec, nisi in otio, resoluunt: qui mos & à plerisque Germanis obseruatur.

Mulierum Hungarorũ habitus.

Muliebris vestitus strictior, & ad collum subductus, vt omnia tegantur, tantùm lineæ tunicule ora emineant pretiosissimè ornata: vestibus togam superinducunt, serico caput aut lineo componunt velamine, ac præter oculos & nasum cetera ferè abscondunt: gemmis & margaritis vulgò vtuntur. Cothurno calceantur viri, fœminæq; ad media crura inducto. Annum lugent defunctos, & quosdam biennio. Barbam rasitant, præterquam superiore labro. Orthodoxæ fidei cultus ex lege iudicant.

Certamine singulari cõtrouersiæ dirimuntur.

Est & alia iudicij ratio, si causa anceps sit, nec aliter liquere possit, lis ferro decernitur, reus & actor dimicant: rex, aut qui regis vicem gerit, spectat, iudicátque secundùm eum, qui superior fuerit. Satis vicisse credunt, cuius aduersarius aut pugnam cunctantiùs inibit, aut lineis areæ, quibus pugnæ locus circumscribitur, exciderit. Qui ex equo dimicant, lanceà priùs, dein gladio vtuntur. Pedites præter verenda, cætera nudi pugnant.

Hungarorũ pugnandi ratio.

Suus genti sermo, etsi Boëmico non multum absimilis. Habent & priuatas literas, sed Romanis libentiùs vtuntur. Ferox hominum genus, & in bello

Sermo, Literæ, Ferocitas Hungarorum.

valid

validum, equestri prælio magis quàm pedestri idoneum. Regis imperio parent, aut regijs ducibus. Cataphracto equite in bello vtuntur, & leuiarmatura, sed parciùs omnino: turmatim confligunt, non tamen toto agmine. Nulla gens Christiani nominis Turcarum arma magis exercuit. Nulla ab his rursus magis exercita est: adeò paribus animis varioq; euentu est semper vtrinque bellatum. Alia Hungaria, quæ huius mater est, linguaq; & moribus penè adhuc illi similis, ritu Barbarico viuit, idolis seruit.

De Boëmia, & moribus Boëmorum.

CAP. XI.

BOëmia Regio, Germaniæ limitibus inclusa, Aquilonis flatibus obiacet: Hungaria illi orientalis est, australis Bauaria, Noricus ager occiduus, Polonia borealis. Latitudo eius longitudini ferè par: trium fortè dierum iter. Sylua Hercynia tanquam natiuo muro vndique cingitur. Albi fluuio media irrigatur, atque quodam alio Multauia nomine, ad cuius ripam Praga sita est amplissima vrbs, & totius regni caput. Solum hordei & tritici ferax, pabulo, pecore, atque piscibus abundat, olei sterilis est, quemadmodum Germania ipsa: vino non omnino caret, ceruisiam optimam facit, quæ Viennam vsque Austriæ vehitur. Boëmi Germanis licet vndiq; circumsepti sint, Germanica

Boemiæ limites.

Hercynia sylua.

Albis.

Multauia.

Praga vrbs regia.

Ceruisia Boemica commendatur.

Sermo.

tamen lingua non loquuntur, Dalmatarum aduentu Teutonica illinc pulsa. Etenim in eorum annalibus reperitur, fratres duos ex Croatiæ populis egressos, alterum in Boemia, alterum in Polonia consedisse, mutassétq; & gentibus prioribus linguam, & terris nomina, Volaterrano auctore. Mos vetus & Germanica lingua à plerisque in hanc vsque diem obseruantur. In templis enim plebes sermone Teutonico docentur, in cœmiterijs Boemico. Solis mendicantibus olim libertas fuit, qua vellent lingua populos instruere. Nullæ genti leges sunt, nulla strictiora instituta, quod libet licet: quippe Romanæ fidei ritum non sequantur, vt qui Vvaldensium doctrinam amplexi tutentur, tum auorum nostrorum memoria Hussum sequuti Romanæ Ecclesiæ traditionem parum hodie integrè custodiunt. Romanum pontificem in ordinem redigunt, negantq; cæteris Antistitibus augustiorem esse ac venerabiliorem, inter sacerdotes nullum discrimen ducentes. Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas corporibus excedentes aut in æternas e vestigio pœnas demergi, aut perpetua consequi gaudia: purgatorium ignem non inueniri, quo aliquando expientur. Stultum arbitrantur defunctis parentare, auaritiæ sacerdotalis inuentum esse: Dei optimi maximi diuorumq; simulacra è medio tollunt. Aquarum palmarumque, ac cæterarum

Lingua Germanica in Boemia.

Vualdenses

Fides Boemorum.

Sacerdotes æquât Boemi.

Boemi non parentant. Benedictiones rerum irrident.

rerum benedictiones irrident. Mendicantium religiones malos dæmones inuenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sol'eleemosyna contentos: non opes, non pecuniam possidere. Liberam cuique verbi Dei prædicationem patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum iudicant neque debere seculari, neque ecclesiastica dignitate potiri, nec etiam parendum esse ei. Confirmationem, & extremam vnctionem inter ecclesiæ sacramenta minimè teneri. Auricularem confessionem nugacem, & superuacuam esse: sufficere in cubili aut alio secreto loco sua quemque Deo peccata confiteri. Baptisma fluuialis vndæ, nulla interiecta sacri olei mixtura, recipiendum. Cœmiteriorum inanem vsum: quæstus tantummodo causa repertum: quacumque tegantur tellure humana corpora, nihil distare. Templum Dei late patentis ipsum mundum esse: coarctare maiestatem eius, qui ecclesias, monasteria, oratoriaq; construunt. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporaria, calices, patinas, vasa huiusmodi nil habere momenti: sacerdotem quocumque loco, quocumque tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibus ministrare: sufficere si verba sacramentalia tantùm dicat. Suffragia sanctorum in cælis cum Christo regnantium non impetrari, in Canonicis horis cantandis dicendísque frustrà

Peccatum mortale tolerandum non esse.

Sacramētū eucharistiæ

tempus teri. Nullo die ab opere cessandum esse existimant, quàm qua Dominica nunc appellatur. Celebritates sanctorum reijciendas. Ieiunijs quoque ab ecclesia institutis nihil inesse meriti. Fama est etiam, Boëmorum sacerdotes infantibus ipsis & cunctis alijs indifferenter, sub vtraque specie corpus Christi ministrare, hostia quàm qua nos vtimur aliquantùm grandiori. Georgius Poggebratius huius instituti auctor fuisse dicitur. Picardus quidam ex Gallia, gentem impuro delirio infecit: is non paruam virorum mulierúmque plebem contractam nudam incedere iussit, Adamitas vocauit, auctor omnis licentiæ, Venus publica & mixta, reliqua horrenda auditu crimina hoc duce cœperant, & in quibusdam locis adhuc durare, sed occultè, à multis dicitur. Nam subterraneos Boëmorum quidam (qui ex hoc Gruebenhaimer appellantur) sacra operaturi subeunt, inter quæ quum à sacerdote pro more illud Genesis pronunciatur, Crescite & multiplicamini, ac replete terram, lumina quæ ibi habentur, continuò omnia exstinguntur, & tunc neque ætatis vlla neque sanguinis attenta reuerentia, promiscuè viri, & in quam per tenebras quisq; incidit, mulieres cognoscunt. Peracto scelere quum in locum suum se quisque receperit, luminaria rursus incenduntur, & sacrum peragitur. Est execrandus hic damnatæ gentis ritus non multum diuersus à Bacchanalibus illis, quæ in Hetruria

Celebritates sanctorū

Infantes Boemi cōmunicant.

Nefandus Boëmorum ritus.

Bacchanalia olim in Italia celebrata.

truria primò, mox Romæ etiam noctu, multa vini & epularum crapula mulieres maribus mixtæ in abdito celebrauere, nullo neque sexus, neque ætatis respectu habito ad promiscua puerorum ac matronarum stupra, atque aliorum flagitiorum, quæ ex ipsis tanquam ex officina quadam prodibant: quorum sacrorum capita Qu. Martio Philippo & Posthumio Albino Consulibus Romæ capitali sunt supplicio affecta, vt scribit Sebellicus Enneade quinta libro septimo. Hanc Boëmorum impietatem, nefandam hæresim, quatuor reges, Vencesiaus, Sigismundus, Albertus, & Vladislaus, exstirpare non potuerunt, quamuis sæpius totis viribus attentarunt.

Hæresis Boemorum inuicta.

De Germania, & institutis eorum plurimis.

CAP. XII.

GErmania Regio Europæ amplissima, tota septemtrionalis, à Gallis olim Rheno flumio diuisa fuit, à Rhetis & Pannonibus Danubio, à Sarmatis Dacisque mutuo metu & montibus separata, cætera oceano ambiente: hodie extra hos fines Rhetiam, Vindeliciam, Noricam, & superiorem Pannoniam, Alpes: partémque Illyriæ, & vsque ad Tridentina claustra Germania obtinet: Belgarum quoque ferè tota natio Gallici quondam iuris, omnisque Rhenus in Germaniæ nomen linguámque concessit, vt iam se Gallos dici nesciant: si audiant, indignentur. Heluetij quoque in Germaniæ nomen

Germaniæ veteres limites.

Quid Germaniæ accessit.

nomen & linguam tempore labente transiere.
Prussiam Germania vindicauit *Itaq; magnam Galliæ Transalpinæ partem ipsa Germania sibi vendicauit. Prutenos ferocissimam gentem & idolis deditam intra trecentesimum annum ex infidelium manibus milites Teutonici vi & armis rapuerunt, vbi & lingua Teutonica introducta est, & Christi cultus genti imperatus. Vnde habita ad primæuos illius terminos consideratione, videbitur certè illa sibi fere plus soli extrà vsurpasse, quàm intus prius continebat.* Germania duplex. *In duas velut partes ab initio tota Germania diuisa fuit, vt quæ Alpibus propinquior est, superior sit Germania appellata: altera, ad septemtrionem atq; oceanum versa, inferior.* Alemania. *Durat hæc partitio sub Alemaniæ appellatione (quæ à Lemano, vt quidam autumant, lacu est) in hunc vsque diem.* Prouinciæ Germaniæ multæ. *Prouincias tam hæc, quàm illa, multas habent: superior à Mogano flumine,* Superior Germania vulgariter Hochteutschland: inferior niderteutschland. *quod Franconiam perlabitur, ascendendo, Danariam habet, Austriam, Styriam, Athesim, Rhetiam, Heluetiam, Sueuiam, Alsatiam, prouinciam Rhenensem, Moguntiacum adusque. Inferior, Franconiam, cuius magna pars meridiem versus etiam in superiorem protenditur, habet, Hassiam, Lotharingiam, Brabantiam, Gelriam, Zelandiam, Holandiam, Phrysiam, Flandriam, Vvestualiam, Saxoniam, Daciam, Peninsulam, Pomeraniam, Liuoniam, Prussiam, Slesiam, Morauiam,*

Boëm

Boëmiam, Myſiam, Marchiam, Thuringiam. Fuit Germaniæ terra ab initio, vt Cornelius Tacitus ſcribit, etſi aliquando ſpecie differebat, in vniuerſum aut ſyluis horrida, aut paludibus infæcunda, humilior quà Gallias, ventoſior quà Noricum ac Pannoniam aſpicit. Frugiferarum arborum & omnis culturæ impatiens tellus, pecorum tamen fæcunda, ſed plerumque improcerorum. Auro atque argento immunis, & propterea vilis, deſpectaq; ab omnibus. Hodie regio adeò amœna eſt; adeò pulcherrimis nitidiſſimisq; vrbibus, caſtris & pagis paſſim exornata, exculta, vt non Italiæ, non Galliæ, non Hiſpaniæ ipſa cedat. Cœlum ſatis clemens habet, campi fertilitatem optandam. Sunt colles aprici: nemora opaca, frumentorum abundantia, vitiferi montes, clariſſimi amnes Rhenus, Danubius, Moganus, Albis, Neccharus, Sala, Odera, & multi alij fluuij, & riui limpidiſſimi totam terram rigantes. Sunt fontes dulcis aquæ, ſunt thermæ calidæ, ſunt mineræ ſalis plurimæ: metallorum item fertilitate nullis terris cedit. Vniuerſa Italia, Gallia, & Hiſpania argentum ex Germaniæ negotiatoribus ferè omne habent, metallaq; non parum multa: nec auro eſt priuata. Quòd ſi hodie priſcorum quiſquam ab inferis reſurgeret, ac oculis intima regionis contemplaretur, nunquid non multum is miraretur? Aut quid diceret tandem, ſi vider

Terra Germaniç olim horrida & infœcunda

Germaniæ laudes.

Flumina Germaniæ.

Diuitiæ Germaniæ.

Metalla.

videret quanta nunc esset locorum salubritas, cæli humana temperies, vbertas soli, vini frumentiq; quanta copia, arborum consitiones quæ, splendor vrbium, templorum sacra, & erga Deum religio, vrbanitas ciuium, vestitus hominum, rei militaris peritia, apparatus bellicus, cæteráque ornamenta Germanorum, nobilitasq; quàm syncera: profectò, vt reor, non diceret terram informem, asperam cælo, tristem cultu. Videret sanè quàm verum sit illud, quod dicitur, sæpius bonam materiam cessare sine artifice. Nam etsi alijs regionibus mitior hyems sit, fructusq; nobiliores, minus tamen æstus temperatus est, vnde & frugum corruptio: adde animalia venenosa, & talia ad humani generis perniciem intentissima. Difficilis satis erit, iudicatu, quæ cuiq; prouincia comparanda sit, quæ anteferenda. Dicta autem est Germania recentiori appellatione, quòd eius populi ferè omnes inter se perinde ac fratres, pares exsisterent, tum corporum dispositione, tum moribus, atque viuendi ritibus. Priùs Teutonia à Tuscone, Noë filio, & Alemania à Manno eius filio qui gentis auctores conditorésque memorantur, vocitata fuit. Quamuis plerique gentem indigenam, id est, inde genitam, nec aliunde prouectam arbitrentur: & eius opinionis hic est, qui ita versificatus est:

Germania quantum exculta.

Temperata Germania.

Germania vnde appellata.

Auctor gentis.

Germani indigenæ.

Gens inuicta manet toto notissima mundo,
Terra vbi se deuexa globo demittit in arcton,

Solis, & algoris patiens, duriq; laboris,
Ingrata ignauam vitæ tolerare quietem:
Indigena aut alia ducens primordia gente,
Sed cælo producta suo Demogorgonis aluus
Protulerat: patulas vbi cũcta creata sub auras,
Germanos vocitant Itali, Graij sed Adelphos,
Quòd fratrum soleant inter se viuere more:
Nomẽ nobilibus quod adhuc venerabile nostris
Pectoribus, similes ingentes corporis artus
Prodiga cui natura dedit, per lactea colla
Candida proceris tollentes corpora membris.
Flaua coma est, flauentq; oculi, flauoq; colore:
Temperie iustam retinent sua membra staturam,
Vox habitũ mentis cum gestu & pectora prodit,
Vox quæ nil muliebre sonat, sed tota virilis
Martia craßiloquo testatur corda palato.
Commune his studium venari, equitare, vagari,
Atq; suum varias victum quæsisse per artes:
Vel Bacchum viduis crescentem iungere palis,
Aruaq; quadriiugo proscindere pinguia aratro.
Nec patrio tepuisse solo iuuenilibus annis,
Sed mox doctiloquæ præcepta adijsse Mineruæ,
Vel vaga velifras duxisse per æquora naues,
Atq; suis terris varias adducere merces,
Nec censere nefas animum intendisse rapinis,
Dum fera belligeri meditantur prælia Martis,
Atq; illum regum celsas quæsisse per aulas,
Quatuor ad fines quas Teutonis ora coërcet.
Siue per Hercyniæ nemorosa cacumina syluæ
Dentatos prosternere apros, syiuaq; vagantes

Atrip

Acripedes ceruos, vrsosq; agitare feroces.
Vnguibus accipitres trucibusq; iubere rapinas
Tollere, & euulsas dispergere in æthera plumas.
Hinc animus dubijs audens se credere rebus,
Nec segnis timidusq; mori, roseumq; cruorem
Pro patria & charis certans effundere amicis:
Atq; auidus cædis, si qua iniuria læsit,
Quiq; fidem sancto & constanti pectore seruet,
Relligionis amans, superumq; & cultor honesti,
Et veri iustiq; tenax, mens consona labris,
Ficta coloratæ fugiens mendacia linguæ.

Hercules in Germania fuit.

Prælium inituri Germani sacrum hymnum Herculi canebant, quem volebant aliquando in eam terram venisse, graui & terribili sonitu non dissono, cæterùm ad terrorem quæsito pugnam capessebant. Truces oculi pluribus ac cærulei, rutilæ comæ, procera corpora, ad primos impetus subita & præceps natura. Cæterùm laborum operúmque impatiens. Sitim & æstum, vt Galli, non ferunt: frigorum patientissimi. Auri & argenti his olim vsus nullus. Argentea vasa eorum legatis data, aut principibus muneri missa, non minori contemptu, quàm fictilia, tractabant. Commerciorum vsu aurum & argentum ab his primò receptum. Credita & à quibusdam tellus ipsa talium metallorum expers, quin & ferri inops: quo accidit, vt olim rari vterentur gladijs in prælio, sed longiori hasta, quàm ipsi frameam vocant: & in ea breui ferro, habili

Auri & argenti Germanis vsus olim nullus.

telo,

telo, siue cominus, siue eminus dimicarent. Eques scuto & hasta instruebatur. Pedites missilia spargebant, plura singuli. Nudi in pugnam aut breui sagulo vtebantur, nulla cultus occultatione, scuta tantùm coloribus, hísque lectissimis distinguebant, paucis loricæ vsus, vix vni alteri've cassis, aut galea. Equi nec forma, nec velocitate conspicui: nec in gyrum, vt Italici, sed recto tantùm conatu aguntur. Scutum in pugna amisisse, præcipuum flagitium, vt sacris & publico consilio excluderentur eiusmodi clade adfecti. Multi tali infamiæ superstites vitam laqueo finierunt. Reges nobilitate legebantur, nec his libera, infinitaq; potestas fuit. Exercitus is ductabat, qui præcipua virtute præstaret, quique exemplo magis, quàm Imperio polleret: vincere, verberare, animaduertere in quenquam, nullius ius esse preterquàm sacerdotum, vt non imperio, sed diuinitus flagitia vindicari crederentur. Signa quædam Deorum lucis detracta in prælium gestari præcipuum in pugna incitamentum. Omnes suas necessitudines in proximo statuebant, vt in suorum conspectu, aut gloriosè vincerent, aut cum laude caderent: liberi, coniuges, parentes sanctissimi pugnæ testes adhibebantur. Ad matres & vxores accepta vulnera ferebant: nec illæ & numerare & exigere plagas formidabant. Eædem cibos hortationésque pugnantibus suggerebant. Proditum

Nudi pugnauerunt Germani.

Scuti in pugna amissio flagitiũ ingens.

Deorum simulacra in prælium gestabantur.

Matres & liberi in bello.

ditum memoriæ est, inclinatam aciem aliquando illarum hortatu restitutam. Creduntur adhæc arbitrari aliquid sancti prouidiq; in fœminis esse, earúmque consilia propterea non aspernari, responsáve negligere. Mercurio certis diebus humanas hostias immolabant: Herculi & Marti ex cæteris animalibus. Sortes & auguria in vsu. De minoribus rebus principes ciuitatis consultabant, de maioribus vniuersa ciuitas. In inchoandis rebus noua luna aut plena obseruabatur. Noctium, non dierum, numerus supputabatur in ea gente. In concilium armati ventitabant. Sententiam approbaturi frameas concutiebāt: id honoratissimum assentiendi genus: contrà, aspernati fremitu significabant. Transfugæ & proditores ex arboribus pendentes, ignaui & imbelles atque infami corpore cœno obruti, aut à palude aliqua superiecta crate necabantur: tanquam scelera in aperto ponenda essent, vitia contegenda. nihil publicè, aut priuatim magistratus agere, nisi armis instructi. In commeatu & affectatione incredilis æmulatio: qui maiori iuuenum globo stipatus in publicum processisset. præcipua celebritate apud suos & finitimos esse. Turpe & in omni vita infame suo duci superstitem in prælio esse, nisi victor is ex acie decessisset. Princeps pro victoria, comites pro principibus dimicabant. Bella vltrò appetere, vtpote quibus omnis à re bellica esset quies ingrata.

Magistratus semper armati.

ta. Inertiæ & ignauiæ dabatur sudore aliquid quærere, quod posset cruore parari. Bellorum cura destituti somno & cibo vehementissimi quique indulgebant, domo, & agrorum cura fæminis & senibus delegata, vt mirum videri poßit, duo tam diuersa eidem genti adfuisse, & inertiæ amorem, & odium quietis. Vicatim plurimum discretisq; domicilijs habitabant. Tegumen fuit sagum, fibula, aut, si ea defuisset, spina consertum: locupletißimi veste distinguebantur, non fluxa, sed stricta ac penè singula membra exprimente: idem fœminis habitus, qui & viris. Atque Germani ipsi omnium ferè, qui ad Septemtrionem & Ortum habitant, soli vnica vxore contenti ab initio fuere: quanquam & in his nonnulli plura celebrarent connubia. Non vxor viro, sed vir vxori dotem comparabat. Nec ad delicias quærebatur cultus, sed iugati boues dabantur, frænatus equus, & scutum cum framea & gladio. Mira in fœminis pudicitia, nulla spectandi fuit illecebra, nulla conuiuiorum ratio, rara in tam numerosa gente adulteria: Cuius conuicta mulier resectis capillis, nudatam coram propinquis maritus domo exactam, toto vico verberibus agebat. Profligatæ pudicitiæ nulla venia: non ætas, non forma, non opes connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen vitia ridere. id enim seculum corrumpere & corrumpi arbitrabantur. Sic vnum

Vestitus.

Matrimonia.

Adulterij pœna.

mulieres maritum accipere , vt vnum corpus & vnam vitam nec vlla cogitatio vltrà, nec longior cupiditas, tanquam matrimonium amarent, non maritum. Plus apud illos boni mores valuerunt, quàm alibi bonæ leges. Sera in iuuenibus vsus Veneris, atque eo minus exhausta pubertas: nec connubia virginum properabantur, vt validior esset procreatio. Homicidium certo pecorum numero luebatur, atque vniuersa domus satisfactionem capiebat. Conuictibus & hospitali mensæ supra modum studebant. Nefas habebatur, quenquam domo aut epulis arcuisse. Gaudebant muneribus, nec data imputare, aut obligari acceptis. Diem, noctémque potando continuare. Temulentia nulli probro data est. Crebræ post crapulam rixæ, rarò conuicijs, cæde sæpius transigebantur: de pace & bello in conuiuijs consultare, quasi nullo alio tempore simplicius paterent hominum curæ, aut ad res magnas magis incalescerent. Gens minimè astuta, simpliciter omnia arcana detegere: postridie arcta retractabant: vt de summa rerum deliberarent, dum fingere nescirent: decretum verò ferrent, dum errare non possent. Potus ex hordeo in similitudinem vini corruptus: proximi fluuiorum accolæ aduectitia vina in vsu habebant. Cibus simplex, agrestia poma recens farina, & lac concretum, potus immoderatior. Vno spectaculorum genere vsi, vt

Homicidij multatio.

nudi

nudi iuuenes inter gladios & frameas sese celeriter expedirent. Exercitatio artem parabat, ars decorem. Aleæ adeò studiosi, vt cæteris amissis nouissimo iactu de libertate contenderent: victus voluntariam seruitutem adibat: & quanquàm iuuenis & robustus, ligari se & vendi patiebatur. Annum in hyemem, ver, & æstatem diuisum habebant, autumnum vini & cæterarum frugum inopia nescientes. In funere lamenta & lacrymas citò abstergebant, in dolore & tristitia permanebant diutius: fœminis tantùm lugere permissum, viris meminisse solùm. Et hi olim fuerunt Germanorum mores, talis viuendi ritus. Sed quæ mutatio longo temporum interuallo, vt in cæteris gentibus, sit facta, ex præsenti rerum statu deprehendi potest. Omnis hodie Germanorum conditio siue status quadruplex est. Primus clericorum tam secularium quàm religiosorum, vtrique magnis & largis reditibus, censibusq; prouisi, ab alijs plurimum honoris percipiunt, non solùm quòd Deo optimo maximo sacrificent, sanctorum laudes cantent, ac animarum curam habeant, sed etiam quòd scripturas intelligant, & ipsas interpretentur, vitamq; cælibem agant. Nam qui in his minus probantur, facilè ab inerti vulgo aspernari solent. Vestitu religiosi quique suo, & satis decenti vtuntur. Seculares tunicas portant fluxas, pullo vt plurimum colore, caput mitra lanea

Funebris Germanorum luctus

Recētia Germanorū instituta.

tegũt non multùm fastigiata,sed capite aure tenus satis adhærenti. Ex collo, quum in publicum procedunt, fasciam dependent, quidam sericam, quidam laneam, honestatis tantummodo causa. Superducunt & calceis crepidas, siue sandalia, quæ domum reuersi deponunt. Otio maior pars vacat, literis pauci intendunt, pomeridianas horas ludendo potandóque deducentes. Iniurias suas minores sacerdotes ad Episcopum deferunt, & aliquando ad Romanam curiam: vnde graui damno eos, qui nocuere aliquando afficiunt, & sibi securitatem parant. Secundus status nobilium est. hic gradus multos habet: sunt enim Principes, sunt Comites, atque Barones, atque inferioris gradus milites. Principes non solùm dignitate, & generis claritudine, sed & potentia cæteris antecedunt, terras habent & dominia latissima. Comites & Barones, cæterique nobiles per regionem dispersi florum ad instar interlucent. Sed illud in nobilium ordine mirum videri potest, quòd Principes ipsi atque Comites Cæsari, quoties imperij necessitas exigit, obsequia tanquam subiecti præstent, milites exemptos se dicant, & nisi ad stipendium nemini seruiant, nec subditos suos seruire sinant: & tamen Romanorum imperatorem dominum suum ac principem esse dicant, & recognoscant. Prophanari, & non parum minui generis sui splendorem existimant, si mercaturam artémve aliquam

Clericorũ Germanorum studia.

Secũdus status nobiliũ est.

quam

quam mechanicam exerceant. Si plebeiam, aut sibi inferiorem vxorem ducant. Si aliena vrbe ciuium more habitent. Ipsi vrbanorum consortia, commercia omnia perosi, arces, & robustiora, splendidioráque ædificia in montibus, syluis & rure collacata cum familia sua liberè habitant. Quidam principum aut regum curias frequentant, & bella sequuntur: alij de reditibus suis & patrimonio viuentes domi manent: communiter tamen venantur, quod solis ipsis licere longo vsu & concessa libertate contendunt: priuatis, leporum præsertim, caprearum, hinnulorum, ceruorúmque venatio in aliquibus locis oculorum effossione, in quibusdam truncatione capitis interdicta: noxias tamen feras captare cuique licet. Lautè insuper nobiles ipsi epulantur, vestiuntur splendidè. auro & argento, diuersicoloreq; serico tam viri quàm mulieres domi & foris exornantur: multo familiarium cœtu incedunt: & incessu adeò maturo & præmeditato, vt à plebeijs mox vt videantur internosci poßint. Equis, si longiùs eundum sit, & non pedibus, vadunt: dedecorosum enim hoc valdè ducunt, & merum egestatis indicium. Sed prædari, vbi necessaria desint, non verentur. Iniurias illatas rarò iure, sæpius congregato ex socijs equitatu, ferro, flammis, & rapinis vlciscuntur: coguntq; per hoc eos, qui intulerunt, ad satisfactionem. Gens superba, inquieta, auara, ecclesiæ prælatis

Nobilium studia.

Venatio priuatis interdicta.

Incessus nobilium.

latis & eorum bonis insidias semper, subditos rusticos irremissa virtute exercet. Incredibile dictu quantum miseros & infelices homines vexet, quantum exsugat. Esset Germania nostra ter, quaterq; felix, si Centauri isti Dionysij & Phalarides, aut eijcerentur, aut saltem ipsorum tyrannide refrænata, & potestate diminuta, priuatim, quemadmodum in Heluetia, nobiles viuere cogerentur. Sequens status oppidanorum est, quorum quidam Cæsari tantùm subiecti sunt, quidam principibus aut ecclesiæ prælatis. Qui Cæsari parent, libertates multas habent, mores etiam & instituta quibus in communi fermè vtuntur. Singulis annis ex ciuibus magistratus suffragio creatur, apud quem summa potestas cum Imperio sit. In caput animaduertere cuiusque habet, hoc ordine: Si de criminibus agitur, aßident in concilio hi, quos sibi ciuitas delegit: rei ipsi ligati adducuntur: accusatoribus, & reorum defensoribus dicendi copia datur: quibus auditis, eunt in sententiam, non vt leges censent, quas non nouerunt, sed prout ratio eis dictat, atque iudiciorum consuetudo habet. quod & in ciuilibus causis obseruatur: excepto quòd Cæsar in his appellari potest, in illis verò non. In omni ferè Imperiali ciuitate duplices ciues sunt, ingenui & plebeij. Mercantijs & officinis plebeij intendunt, ingenui (qui & patritij dicuntur) patrimonijs tantùm

reditib

Germania absque nobilibus felix.

Tertius Germanorũ status oppidanorum est.

Iudiciorũ forma.

Ciuiũ Germanorum conditio duplex.

reditibúsque suis contenti equestrem ordinem imitantur. Si plebeiorum quispiam ditior factus, se illis commertio aut consuetudine commiscere contenderit, repellitur: vnde longo tam tempore vterque status in suo valore perdurat. Reipublicæ administratio tamen ferè communis est, & vtrisque permissa: nec eis plebs seruire aut subiecta esse videtur: sua cuique substantia tuta est, & libertas, saluis legibus vt viuere velint: in communi, iustitia per totam regionem ab illiteratis administratur. In singulis oppidis, & nonnullis pagis etiam, viri duodecim, vitæ integritate ac honestate præcipui eliguntur in iudices, nullo habito respectu sciántne literas vel non. Illi iudicandi munus necessariò subeunt: licèt remunerationem seu mercedem inde nullam exspectent, præter honorem, pro communi tantummodo bono, suis negotijs posthabitis, iudicijs statuto tempore intendunt, iuránt que singuli se vnicuique iudicaturos secundùm quod eis visum fuerit iustius atque melius. Nec à sententijs eorum maiores nostri appellabant, indignum fore putantes, tantorum virorum gratis iudicantium decretis contraire. Hodie verò passim ab eis appellari cœpit: quod ferendum esset, si iudices, ad quos appellatum fuerit, in iudicando consuetudinem priorum iudicum seruarent: sed hoc à paucis attenditur: imò plerumque priorum iudicum sententiæ, alioquin nullam ini-

Illiterati iudicant viri duodecim.

quitat

quitatem continentes, ob id solùm quia contrà leges scriptas prolatæ inueniantur, retractantur, in quo sine eorum demeritis & iudices primæ instantiæ imperitia sugillantur, & victrix pars grauatur. Hoc quàm iustum sit, viderint ipsi. Ciues insuper honestissimè inter se & amicissimè viuunt: in locis publicis & priuatis frequenter conuenientes mercantur, conuiuantur, colludunt, colloquuntur, rarò alterutrum decipiunt, rarò contendunt. Quocumque tempore, quocumque etiam loco, tam viri quàm mulieres obuiantes inuicem honorant & salutant.

Ciniũ concordia & consuetudo

Victus.

Victu, vestitúque priuatis diebus fermè omnes Germani admodum frugali & simplici vtuntur, festiuis parum splendidiori. Operantes in die quater comedunt, otiosi bis.

Habitus Germanorum diuersus.

Habitus, quo viri induuntur, communiter laneus est: quo mulieres, lineus: sed adeò vtrorumq; diuersus & colore & forma, vt rarò vnus sicut alius vestitus appareat. Aduentitiis & nouis vestimentorum formis iam plurimùm gaudent, Italicis, Gallicisq; præsertim, à quibus ante paucos annos obtusa calceamenta viri, cum fluxis & discissis manicis tunicas, & texta pilea, quæ pyretia vocant, receperunt. Gestabantur mea adhuc memoria rostrati calcei, vestes curtæ atque strictæ, caudata capitia. Sed ista antiqua virorũ frugalitas hodie ad mulieres venit, mulieribus commissa est. Hæ depositis multiplicibus peplis, quibus grandia olim capita

capita faciebant, vnico tantùm hodie velantur, modestiùs incedunt. Aurum, argentum, & vniones, exquisita item vestimentorum fimbria ex varijs & pretiosis animalium pelliculis aut sericis ferè omnino abiecerunt. Quid dicam de vestium Syrmatis, quæ nisi apud nobilitatem vix magis conspiciuntur? Satis honestus hodie fœminarum vestitus est, satis decorus: nihil haberet quod meritò reprehendere quis posset, si à quibusdam supernè nimiùm non excauaretur. In funeribus & parentationibus nigris amiciuntur: defunctos dies triginta lugent, ac ipsis interim ter iusta persoluunt, primò videlicet die, septimo, atque tricesimo. Ad dei cultum deditissimi sunt: nullus artificum est, qui mane, antequàm laborare incipiat, ædes sacras non intret, & diuino officio intersit. Serui atque ancillæ ad hoc à dominis quasi compelluntur: turpe putant, eique non modicum exprobrandum, qui ex pigritia, aliáve inani causa sacra negligunt. Eleemosynas multas tribuunt. Nulla ferè ciuitas est, in qua non fratrum mendicantium conuentus sunt, peregrinorum inopum publica hospitia: Aluntur etiam iuuenes ephebi, qui studiorum causa paterna domo digressi voluntariè hinc inde exsulant, tam multi interdum in vna ciuitate, vt mirari possis vnde nutriantur: illi à ciuibus ex pietate hospitantur: victum domesticatim cantantes mendicāt. cum tamen largè accipiunt: propter hoc quòd ædibus

Luctus funebris.

Germania ad cultum dei propensa.

Mendici ordines in Germania.

Pueri studiorum causa exsulantes.

ædibus sacris & sacerdotibus deputati diuina officia cantent, ad clericatúmque instituantur. Domus publica iuxta singulas parochias vna est, in qua artium & disciplinarum studio tam. hi, quàm ciuium filij quotidie conueniunt. Qui ipsis præsunt, docéntque, viri non minùs virtute, quàm doctrina spectati sunt: delinquentes, & literarum neglectores ferulis percutiunt, aut verbis duriusculis castigant. Priuatæ ædes penè omnes contiguæ sunt, atque pro ciuium facultate vicorúmque dispositione constructæ. Diuites lapidibus cæmentoq; superbè ædificant: pauperes luto & ligno tantùm humiliùs: tegulis tamen lateritiis aut scissili lapide ædificia sua vtrique tegunt, ob decorémne aut aduersus incendium, affirmare non possum. In Saxonia, & aliis plerisque locis dolatis asserculis operiunt: qua re oppida parum venusta visuntur: & igni magis obnoxia sunt. Plateæ vt plurimùm silicibus stratæ sunt. Portæ seu exitus vrbium celsis turribus insigniti, in quibus diurni custodes aduentantes equites tuba significare solent, vt hi, qui portas inferius obseruant, præmoneantur, & eas in maiori tutela habeant. Vrbes communiter natura & arte munitæ aut iuxta verticosa flumina, vel in montes sitæ sunt: quæ in plano resident, muris, fossatis, vallis insuperabilibus circumseptæ, turribus & propugnaculis innumeris, veluti ex terra, prominent. Est etiam

Vrbanorū ædificiorū forma.

Domorum tecta in Saxonia.

Vrbiū situs.

multar

multarum ciuitatum circumiacens ager fossis adeò profundis & amplis conclusus, vt ab externa populatione & in tutus sit. Eorum postremum, qui in rure pagatim, villatimque habitant, quique illud colunt, & propter hoc rustici vel rurales appellantur, si credere velint, satis misera horum & dura conditio est: seorsum ab alijs quisque cum familia & pecore suo humiliter viuit. Casæ luto, lignoq; è terra paululum eductæ, & stramine contectæ domus. Panis cibarius, puls auenacea, aut decoctum legumen, cibus. Aqua, serúmve potus: toga linea, perones duo, & pileus fucatus, vestitus. Gens omni tempore inquieta, laboriosa, immunda. In vicinas ciuitates ad vendendum portat quicquid tam ex agro, quàm ex pecore fructus percipit: sibique ibi ediuerso comparat, quorumcumque eget. Artifices enim secum habitantes nullos aut paucos habet. In sacra æde, quæ in singulis vicis communiter vna est, festo die ante meridiem omnes conueniunt, & à sacerdote suo Dei verbum & sacra audiunt: post meridiem verò sub tilia aut alio publico loco de suis rebus tractant. Iuniores posteà, modulante tibicine, choream ducunt, senes petunt cauponam, & vina bibunt. Absque armis in apertum virorum nullus vadit, gladijs ad omnem temporis fortunam præcincti. Viros singuli pagi inter se eligant duos aut quatuor quos rusticorum magistros appellant, contentionum illi

Quartus Germanorum status agricolarũ est.

Agricolarũ misera conditio.

Quid diebus festis rustici agunt.

Rusticorũ magistri.

contract

contractuumq; sequestres sunt, & Reipublicæ dispensatores: administrare tamen non habent, sed domini, aut qui ab his eis præficiuntur barbaro nomine Sculteti. Dominis crebrò per annum seruiunt, rus colunt, & semine conspergunt, fructus metunt, & horreis important, ligna secant, domos ædificant, fossas effodiunt. Nihil est, quod seruilis & misera gens ipsis debere non dicatur. Nihil etiam, quòd iussa facere absq; periculo recusare audeat: delinquens grauiter multatur. Sed nihil est genti durius, quam quòd prædiorum, quæ possidet, maior pars non sua sit, sed illorum, à quibus certa frugum parte quotannis redimere debet. Et tales hodie in vniuersum Germanorum mores sunt, hi viuendi ritus.

Sculteti pagorũ præfecti.

De Saxonia, Saxonúmque & priscis & recentibus moribus. CAP. XIII.

Saxoniæ limites.

SAxonia, Germaniæ particularis regio, ab occasu Visera fluuio, aut, vt alij volunt, Rheno terminata: ad Aquilonem Dacos habet, & mare Balteum: Francones ad Meridiem, quibus Boioarij & Boemi obtenduntur: ad ortum Pruteni: intra quos terminos quàm multæ gentes diuersis nominibus hodie includuntur, ex supradicta Germaniæ descriptione intelligi potest, quas omnes Saxonici iuris esse volunt. Terra à Saxonibus populis nomen accepit quos quidem reliquias Macedonici exercitus, qui secutus Magnum Alexandrum immatura

Saxones vnde in Germaniã peruenere.

matura ipsius morte per totum orbem si: dispersus, esse dixerunt. Quidam eos à Britannia quærendarum sedium causa nauigijs digressos Germaniæ adnauigasse, & propulsatis Thuringis eorum terram occupasse. Erat enim Saxonica gens ab initio inquieta nimis, finitimorum sedibus infesta, domi tamen pacata, & ciuium vtilitatibus placida benignitate consulens. Generis quoque ac nobilitatis suæ prouidentißimam curam habens, nec facilè vllis aliarum gentium vel sibi inferiorum, connubijs infecta, proprium, syncerum, & tantùm sui similem populum facere conata. Vnde habitus quoque ac corporum magnitudo, comarum color tanquam in tanto numero hominum idem penè omnibus. Quatuor in genere differentias habuit, nobilium, liberorum, libertorum, atque seruorum. Et id legibus cautum erat, ne vlla pars suæ sortis oblita terminos in copulandis coniugijs transgrediatur. Sed nobilis nobilem ducat vxorem, & liber liberam, libertus coniungatur libertæ, & seruus ancillæ. Quicumque verò contrà faciat, cum vitæ suæ id damno luat. Legibus ad malefactorum vindictam optimis vtebatur. Multa quoque vtilia, & secundùm naturæ legem honesta, in morum probitate habere studuit, quæ ei ad veram beatitudinem promerendam suffecissent, si aliqualem creatoris sui Dei optimi maximi notitiam habuisset. Frondosis arboribus, fontibúsque venerat

Differentiæ Saxonū quatuor.

Leges quædam Saxonum.

Idololatriæ Saxones dediti.

venerationem exhibuit, & trunco ligneo non paruæ magnitudinis sub diuo erecto, quem patria lingua Irminsaul, Latinè vniuersalem columnam dixit, quasi omnia sustinentem. Coluit etiam Mercurium, qui certis diebus humanis hostijs litabat. Deos suos neque templis includere, neque humanæ speciei assimilare pro diuinitatis magnitudine & dignitate licitum arbitrata est. His lucos & nemora consecrauit, ab illorúmque nominibus dixit: secreta non nisi cum maxima reuerentia contemplabantur. Auspicia & sortes gens illa quàm maximè obseruabat. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabat, eósque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè, ac fortuitò spargebat. Mox si publica consultatio fuit, sacerdos populi, si priuatæ, ipse paterfamilias precatus deos, cælúmque suspiciens, ter singulos tulit, sublatísque secundùm impressam antea notam interpretatus est: & si prohibuerunt nulla de eadem re ipsa die consultatio erat. Si permissum est, euentuum adhuc fides exigebatur. Auium voces, volatúsque interrogare proprium gentis erat. Equorum quoque præsagia ac monitus experiri: publicè alebantur ijsdem in nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, vel Rex, princépsve ciuitatis comitabantur, atque hinnitus ac fremitus obseruabant: nec vlli auspicio maior

Mercurius à Saxonibus obseruatus.

Auspicia & sortes.

Equorum præsagia & monitus experiebãtur Saxones.

maior fides adhibebatur, non solùm apud plebem, sed apud proceres etiam atque sacerdotes. Eos enim ministros deorum esse, & diuinorum consiliorum conscios credebant. Erat & alia auspiciorum obseruatio genti in vsu, qua grauium bellorum euentus explorabat: eius videlicet gentis, cum qua bellandum fuit, captiuum quemque interceptum compellendo cum electo popularium suorum decertare: victoria huius vel illius pro praeiudicio accipiebatur. Carolus Magnus diutino bello gentem, omni impietate abiecta, Christianã fidem assumere coegit, quam & hodie cum caeteris Germanis religiosissimè obseruat. Regio multis augustissimis & sumptuosissimis basilicis, templis, & coenobijs clara: quod Alberstadio est beatae virgini sacrum, prophanis non patet, tantùm initiati subeunt. Inducitur tamen vnus aliquis è populo cineritio die, hominum opinione nequissimus: hunc velato capite, pulla veste sacris admouent. Quibus ritè peractis, templo eijcitur: eiectus toto ieiuniorum tempore nudis calcibus vrbem pererrat, diuorum templa visitabundus. Sacerdotes illi victum suggerunt, mox in dominica coena iterum templo inductus, post olei consecrationem ab vniuerso clero expiatus dimittitur, eleemosyna priùs accepta, quàm piè offert templo. Hunc Adam vulgò vocant, quia vt protoplastus ille omni vacet crimine, per eùmque ciuitas creditur

Alia auspiciorum captatio.

Templũ in Alberstadio Mirandus ritus.

expiata. Est ager Saxonicus rerum omnium, præterquàm vini, ferax: argenti, atque æris fossiones multas habet. Ad Goslariam & plerisque alijs locis salem ex fontium quorumdam aquis albissimum coquunt, & vectigal ingens percipiunt. Hordeum & triticum serunt, ex quibus non solùm candidissimum panem efficiunt, sed etiam ob vini caritatem potum Ceruisiam, quæ adeò sitienter & immodestè ab ipsis bibitur, vt vbi in symposijs, conuiuijsq; pocillatores nec hyalis nec cantharis sat infundere possint, repletum mulctrale apponunt & scutella iniecta hortentur, quemq; pro libito potare. Dictu incredibile est, quantum huius liquoris in se immodestissima gens capiat, quantum mutuò ad bibendum cogant & hortentur: non sus, non taurus tantum ingurgitaret. Non ad ebrietatem atque vomitum potasse sufficit, sed rursus ad sobrietatem, dies noctibus, noctes diebus continuantes. Qui cunctos potando superat, is non solùm laudem & gloriam deportat, verumetiam, pro quo contenderunt, ex bene olentibus herbis aut rosis sertum, aut quid aliud in præmium. Serpit ab illis, eheu, perditus mos ferè in totam Germaniam, vt eo modo etiam iam fortissima vina bibantur, cum ineffabili malo. Hospiti, vel alteri eum locum, in quo bibitur, subeunti, potum quotquot habent, assurgunt, & porrecto poculo ad combibendum officiosissimè hortantur. Inimicus arbitr-

Sal Saxonicum.

Ceruisia Saxonibus potus.

Saxonũ potandi immodestia.

Hospites excipiuntur potu.

arbitratur, qui sæpius inuitatus non prætenta causa, compotare recusat: cæde nunnunquam, & multo sanguine hoc dedecus expiatur. Cibatu Saxones duro & inconcinno vtuntur, lardum, aridæ hilæ, cæpæ crudæ, butyrum salsum, & nondum adhuc liquatum, peculiaris genti cibus. Dominicis diebus in plerisque locis coquunt quo per hebdomadem vescantur. Infantes non, vt apud nos, pulte, quæ farina & lacte concinnatur, nutriuntur, verùm solidiori cibo, qui bene masticatus à nutricibus, ad deglutiendum tenello ori immittitur: vnde Saxones tali cibo in tenera ætate assueti, & tolerantiores redduntur, & validiores. Linguam peculiarem habent. Vestitum & cætera cum aliis Germanici sanguinis indiscreta.

Saxonum cibus.

Infantum nutrimentum.

Lingua Saxonum.

De VVestualia, & iudicio VVestualis à Carolo commissa. CAP. XIIII.

VVestualia Saxoniæ limitibus inclusa, Rhenum ab Occidente habet: Visurgum, qui etiam Visera dicitur, ab Oriente: à Septemtrione Frisiam, & Holandiam: meridiem Hassiæ montes excipiunt, quos Obnobios Ptolemæus appellare videtur: ex quibus Amasis fluuius oritur, qui Padeburnam, & Monasterium, non ignobiles ciuitates, mediam fermè prouinciam intersecat, & per Frisiam defluens, fertur in mare. Sala quoque Drusi, qui Augusti priuignus fuit, clade celebris. Hæc regio olim, vt Strabo scribit, à Bructeris

Vuestualia fines.

Obnobij montes.
Amasis fluuius.

Salafluuius.

inhabitata est. Alij à Sicambris dicunt. Hos populos Carolus Francorum Rex, qui Magni cognomen tulit, bello victos, primùm ad Christianam fidem compulit. Caterùm quum sæpius rebellarent, repetitóque idolorum cultu, Christi religionem spernerent, nec iusiurandum quouis modo aduerterent, vt metu pœnæ gentis temeritatem Carolus compesceret, occultos iudices instituit, quibus potestatem dedit, vt quàm primùm deierasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliquod aliud scelus perpetrasse: mox illum, vbi primùm comprehendi posset, pro arbitrio necarent, nulla citatione, aut expurgatione prauia: viros graues ac iustos elegit, qui plectere innocentes haud abs re possent. Terruit ea res VVestualos, ac demum in fide con[...], quum sæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri laqueo suspensi inuenirentur, nulla accusatione priùs audita: quærentibus tamen causam, constabat fidem fregisse, aut magnum aliquod scelus commisisse. Id iudicium ad nostram vsque ætatem perdurat, vocatúrque Vetitum. Qui ei præsunt, Scabini appellantur, quibus tanta præsumptio est, vt etiam per totam Germaniam iurisdictionem suam extendi velint. Secretos ritus habent, & arcana quædam instituta quibus malefactores iudicant: ea nondum quisquam repertus est, qui vel prelio, vel metu reuelauerit. Ipsorum quoque Scabinorum maior

Occulti iudices à Carolo instituti.

Iudicium vetitū siue occultum

pars

pars occulta est, qui per prouincias discurrentes, criminosos notant, & inferentes iudicio accusant, probántque vt eis mos est: damnati libro inscribuntur, & iunioribus Scabinis committitur executio. Rei, ignari suæ damnationis, vbicumque reperiuntur, supplicio afficiuntur. Degenerauit autem hodie iudicium: nam & viles interdum personæ admittuntur, & ciuilia negotia tractare audent, quibus erat solùm de criminalibus permissa potestas. Regio est admodum frigida, vini & frumenti inops: pane vescuntur nigro, ceruisia potus est. Vinum, quod Rheno aduehitur, magno emitur pretio, eo tantùm opulenti, & rarò tamen vtuntur. Bellicosi indigenæ, atque ingeniosi: vnde inoleuit prouerbium: VVestualiam vitiosos ac fallaces homines potiùs gignere quàm stultos. Præsuli Coloniensi parent. Regionis Vuestualiæ conditio.

De Franconia, & Francorum multis ritibus. CAP. XV.

FRanconia, siue Francia Orientalis, Germaniæ pars, & ferè meditullium, a Sicambris, quibus Valentiniani Cæsaris tempore ob Alanos deuictos Francorum nomen contigit, appellata: Sueuiam & Baioariam à meridie habet, Rhenus illi occiduus est, ab ortu Boëmi accolunt, Haßi & Thuringi Saxoniæ populi à septemtrione. Regio latis, ac densißimis syluis, asperisque montibus clausa, difficulter adiri potest: intus plana est, innumeris turritis Franconiæ extremitates.

oppidis, castris & pagis exculta. Sylua, quæ Hercynia dicitur, editißimis iugis per circuitum obfirmans eam veluti natiuo muro ambit. Moganus nauigabile flumen, Sala, & Tuberus, Neccharus etiam perlabuntur. Valles, in quibus decurrunt, amplæ, & profundæ sunt, earumq; vtraq; latera vitibus consita vinum producunt, quod ob sui præstantiam ad remotißimas gentes transportatur. Terra, præterquàm ea pars, quæ Norica hodie vocatur, atq; vbi fluminibus vicinior est, arenosa nimium non est, vt Aeneas Syluius scriptum reliquit, nec nimiùm etiam filicosa. Fertilis omnis est. Hordeum triticum, & omne frumentum, leguménque satum multo cum fænore reddit. Nulla Germaniæ prouincia plures & maiores cæpas gignit, nulla grādiora rapa, & caulis capita. Adde Glycyrhisam radicem melleam, quæ in Babemburgensi agro tanta copia effoditur, vt ingentes currus ea onerari videas Est etiam vndecumque terra cultißimis pomarijs & pratis amœna. Hominibus, omnigenisq; pecoribus abundans. Est piscatio, propter fluuiorum copiam, multa. Maior tamen venatio: feræ in nemoribus à principibus fouentur: aperta stabula hæ plurima habent, in quibus hyemis tempore, pabulum, & interdum sal accipiunt, séque à cæli inclementia tutantur: eas captare, aut saltem persequi, priuatorū nemini concessū. Principes, quibus Franconia subiecta est, quinque sunt, Burggrauius Norinbergensis,

Hercynia sylua Franconiā claudit.

Vinum Frāconicum.

Fertilitas Franconiæ.

Liquiritia Glycyrhisa

Franconiæ principes.

gensis, Comes Palatinus Rheni, duo seculares: Babembergensis, Herbipolensis, Maguntinensis, tres ecclesiastici. Herbipolensis terræ ducatū habet: quare, dū sacris operatur, in altari denudatum gladiū habet, atq; vexillū. In die quo Metropolim primùm, cathedramq; episcopalē possidere intendit, pro more ciuitatem ipsam ingenti ac exquisitissimo equitatu accedit: in quam admissus, intra portas de equo descendit, & paludamento omni abiecto, griseā & vilē tunicam induit funeq; præcingit, atque in ea palmis & capite nudus humiliter in basilicam ad patres cōcanonicos ascendit: quibus fidelitate promissa in cathedrā sublimatur. Ducitur tamē priùs ad Episcopi cuiusdam statuam, ibique serio admonetur, vt talem agere velit, qualis ille fuerit, qui ex humili & abiecto scholasticulo per discordiam contemptumq; electus ecclesiæ statū optimè administrauit. Huic cathedræ nullus ex Ducibus aut etiam Comitibus progenitus præficitur, sed qui ex inferiori nobilium ordine sint. Non quòd principem sustentare non possit, quum opulenta & potēs satis exsistat, verùm vt Episcopatus apud eos permaneat, ex quibus maior Canonicorum pars constet. Est etiam Herbipolensis ecclesiæ præpositura insignis; quam quoties nouus possessor intrat, debet ille in multis per regionem pagis, ob decimam, quam in his habet, referta vino ingentia dolia in publicum statuere, & scutellas aliquot imponere,

Episcopus Herbipolēsis Franconiæ dux.

Episcopatū Herbipolēsem quis administret.

Præpositura Herbipolēsis.

ex quibus quicumque velit, bibere possit. Franconiæ gens à cæteris Germanis & habitu & corpore nihil differt: laboris patientissima est: in vinetis colēdis, tam viri, quàm mulieres exercentur: nemini otium datur. Vinum, quod inde percipit, ob domesticam egestatem vulgo vendit, ipsa aquam bibit. Ceruisiam contemnit, nec facilè ad se deferri permittit. In Herbipoli ieiuniorum tantummodo tempore, & extra ciuitatem in naualibus hæc venditur, vt hi, qui tum se à vino abstinent, eam aquæ loco habeant. Insolens gens est, superbáq;, multum sibi arrogans, multum præsumens, alias nationes contemnit: cauillisq; adeò plerumque prosequitur, vt qui cum ea moratur, nisi lingua prodat, patriam suam non dicant. Eos, qui hæc patienter ferunt, facilè secum commorari patitur, & veluti per hoc approbatos coniugijs admittit: vnde multi Sueui, multi Bauari, Hassiq; in Frãconia habitant. Ad Dei insuper cultum propensa est: duo tamen non mediocria vitia sunt, quibus plus satis hodie gens illa indulget, blasphemia videlicet, & latrocinium, illud decorum, hoc honestum reputans, & sibi ex longo vsu licitum. Multos mirandos ritus obseruat, quos ideo referre volo, ne quæ de externis scribūtur, inanes fabulæ æstimentur. In trium quintarum feriarum noctibus, quæ proximè Domini nostri natalem præcedunt, vtriusque sexus pueri domesticatim eunt ianuas pulsitantes, cantantes

Francones à cæteris Germanis nihil differunt.

Ceruisia cō temnitur à Franconibus.

In Franconia multi aduenæ.

Duobus vitiis Francones obnoxij.

Mos in quintis feriis ante Christi natalem.

tantesq; futurum Saluatoris exortum annunciant, & salubrem annum: vnde ab his qui in ædibus sunt, pyra, poma, nuces & nummos etiam percipiunt. Quo Christi Iesu natalẽ gaudio in templis non clerus solùm, sed omnis populus excipiat, ex hoc attendi potest, quòd pueruli statuncula in altari collocata, quæ nuper editum repræsentet, iuuenes cum puellis per circuitum tripudiantes choreas agant, seniores cantent more haud multum ab eo quidem diuerso, quo Corybantes olim in Idæ montis antro circa Iouem vagientem exsultasse fabulantur. Calendis Ianuarij, quo tempore & annus, & omnis computatio nostra inchoatur, cognatus cognatum, amicus amicum accedunt, & consertis manibus inuicem in nouum annum prosperitatem imprecantur, diémque illum festiua congratulatione & compotatione deducunt. Tunc etiam ex auita consuetudine vltro citróq; munera mittuntur, quæ à Saturnalibus, quæ eo tempore celebrantur à Romanis, Saturnalitia, à Græcis Apophoreta dicta sunt. Hunc morem anno superiori ego ita versificaui: Christe patris verbum, &c.

Mos in Christi natali.

Corybantes circa Iouem.

Natalémque tuum celebrantes octo diebus,
Concinimus laudem, perpetuúmque decus.
Atq; tuo exemplo moniti munuscula notis,
Aut capum pinguem mittimus, aut leporem,
Aut his liba damus signis & imagine pressa,
Mittimus aut calathis aurea mala decem,

Aurea mala decem, buxo cristata virenti,
Et varijs caris rebus aromaticis.

In epiphania Domini domesticatim rex eligitur.

In Epiphania Domini singulæ familiæ ex melle, farina, addito Zinzibere, & pipere, libum conficiunt, & regem sibi legunt hoc modo: Libum materfamilias facit, cui absq; consideratione inter subigendum denarium vnum immittit, posteà amoto igne supra calidum focum illud torret, tostum in tot partes frangit, quot homines familia habet: demum distribuit, cuique partem vnam tribuens. Adsignantur etiam Christo beatæq; virgini, & tribus Magis suæ partes, quæ loco eleemosynæ elargiuntur. In cuius autem portione denarius repertus fuerit, hic rex ab omnibus salutatus, in sedem locatur, & ter in altum cum iubilo eleuatur: ipse in dextera cretam habet; qua toties signum Crucis suprà in triclinij laquearijs delineat: quæ Cruces quòd obstare plurimis malis credantur, in multa obseruatione habentur. Duodecim illis noctibus, quæ Christi natalem Epiphaniámque intercurrunt, nulla ferè per Franconiam domus est, quæ saltem inhabitetur, quæ thure aut aliqua alia redolenti materia aduersus dæmonum, incantatricúmque insidias non subsu migetur. Quo item modo tres præcedentes quadragesimale ieiunium dies peragat, dicere opus non erit, si cognoscatur, qua populari, qua spontanea insania cætera Germania, à qua & Franconia minimè

Quomodo rex eligatur

Aedes subfumigātur.

desc:sc

descîscit, tunc viuat. Comedit enim & bibit, séque ludo iocóque omnimodo adeò dedit, quasi vsus nunquàm veniant, quasi cras moritura, hodie priùs omnium rerum saietatem capere velit. Noui aliquid spectaculi quisque excogitat, quo mentes & oculos omnium delectet admirationéque detineat. Atque, ne pudor obstet, qui se ludicro illi committunt, facies laruis obducunt, sexum & ætatem mentientes, viri mulierum vestimenta, mulieres virorum induunt. Quidam satyros, aut malos dæmones potiùs repræsentare volentes, minio se, aut atramento tingunt, habitúque nefando deturpant, alij nudi discurrentes Lupercos agunt, à quibus ego annuum istum delirădi morem ad nos defluxisse existimo. Non enim multùm diuersus est à lupercalibus sacris, quæ Lycæo Pani in mense Februario olim à nobilissimis Romanorum iuuenibus celebrabantur: qui nudi faciésque sanguine fœdati, per vrbem vagantes obuios loris cædebant, quos nostris saccis cinere refertis percutiunt. In die cinerum mirum est, quod in plerisque locis agitur. Virgines quot quot per annum choream frequentauerunt, à iuuenibus congregantur, & aratro pro equis aduectæ, cum tibicine, qui super illud modulans sedet, in fluuium aut lacum trahuntur. Id quare fiat, non planè video, nisi cogitem eas per hoc expiare velle, quòd festis diebus contra ecclesiæ præceptum à leuitate sua non absti-

Carnispriuii dies.

Germani annuatim insaniunt.

Lupercalia

Mos in cinerum die.

abst

Mos in medio quadragesimæ.

abstinuerint. In medio quadragesimæ, quo quidem tempore ad lætitiam nos ecclesia adhortatur, iuuentus in patria mea ex stramine imaginem contexit, quæ mortem ipsam (quemadmodum depingitur) imitetur: inde hasta suspensam in vicinos pagos vociferans portat. Ab aliquibus perhumanè suscipitur, & lacte, pisis siccatisque pyris, (quibus tum vulgò vesci solemus) refecta, domum remittitur: à cæteris, quia malæ res (vt puta mortis) prænuncia sit, humanitatis nihil percipit: sed armis, & ignominia etiam adfecta, à finibus repellitur. Eodem tempore & talis mos obseruatur: Intexitur stramine vetus vna lignea rota, atq; à magno iuuenum cœtu in editiorem montem gestata, post varios lusus, quos in illius vertice illo toto die, nisi frigus impediat, celebrant, circiter vesperam incenditur, & ita flammans in subiectam vallem ab alto rotatur: stupendum certè spectaculum præbet, vt plerique, qui priùs non viderint, Solem putent, aut lunam cælo decidere. In Paschate vulgò placentæ pinsuntur, quarum vna, interdum duæ, adolescentibus vna, puellis altera, à ditiori aliquo proponuntur: pro quibus in prato, vbi ante noctem ingens hominum concursus fit, quique agiles pedestres currant. Ad parochialium templorum dedicationes, quæ Christiano instituto quotannis festiuo gaudio & comessatione à totis pagis peraguntur, adolescentes ex aliis lo-

In Paschate ritus.

In ecclesiarum dedicationibus ritus.

cis non templa, sed choreas visitaturi, cum armis & tympano, veluti ad pugnam, quam & sæpius aut inueniunt, aut suscitant, turmatim eunt, redeuntq;, capitibus ob id multoties cruentatis. Tribus illis diebus, quibus Apostolico instituto maiores litaniæ passim per totum orbem peraguntur, in plurimis Franconiæ locis multæ cruces (sic enim dicunt parochianos cœtus, quibus tum sanctæ crucis vexillum præferri solet) conueniunt. In sacrisq; ædibus non simul & vnam melodiam, sed singulæ singulam per choros separatim canunt: & puellæ & adolescentes mundiori quiq; habitu amicti frondentibus sertis caput coronati omneis, & scipionibus salignis instructi. Stant sacrarum ædium sacerdotes diligenter singularum cantus attendentes: & quamcumq; suauiùs cantare cognoscunt, illi ex veteri more aliquot vini conchos dari adiudicant. Pentecostes tempore vbique fere hoc agitur: Conueniunt quicumq; equos habent, aut mutuare possunt, & cum Dominico corpore, quod sacerdotum vnus, etiam equo insidens, collo in bursa suspensum defert, totius agri sui limites obequitant, cantantes, supplicantésque, vt segetes Deus ab omni cæli iniuria & calamitate conseruare velit. In die sancti Vrbani vinitores in foro aut alio publico loco, mensam locant, mappis, fronde, & plurimis redolentibus herbis instruunt, desuper statunculam beati pontificis

Ritus in maioribus supplicationibus.

Pentecostes tempore ritus.

Ritus in die sancti Vrbani.

statuentes:quam,si dies serena est, largo vino coronant, & omni honore prosequuntur: si verò pluuialis, id non solùm non faciunt, sed luto proÿciunt, & aqua immodica perfundunt. Persuasum enim habent, illius diei tempestate auspicióque vinum tunc florescens & augmentari & diminui. In nocte sancti Ioannis Baptistæ in omnibus ferè per Germaniam vicis & oppidis publici ignes parantur, ad quos vtriusque sexus iuuenes & senes conuenientes, choreas cum cantu agunt: multas etiam superstitiones obseruant. Artemisia & verbena coronati in manibus flores, qui à similitudine calcaris militaria calcaria dicuntur, gestantes, ignem, nisi per eos, non aspiciunt: oculos id per totum annum à languoribus conseruare credunt. Qui abire intendit, ille herbas, quibus, vt dixi, precinctus fuit, igni inÿcit, dicens, Abeat, & comburatur cum his omne infortunium meum. Ante arcem in monte, qui vrbi Herbipoli supereminet, ab episcopi aulicis etiam ignis fit, cui orbiculi quidam lignei perforati imponuntur, qui quum inflammantur, flexibilibus virgis præfixi, arte & vi in aerem supra Moganum amnem excutiuntur: Draconem igneum volare putant, qui prius non viderunt. Fiunt eodem tempore figulino opere ollæ quædam, ita multis foraminibus discissæ perforatæq; vt partes vix sibi cohæreant: puellæ illas emunt, & purpurearum rosarum folÿs obd

In vigilia sancti Ioannis ritus varÿ.

Ollæ cum luminibus suspenduntur.

obductas imposito lumine ex domorum culminibus pro lucerna suspendunt. Tunc temporis adolescentes pagis totas pinos inferunt: quarum inferioribus ramis abscctis, superiores speculis, vitris, sertis, bracteolisq; splendicantibus exornant, arborem terræ infixam per totam æstatem ita stare sinunt. Autumni tempore quum vuæ iam maturæ sunt, non anteà vindemiare cuiquam concessum, quàm domini, quibus decima debetur, hoc permiserint: non enim ille hodie, cras alter legit, sed quotquot in vno colle vina habent, vno, vel duobus diebus omnes omnia abscerpunt: indicitur hodie in illo, cras in altero legendum: decimæ in vallibus sub vinctis excipiuntur. Qui tardiùs quàm iussum est, vindemiare volunt, non solùm cum licentia facere debent, sed etiam suis expensis decimam in domini torcular inferre. Herbipoli cuique vindemianti ob exhibitam credo in decimando infidelitatem iuuenis adijcitur, qui diligenter notet, & iubeat etiam, vt quodq; decimum vas lectum absque fraude domino suo tribuatur. Finita vindemia hi pueri omnes in campo conuenientes singuli se de stramine, quod ad hoc aduectum est, vna aut duabus facibus armant, quibus sub noctem incensis cantantes ciuitatem ingrediuntur. Hoc more autumnum se expurgare, atque exurere dicunt. Martini & Nicolai sanctorum præsulum vtrorumque dies miro gaudio, mira festiuitate

Arbores frõdẽtes pagis inuehũtur.

Vindemiandi ritus.

In festi sanctorũ Martini & Nicolai ritus.

uitate Franconiæ gens colit, diuersimodè tamen, in sacris ædibus & altari hæc, illa in mensa & popinis. Nemo per totam regionem tanta

In festo sancti Martini

paupertate premitur, nemo tanta tenacitate tenetur, qui in festo sancti Martini non altili aliquo vel saltem suillo vitulinóve viscere assato vescatur, qui vino non remissiùs indulgeat. Quilibet enim tunc noua vina sua, à quibus se adhuc vsque abstinuit, degustat, & dat degustare, omnia. Erogantur in Herbipoli & plerisque locis hac etiam die pauperibus ex pietate vina. Spectacula publica eduntur, duo aut plures frendentes apri circa includuntur: vt mutuò se exertis dentibus visceratim dissecent: quorum carnes vbi vulnerati conciderint, partim plebi, partim potestatibus diuiduntur. In die

In die sancti Nicolai.

verò sancti Nicolai adolescentes, qui disciplinarum gratia scholas frequentant, inter se tres eligunt: vnum qui episcopum: duos, qui diaconos agant: is ipsa die in sacram ædem solenniter à scholastico cœtu introductus, diuinis officijs infulatus præsidet: quibus finitis, cum electis domesticatim cantando nummos colligit, eleemosynam esse negant, sed episcopi subsi-

Pueri ieiunant.

dium. Vigiliam diei pueri à parentibus ieiunare eo modo inuitantur, quòd persuasum habeant, ea munuscula, quæ noctis ipsis in calceos sub mensam ad hoc locatos imponũtur, se à largissimo præsule Nicolao percipere: vnde tanto desiderio plerique ieiunant, vt quia eorum sani-

tati timeatur, ad cibum compellendi sint. Et tales hodie Franconum famosi mores sunt, tales annui ritus.

De Sueuia, Sueuorúmque moribus & priscis & recentibus. CAP. XVI.

SVeuia Germaniæ prouincia ætate nostra istis finibus describitur, ab oriente Baioariis, ab occasu Alsatensibus & Rheno iungitur, Alpium iuga à meridie habet, à septemtrione Franconiam. A Sueuis populis dicta, qui ex ea Scythiæ parte, quæ hodie Liuonia & Prussia est, digressi, ibi consederunt, auctore Antonio Sabellico, & confirmare istud Lucanus videtur inquiens: Sueuiæ fines. Sueui vnde in Germaniam venerunt.

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos.

Alemannia priùs nominata fuit à lacu Lemanno, qui & Lausanensis vocatur. Suprema portio totius Germaniæ Sueuia est, duobus clarissimis fluminibus, Rheno, & Danubio irrigatur: quorum alter modico fluxu in Occidentem oceano miscetur. Hic è diuerso in orientem per innumeras gentes volutatus pontum influit. Terra partim plana, partim montosa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter quam aut lacus aut montes, vel syluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Conualles plurimæ perennibus riuis clarissimæ, vndique amnes procurrunt, qui se vniuersi in Rhenum Sueuia olim Alemãnia. Sueuiæ conditio. Laudes Sueuiæ.

num & Danubium exonerant. Tota insuper prouincia salubritate gaudens, celebratissimis vrbibus, vicis, & castellis referta. Arces excelsæ, natura, & arte munitæ, &, quod ad Christianam religionem pertinet, pulcherrimis atq; ditissimis templis, collegijs, monasterijs variorum ordinum sexus vtriusque, basilicis, parochialibúsque ecclesijs est exornata. Circa montes ferrum, argentum, & metalla procreat. Gẽs populosa, fortis, audax, & bellicosa, procera corpore, flauo crine, venusta facie, & decora, ingenio singulari prædita, præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Cuius gloria eousque creuisse memoratur, vt virtute & armis Imperium orbis meruerit, illudq; vltra vnius seculi spatium magnificentissimè tenuit. Sed viduata posteà suis principibus, nescio qua fortunæ iniquitate, dicam, aut ignauia, mox substitit: quasi non exstet, quo famam suam extendere, aut quod minus est, tueri possit. Caius Iulius Cæsar in quarto commentariorum de hac ita scribit: Sueuorum gens longè maxima ac bellicosissima Germanorum omnium, centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa è finibus educuntur: reliqui, qui domi remanserunt, se, atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno pòst in armis sunt, illi domi remanent: si nec agricultura, neque ratio atque vsus belli intermittitur, sed priuati ac separati agri apud eos nihil est:

Præstantissimi Germanorum Sueui.

Centũ Sueuorũ pagi.

Antiqui Sueuorum mores.

Neq;

Neque longiùs anno remanere vno in loco incolendi causa licet. Non frumento solùm, sed vulgo lacte & pecore viuunt: multúmque sunt in venatione, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio aut disciplina consuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit & immani corpore homines efficit: atq; in eam se consuetudinem adduxerunt, vt sub cælo frigidissimo habitantes neque vestem vllam præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem, maior corporis pars nuda & aperta est. Lauantur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus magis eò, quòd quæ bello ceperunt, vendant, quàm vt aliquam rem ad se deferri desiderent: quinetiam iumentis, quibus Galli maximè delectantur, quæq; impenso parant pretio, Germani non vtuntur: sed quæ apud eos sunt & natura praua, & deformia, hæc quotidiana exercitatione summi vt sint laboris efficiunt. Equestribus prælijs sæpe de equis desiliunt, ac pedites præliantur: & eos eodem vestigio remanere edoctos, vbi vsus est, celeriter repetunt. Neque moribus suis quicquam inhonestius aut inertius putant, quàm ephippijs vti. Itaque ad quemuis ephippiatorum equitum numerum (quamuis pauci) adire audent. Vinum ad se importari omnino non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effæminari

Victus Sueuorum ex pecore.

Vestitus Sueuorum pelles erãt.

Ephippijs nõ sunt vsi Germani.

Vinum ad se importari nõ patiebantur Sueui.

nari arbitrentur. Publicæ esse laudis putant quàm latissimè à suis finibus vacare agros. hac re significari magnum ciuitatum numerum suam vim sustinere non posse, propter quod vna parte à Sueuis circiter mille sexcentorum passuum agri vacare dicuntur: Cornelius Tacitus, vbi de Germaniæ situ, & gentis moribus scribit, de Sueuis ita refert: Maiorem, inquiens, Germani partem proprijs adhuc nationibus nominibusq; discreti sunt, quamquam in communi Sueui vocentur. Insigne (inquit) gentis est, obliquare crinem, nodoq; substringere: sic Sueui à cæteris Germanis, sic Sueuorum ingenui à seruis separantur: apud eos vsque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso vertice religant, principes ornatiorem habent. Statuto tempore in syluam auguriis patrum & prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, cæsóque publicè homine celebrant, barbari certè ritus, horrendáque primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & numinis potestatem præ se ferens: si fortè prolapsus, attolli, & insurgere haud licitum: per humum euoluuntur, eóque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, vbi regnator omnium Deus, cætera subiecta atq; parentia. Pars quoque Sueuorum, vt idem Cornelius habet, Isidi sacrificat. Peculiaria cætera Germanis:

Germanicō muni nomine Sueui appellati.

Crinem nodo substringebant Sueui.

Sacrificādi Sueuorum ritus.

Superstitio gētis admiranda.

Isidi sacrificabāt Sue-

manis & ipsis sunt communia. Verum enimuero non solùm apud Sueuos, sed & apud omnes ferè gentes mutati sunt mores: &, quod dolendum plurimum est, ferè in peius. Nam hodie potentiores Sueuorum ferè omnes mercaturæ vacant, societatem, siue confœderationem vnam multi ineunt, ac certam pecuniæ summam quisque ponit, qua non solùm aromata, serica, atque alias pretiosas merces, quæ ad nos à transmarinis & remotißimis regionibus transuehuntur, emunt, sed vilia etiam, vt cochlearia sunt, acus, specilla, pupæ, & huiusmodi: præemunt etiam vina & frumenta. Quod ego tamen non laudo: quum id non minus opificibus & agricolis graue, damnosúmque sit, (qui sua ante tempus gryphonibus istisne potius dicam, vel mercatoribus, vendunt, quæ postmodum necessitate cogente duplo ære redimere ab ipsis debent) quàm toti prouinciæ, quæ, quibuscumq; indiget, non apud vicinas gentes à quibus minori pretio habere poßit, accipere debet, (sic enim à corruptis munere principibus impetratum) sed ab illis in Stutgardia, aut aliàs vbi emporia habent. Ipsi tamen per se non negotiantur, sed communibus seruitijs, qui contractam rursus pecuniam vnà cum lucro congregantes certo tempore rationem ponunt, singuliq; dominorum lucri partem fideliter præbent. Priuati Sueuorum nulla alia re, nullo artificio magis occupantur, quàm lini

Recétiores Sueuorum mores.

Mercatores Sueuorum Germanicæ Reipub. damnosi.

Omnis Sueuia in lino operatur.

Mos in medio quadragesimæ.

abstinuerint. In medio quadragesimæ, quo quidem tempore ad lætitiam nos ecclesia adhortatur, iuuentus in patria mea ex stramine imaginem contexit, quæ mortem ipsam (quemadmodum depingitur) imitetur: inde hasta suspensam in vicinos pagos vociferans portat. Ab aliquibus perhumanè suscipitur, & lacte, pisis siccatisque pyris, (quibus tum vulgò vesci solemus) refecta, domum remittitur: à cæteris, quia malæ res (vt puta mortis) prænuncia sit, humanitatis nihil percipit: sed armis, & ignominia etiam adfecta, à finibus repellitur. Eodem tempore & talis mos obseruatur: Intexitur stramine vetus vna lignea rota, atq; à magno iuuenum cœtu in editiorem montem gestata, post varios lusus, quos in illius vertice illi toto die, nisi frigus impediat, celebrant, circiter vesperam incenditur, & ita flammans in subiectam vallem ab alto rotatur: stupendum certè spectaculum præbet, vt plerique, qui priùs non viderint, Solem putent, aut lunam cœlo decidere.

In Paschate ritus.

In Paschate vulgò placentæ pinsuntur, quarum vna, interdum duæ, adolescentibus vna, puellis altera, à ditiori aliquo proponuntur: pro quibus in prato, vbi ante noctem ingens hominum concursus fit, quique agiles pedestres currant.

In ecclesiarum dedicationibus ritus.

Ad parochialium templorum dedicationes, quæ Christiano instituto quotannis festiuo gaudio & comessatione à totis pagis peraguntur, adolescentes ex aliis locis

cis non templa, sed choreas visitaturi, cum armis & tympano, veluti ad pugnam, quam & sæpius aut inueniunt, aut suscitant, turmatim eunt, redeuntq;, capitibus ob id multoties cruentatis. Tribus illis diebus, quibus Apostolico instituto maiores litaniæ passim per totum orbem peraguntur, in plurimis Franconiæ locis multæ cruces (sic enim dicunt parochianos cœtus, quibus tum sanctæ crucis vexillum præferri solet) conueniunt. In sacrisq; ædibus non simul & vnam melodiam, sed singulæ singulam per choros separatim canunt: & puellæ & adolescentes mundiori quiq; habitu amicti frondentibus sertis caput coronati omneis, & scipionibus salignis instructi. Stant sacrarum ædium sacerdotes diligenter singularum cantus attendentes: & quamcumq; suauiùs cantare cognoscunt, illi ex veteri more aliquot vini conchos dari adiudicant. Pentecostes tempore vbique fere hoc agitur: Conueniunt quicumq; equos habent, aut mutuare possunt, & cum Dominico corpore, quod sacerdotum vnus, etiam equo insidens, collo in bursa suspensum defert, totius agri sui limites obequitant, cantantes, supplicantésque, vt segetes Deus ab omni cœli iniuria & calamitate conseruare velit. In die sancti Vrbani vinitores in foro aut alio publico loco, mensam locant, mappis, fronde, & plurimis redolentibus herbis instruunt, desuper statunculam beati pontificis

Ritus in maioribus supplicationibus.

Pentecostes tempore ritus.

Ritus in die sancti Vrbani.

stat

statuentes: quam, si dies serena est, largo vino coronant, & omni honore prosequuntur: si verò pluuialis, id non solùm non faciunt, sed luto proijciunt, & aqua immodica perfundunt. Persuasum enim habent, illius diei tempestate auspicióque vinum tunc florescens & augmentari & diminui. In nocte sancti Ioannis Baptistæ in omnibus ferè per Germaniam vicis & oppidis publici ignes parantur, ad quos vtriusque sexus iuuenes & senes conuenientes, choreas cum cantu agunt: multas etiam superstitiones obseruant. Artemisia & verbena coronati in manibus flores, qui à similitudine calcaris militaria calcaria dicuntur, gestantes, ignem, nisi per eos, non aspiciunt: oculos id per totum annum à languoribus conseruare credunt. Qui abire intendit, ille herbas, quibus, vt dixi, præcinctus fuit, igni inijcit, dicens, Abeat, & comburatur cum his omne infortunium meum. Ante arcem in monte, qui vrbi Herbipoli supereminet, ab episcopi aulicis etiam ignis fit, cui orbiculi quidam lignei perforati imponuntur, qui quum inflammantur, flexibilibus virgis præfixi, arte & vi in aerem supra Moganum amnem excutiuntur: Draconem igneum volare putant, qui priùs non viderunt. Fiunt eodem tempore figulino opere ollæ quædam, ita multis foraminibus discissæ perforatæq; vt partes vix sibi cohæreant: puellæ illas emunt, & purpurearum rosarum folijs obd

In vigilia sancti Ioannis ritus varij.

Ollæ cum luminibus suspenduntur.

obductas imposito lumine ex domorum culminibus pro lucerna suspendunt. Tunc temporis adolescentes pagis totas pinos inferunt: quarum inferioribus ramis abscisis, superiores speculis, vitris, fertis, bracteolisq; splendicantibus exornant, arborem terræ infixam per totam æstatem ita stare sinunt. Autumni tempore quum vuæ iam maturæ sunt, non antea vindemiare cuiquam concessum, quàm domini, quibus decima debetur, hoc permiserint: non enim ille hodie, cras alter legit, sed quotquot in vno colle vina habent, vno, vel duobus diebus omnes omnia abscerpunt: indicitur hodie in illo, cras in altero legendum: decimæ in vallibus sub vinetis excipiuntur. Qui tardiùs, quàm iussum est, vindemiare volunt, non solùm cum licentia facere debent, sed etiam suis expensis decimam in domini torcular inferre. Herbipoli cuique vindemianti ob exhibitam credo in decimando infidelitatem iuuenis adijcitur, qui diligenter notet, & iubeat etiam, vt quodq; decimum vas lectum absque fraude domino suo tribuatur. Finita vindemia hi pueri omnes in campo conuenientes singuli se de stramine, quod ad hoc aduectum est, vna aut duabus facibus armant, quibus sub noctem incensis cantantes ciuitatem ingrediuntur. Hoc more autumnum se expurgare, atque exurere dicunt. Martini & Nicolai sanctorum præsulum vtrorumque dies miro gaudio, mira festiuitate

Arbores frōdẽtes pagis inuehũtur.

Vindemiandi ritus.

In festi sanctorũ Martini & Nicolai ritus.

uitate Franconiæ gens colit, diuersimodè tamen, in sacris ædibus & altari hac, illa in mensa & popinis. Nemo per totam regionem tanta paupertate premitur, nemo tanta tenacitate tenetur, qui in festo sancti Martini non altili aliquo vel saltem suillo vitulinóve viscere assato vescatur, qui vino non remissiùs indulgeat. Quilibet enim tunc noua vina sua, à quibus se adhuc vsque abstinuit, degustat, & dat degustare, omnia. Erogantur in Herbipoli & plerisque locis hac etiam die pauperibus ex pietate vina. Spectacula publica eduntur, duo aut plures frendentes apri circa includuntur: vt mutuò se exertis dentibus visceratim dissecent: quorum carnes vbi vulnerati conciderint, partim plebi, partim potestatibus diuiduntur. In die verò sancti Nicolai adolescentes, qui disciplinarum gratia scholas frequentant, inter se tres eligunt: vnum qui episcopum: duos, qui diaconos agant: is ipsa die in sacram ædem solenniter à scholastico cœtu introductus, diuinis officijs infulatus præsidet: quibus finitis, cum electis domesticatim cantando nummos colligit, eleemosynam esse negant, sed episcopi subsidium. Vigiliam diei pueri à parentibus ieiunare eo modo inuitantur, quòd persuasum habeant, ea munuscula, quæ noctis ipsis in calceos sub mensam ad hoc locatos imponũtur, se à largissimo præsule Nicolao percipere: vnde tanto desiderio plerique ieiunant, vt quia eorum sani-

In festo sancti Martini

In die sancti Nicolai.

Pueri ieiunant.

tati

tati timeatur, ad cibum compellendi sint. Et tales hodie Franconum famosi mores sunt, tales annui ritus.

De Sueuia, Sueuorúmque moribus & priscis & recentibus. CAP. XVI.

Sueuia Germaniæ prouincia ætate nostra istis finibus describitur, ab oriente Baioarijs, ab occasu Alsatensibus & Rheno iungitur, Alpium iuga à meridie habet, à septemtrione Franconiam. A Sueuis populis dicta, qui ex ea Scythiæ parte, quæ hodie Liuonia & Prußia est, digreßi, ibi consederunt, auctore Antonio Sabellico, & confirmare istud Lucanus videtur inquiens: Sueuiæ fines. Sueui vnde in Germaniam venerunt.

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos.

Alemannia prius nominata fuit à lacu Lemanno, qui & Lausanensis vocatur. Suprema portio totius Germaniæ Sueuia est, duobus clarißimis fluminibus, Rheno, & Danubio irrigatur: quorum alter modico fluxu in Occidentem oceano miscetur. Hic è diuerso in orientem per innumeras gentes volutatus pontum influit. Terra partim plana, partim montosa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter quam aut lacus aut montes, vel syluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Conualles plurimæ perennibus riuis clarißimæ, vndique amnes procurrunt, qui se vniuersi in Rhenum Sueuia olim Alemānia. Sueuiæ conditio. Laudes Sueuiæ.

num & Danubium exonerant. Tota insuper prouincia salubritate gaudens, celebratissimis vrbibus, vicis, & castellis referta. Arces excelsæ, natura, & arte munitæ, &, quod ad Christianam religionem pertinet, pulcherrimis atq; ditissimis templis, collegijs, monasterijs variorum ordinum sexus vtriusque, basilicis, parochialibúsque ecclesijs est exornata. Circa montes ferrum, argentum, & metalla procreat. Gẽs populosa, fortis, audax, & bellicosa, procera corpore, flauo crine, venusta facie, & decora, ingenio singulari prædita, præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Cuius gloria eousque creuisse memoratur, vt virtute & armis Imperium orbis meruerit, illudq; vltra vnius seculi spatium magnificentissimè tenuit. Sed viduata posteà suis principibus, nescio qua fortunæ iniquitate, dicam, aut ignauia, mox substitit: quasi non exstet, quo famam suam extendere, aut quod minus est, tueri possit. Caius Iulius Cæsar in quarto commentariorum de hac ita scribit: Sueuorum gens longè maxima ac bellicosissima Germanorum omnium, centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa è finibus educuntur: reliqui, qui domi remanserunt, se, atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno pòst in armis sunt, illi domi remanent: si nec agricultura, neque ratio atque vsus belli intermittitur, sed priuati ac separati agri apud eos nihil est:

Præstantissimi Germanorum Sueui.

Cẽtũ Sueuorũ pagi.

Antiqui Sueuorum mores.

Neq;

Neque longiùs anno remanere vno in loco incolendi causa licet. Non frumento solùm, sed vulgo lacte & pecore viuunt: multúmque sunt in venatione, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio aut disciplina consuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit & immani corpore homines efficit: atq; in eam se consuetudinem adduxerunt, vt sub cælo frigidissimo habitantes neque vestem vllam præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem, maior corporis pars nuda & aperta est. Lauantur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus magis eò, quòd quæ bello ceperunt, vendant, quàm vt aliquam rem ad se deferri desiderent: quinetiam iumentis, quibus Galli maximè delectantur, quæq; impenso parant pretio, Germani non vtuntur: sed quæ apud eos sunt & natura praua, & deformia, hæc quotidiana exercitatione summi vt sint laboris efficiunt. Equestribus prælijs sæpe de equis desiliunt, ac pedites præliantur: & eos eodem vestigio remanere edoctos, vbi vsus est, celeriter repetunt. Neque moribus suis quicquam inhonestius aut inertius putant, quàm ephippijs vti. Itaque ad quemuis ephippiatorum equitum numerum (quamuis pauci) adire audent. Vinum ad se importari omnino non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effœminari

Victus Sueuorum ex pecore.

Vestitu Sueuorum pelles erãt.

Ephippijs nõ sunt vsi Germani.

Vinum ad se importari nõ patiebantur Sueui.

nari arbitrentur. Publicæ esse laudis putant: quàm latissimè à suis finibus vacare agros. hac re significari magnum ciuitatum numerum suam vim sustinere non posse, propter quod vna parte à Sueuis circiter mille sexcentorum passuum agri vacare dicuntur. Cornelius Tacitus, vbi de Germaniæ situ, & gentis moribus scribit, de Sueuis ita refert: Maiorem, inquiens, Germani partem proprijs adhuc nationibus nominibusq; discreti sunt, quamquam in communi Sueui vocentur. Insigne (inquit) gentis est, obliquare crinem, nodoq; substringere: sic Sueui à cæteris Germanis, sic Sueuorum ingenui à seruis separantur: apud eos vsque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso vertice religant, principes ornatiorem habent. Statuto tempore in syluam augurijs patrum & prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, cæsóque publicè homine celebrant, barbari certè ritus, horrendáque primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & numinis potestatem præ se ferens: si fortè prolapsus, attolli, & insurgere haud licitum: per humum euoluuntur, eóque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, vbi regnator omnium Deus, cætera subiecta atq; parentia. Pars quoque Sueuorum, vt idem Cornelius habet, Isidi sacrificat. Peculiaria cætera Germanis

Germanicō muni nomine Sueui appellati.

Crinem nodo substringebant Sueui.

Sacrificādi Sueuorum ritus.

Superstitio gētis admiranda.

Isidi sacrificabāt Sueui.

manis

manis & ipsis sunt communia. Verum enimuero non solùm apud Sueuos, sed & apud omnes ferè gentes mutati sunt mores: &, quod dolendum plurimum est, ferè in peius. Nam hodie potentiores Sueuorum ferè omnes mercaturæ vacant, societatem, siue confœderationem vnam multi ineunt, ac certam pecuniæ summam quisque ponit, qua non solùm aromata, serica, atque alias pretiosas merces, quæ ad nos à transmarinis & remotissimis regionibus transuehuntur, emunt, sed vilia etiam, vt cochlearia sunt, acus, specilla, pupæ, & huiusmodi: præemunt etiam vina & frumenta. Quod ego tamen non laudo: quum id non minus opificibus & agricolis graue, damnosúmque sit, (qui sua ante tempus gryphonibus istísne potius dicam, vel mercatoribus, vendunt, quæ postmodum necessitate cogente duplo ære redimere ab ipsis debent) quàm toti prouinciæ, quæ, quibuscumq; indiget, non apud vicinas gentes à quibus minori pretio habere possit, accipere debet, (sic enim à corruptis munere principibus impetratum) sed ab illis in Stutgardia, aut aliàs vbi emporia habent. Ipsi tamen per se non negotiantur, sed communibus seruitijs, qui contractam rursus pecuniam vnà cum lucro congregantes certo tempore rationem ponunt, singulisq; dominorum lucri partem fideliter præbent. Priuati Sueuorum nulla alia re, nullo artificio magis occupantur, quàm lini

Recentiores Sueuorum mores.

Mercatores Sueuorum Germanicæ Reipub. damnosi.

Omnis Sueuia in lino operatur.

operatione, cui adeò incumbunt, adeò dediti sunt, vt in quibusdam Sueuiæ locis nedum mulieres & puellæ, sed adolescentes, & viri, hyemis tempore colo admoueantur. Panni genus faciunt, cuius tela linea est, intextum bombycinum, Pargath illud vocantes: faciunt & totum lineum, quod Golsch appellant. Compertum habeo, apud Vlmenses solùm quotannis vtriusque generis pannos parari centum millia: ex quo quisque coniecturare potest quàm incomprehensibilis, incredibilisque summa in tota regione elaboretur. Ad remotissimas nationes isti panni transuehuntur, & maximè bis in anno ad Emporium Franconafordense: vbi quàm ingens vestigal Sueuicæ nationi accedit. Præterea quoniam bonis mala commixta semper sunt: & nulla ex omni parte perfecta, sunt

Sueui in Venerē proni.

Sueui in Venerem supra modum proni: fæmineus sexus virili ad malum facilè consentiens: immaturè vterq; prauaricatur, serò resipiscit. Ego huic vitio maximè suffragari existimo, quòd, quemadmodum in alijs Germaniæ prouincijs, ecclesiastica censura publici illi fornicarij, adulteri, raptores minus insectentur. Pro-

Prouerbiū quo Germanorum mores notātur

uerbium ortum, Vnam Sueuiam latæ Germaniæ satis meretricum transfundere, quemadmodum Franconiam copiam dare raptorum & mendicantium, Boëmiam hæreticorum & Baioariam furum, Heluetiam carnificum & lenonum, Saxoniam potatorum, Frisiam atque

VVest

VVestualiam periurorum Rhenum gulonum.

De Bauaria & Carinthia, & earum priscis legibus, moribusq; quibus hodie viuunt.

CAPVT XVII.

Bauaria Germaniæ prouintia, ab Auaribus Hunnorum reliquijs, qui, Noricis expulsis, in ea terra consedere, adiecta B litera appellatur. Baioaria etiam à Boijs Cisalpinæ Galliæ populis hoc loci aliquando moratis dicitur: Noricum olim fuit. Hungariam ab Oriente habet, ab Occidente Sueuiam, à meridie Italiam, & Septẽtrione Franconiam atque Boëmiam. Danubio insigni fluuio ex Sueuia profluente irrigatur. Austriam, Styriam, & Carinthiam in se comprehendit: quòd ijdem ferè homines, ijsdem moribus & lingua vtantur. Noricis præterea finibus quondam contenti erant. Beatus Lucius Britanniæ rex primùm, deinde sanctus Rupertus, vltimò Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Christianam pietatem edocuit. In quatuor Episcopatus Bauaria diuiditur, SaltZburgensem, Patauiensem, Phrisingensem, Ratisponensem. Nulla Germaniæ prouincia pluribus cultioribus vrbibus illustratur. SaltZburga, quæ Iuuania fuisse creditur, Metropolis est, Monachium ducalis sedes hodie, olim Schiren fuit. Hæc terra priusquàm in prouinciam redigeretur, à proprio rege ad Arnolphi Imperatoris vsque tempora administrata est: eum, vt Parthia suum Arsacem,

Noricum. Bauariæ limites. Bauaria laus ab vrbibus.

& Aegyptus Ptolemæum, ipsa Cacannum nominauit, deinde duces habere cœpit, hodieq; tenet. Qui ex vna illustri Agilolfingorum familia diu eligebantur omnes. Gentis mores viuendiq; instituta ex legibus, quas orthodoxa fide recens suscepta habuere, cognosci possunt: tales fuere, vt liberæ conditionis homo chirographo & sex testibus, quorum nomina, & manus suas imponat, confirmet, si villas, terram, mancipia, pecuniam, aut quid aliud ecclesiæ donauerit, schedam præsente sacerdote alteri superponat. Nec ipsi, nec posteris iimus, potestas eius rei sit vlterius, nisi ecclesia permittat. Apud Episcopum defendatur quicquid ecclesiæ Dei datum fuerit. Dei iudicium, & sanctæ ecclesiæ offensam incurrat, restituereq; cogatur aut à rege, aut principe, quicunque ecclesiæ, aut eius rebus iniurius fuerit, vncias auri tres pro multa persoluat. Negans ante altare, populo, sacerdotéque præsentibus, secundùm pecuniæ summam iuret. Qui seruum, ancillámve ad fugiendum persuaserit, reuocet: & alium intereà pignoris loco sistat, solidis quindecim componat. Seruo occultè ecclesiæ res concremanti manus amputetur, ac oculi eruantur, ne tale quid de cætero perpetrare videat: dominus verò eius restituat quicquid incendio consumptum fuerit. Liber homo ex integro omnia restauret, & ob temeritatem, solidis LX. componat, negans XXIIII. sacramentalib

Cacannus Bauarorum rex.

Ecclesiæ libertas.

De incendiariis ecclesiarum.

mentalibus nominatis ante altare coram ecclesiæ defensore, digitis super Euangelij librum positis iuret. Reo ad ecclesiam confugienti securitas esto: nec domino fas, seruum inde abstrahere aut quouis modo lædere: qui contrà fecerit, iudice cogente componat ecclesiæ XL. *solidis. Qui in minoribus ordinibus constituto noxius fuerit, dupliciter componat, quo parentes componuntur: In maioribus constituto tripliciter. Presbyterum autem si quis occiderit,* CCC. *auro appretiatis solidis: Diaconum* CC. *ecclesiæ, in qua ministrauerit, exsoluat: & si pecuniam habuerit nullam, seipsum, vxorem, liberos seruitio eousque mancipabit, donec statuta pecunia redimat. In Episcopum sæuiat nemo etiam si cui molestus fuerit: sed coram rege, duce, aut plebe conueniatur super homicidio, fornicatione, consensuq; hostili. Si inimicos prouinciæ introduxerit, si perdere, quos saluare debuerat, voluerit, deponatur, aut in exilium relegetur. Qui sanctimonialem ex monasterio abductam contra ecclesiasticam legem sibi matrimonio coniunxerit, restituat: Episcopus ducis auxilio eam, velit, nolit, monasterio rursum intrudat. Ipsum verò aut se emendare compellant, aut prouincia eijciant. Presbyteris & diaconibus extraneam apud se in domo mulierem habere non licet, ne consuetudine deceptus polluatur, indignè Deo offerens, & populus ob id plagam sustineat. Sacerdotum, ac*

Ad ecclesiã qui confugerit.

De clericorum percussoribus.

Episcopi causæ.

aliorum clericorum causæ ab Episcopis solùm secundùm canones iudicentur. Coloni, & serui ecclesiæ secundùm quod quisque habet, tributa decimasq; persoluant: de modijs decem vnum, de perticis decem vnam, de decem fascibus vnum, de decem apum vasis vnum, pullos quatuor, oua quindecim tribuant. Ligna, lapides, calcem ad sacrarum ædium structuram aduehant: vltra vires tamen degrauetur nemo.

Decimæ quomodo dandæ.

Qui regionis duci insidias struet, aut hostes prouinciæ inuitauerit, aut ciuitatem aliquam prodiderit, tribus testibus conuictus, in ducis potestate sit, bona eius confiscentur. Verùm per inuidiam ne quisquam pereat, cum vno de se testante duello confligens, si vicerit, absolutus abscedat. Si ducem aliquis suum interfecerit, interficiatur & ipse, ac res eius confiscentur in publico in sempiternum.

De duce, & eius causis.

Seditionem aduersus ducem mouens, duci sexcentis, cæteri factiosi C C. solidis componunt.

Seditiosorũ pœna.

In hostilicum quum educitur exercitus, propter scorta aut casas non rixetur, nec etiam propter pabula vel ligna: tollat quisque quantis indigeat, tollentem nemo prohibeat: secus faciens vel disciplinæ hostili subiaceat, vel coram Comite suo verbera quinquaginta sumat. Comiti in Comitatu suo, ne hostibus absque ducis iussione damna inferantur, cura sit: ipse persoluat, si sua negligentia peccatum fuerit. Liber si damnum intulerit, quadraginta solidũ multetur,

Leges castrenses.

æqualiaq;

æqualiaq; omnia restituat. Seruus capite plectatur, dominus illius ne talia perpetraret, quia non prohibuit, pro ipso restituat. Aliquid ex exercitu surripiens criminis conuictus seruus manibus mutiletur, nihilo secius dominus eius restituere compellatur. Liber ad rei restitutionem solidis XL. *componat. Si quisquam aut à rege, aut duce iussus aliquem interfecerit, defendat eum, & liberos eius rex, siue dux, cui obediuit. Etsi is moriatur, alius, qui succedet, tutelam ipsius assumat. Si dux contumax & rebellis decreta regis contempserit, ducatu priuetur, seq; æternæ salutis spe omni frustratum sciat. Si ducis stultus & arrogans filius patrem adhuc iudicio præsidere, exercitum ductare, equum ascendere, arma gestare potentem, qui nec dum surdus, neque cæcus est, qui regis mandatum strenuè exsequi valet, malignorum consilio principatu deturbare nititur, exhæredetur, aut, si libet, in exsilium perpetuum ablegetur, quia contra legem in patrem peccauerit. Qui temeritate, aut ebrietate in ducis aula scandalum suscitauerit, quicquid mali sequetur, lege componat, solidis* XL. *plectatur, seruus manum perdat. In ducis aula qui temere aliquid iacere conspexerit surripiens, vbi nocte vna celarit, furti alligetur, in publico solidis quindecim componat, quòd domus ducis domus publica censeatur. Imperium ducis detrectans quindecim solidis*

Ducis cauta.

filius patri insidiatus.

Ducalis aulæ libertas.

mult

multetur, & quicquid facere iussus fuerat adhuc perficiat, vt placita omni quintodecimo die in Comitatibus regionis omnibus peragantur. Liberi omnes conueniant: qui neglexerit, solidis quindecim multetur. Iudex, vt iuste iudicet, librum penes se legis habeat, ex eo causa omnis componatur. Neque personam, neque munera respectet iudex, sed de compositione, dum rectè iudicarit, partem nonam accipiat. Sin perperam, duplo, quicquid lata sententia abstulerit, exsoluat, insuper solidis quadraginta multetur. Ducis cædes parentibus aut regi solidis DCCCCLX. *componatur. Parentes ducis sexcentis, obseruato, vt ducis compositio parentum suorum compositionem triplo excedat. Agilolfingi, de quorum progenie dux perpetuò eligitur, compositionem quadruplam habeant, Huosi, TroZZi, Sagaui, Habilingi, Aennoni, primi post Agilolfingos duplam. Liberum quisquis interfecerit, parentibus, aut duci, bis octoginta solidos exsoluat. Si oculum, manum, vel pedem amputauerit, quadraginta: si claudum fecerit, duodecim: si mancum, viginti. Simplex vulnus tribus solidis, dentem molarem duodecim, alios omnes sex cōponat. Peregrinos homines inquietare, aut lædere, summè prohibemus: contrafaciens dupliciter componat, & fisco* C I X. *solidos exsoluat. Si occiderit, solidis auro appretiatis centum multetur. Seruus liberum aut molestans, aut venund*

Quo tempore placitandum.

Iudex lex qualis esse debeat.

Liberi quomodo componantur.

venundans, præsentatus iudici aut manum, aut oculum amittat, absq; insigni nota nequaquam dimittatur. Liberti dimidio componantur mitiùs, quàm liberi. Nuptias incestatas prohibemus, vnde socrum, nurum, priuignam, nouercam, fratris aut sororis filiam, fratris vxorem, vxoris sororem viro ducere liceat nulli, fratrum aut sororum filij matrimonio nequaquam sese coniungant, facultates eorum à iudice confiscentur: qui contrà fecerint. Qui dominicam diem seruili opere profanauerit, nec semel & iterum monitus cessat, L. *verberibus dorsum illius frangatur: si nec adhuc cessauerit, tertia ipsi bonorum pars auferatur: tertiò si attentauerit, libertatem perdat, seruus sit, qui die sancto noluit esse liber: Seruus vapulet, &, si non emendauerit, dexteram perdat. Peregrinus monitus nisi cessauerit,* XII. *solidis multetur. Qui Liberum præter voluntatem seruituti deuinxerit, aut illius hereditatem bonáue inuaserit,* XL. *solidis componat, restituátque quæ occupauerit omnia. Si quis cum alterius coniuge libera concubuerit, marito* CXL. *solidis componat: & si deprehensus interficeretur, absque vindicta suo in scelere iaceat. Cum libera consentiente fornicatus, si in coniugem ducere noluerit, duodecim componat solidis. Dominus seruum, qui liberæ vim fecit, parentibus illius ad pœnam dedat: interficere ius esto, si libet. Si quis virginem liberam præter eius ac* parent

Liberti.

De nuptiis

De feriis & pœna non custodientium.

Mulierum causæ.

parentum voluntatem rapuerit, solidis XI. *libertatem* VIII. *ancillam* IIII. *componat. Liber liberam vxorem absq; culpa dimittens, parentibus solidis* XL. *componat. Mulieri dotem & quicquid asportauerit secundùm familiæ, ex qua nata est, stemma legitimè persoluat. Si liberam liber post desponsationem repudiauerit, aliámque superduxerit.* XXIIII. *solidis puellæ parentibus componat. Sacramentalibus* XII. *iuret, eam, neque ob crimen aliquod, neque ob parentum inuidiam dimittere, Verùm ob solum amorem, quo alteri teneatur. Qui alterius sponsam sibi rapuerit, restituat eam, & bis* LXXX. *solidis marito componat. Mulier, quæ alteri potionem, vt abortum faciat, commiscet, si ancilla est,* CC. *verbera accipiat, ingenua libertate viduata seruitio deputetur. Si prægnans mulier icta abortum fecerit, ipsa si morietur, qui icerit tanquam homicida teneatur: si fœtus tantùm, nondum viuens* XX. *solidis, viuens* L. *VVeregeldum persoluat, solidósque tres & tremissem.*

Domus publicæ.

Si in ducis curia, in ædibus sacris, in fabrica, aut molendino, quæ domus publicæ sunt, liber homo quid furatus fuerit nonuplum componat, secundùm rei valorem iuret, siue campionibus depugnet.

Furta quomodo cōponantur.

Fur nocturno in furto deprehensus, si occidatur, non vindicetur. Qui alterius seruum ad furtum vel aliud nefas in domini discrimen persuaserit, fraude detecta, tanquam fur damnetur, nonuplum exsoluat.

Seruus

Seruus quod tulit restituat, & insuper flagellorum ictus C C. extensus publicè accipiat, dominus incommodi nihil patiatur. Fur quascumque res subtraxerit, iudici præsentatus secundùm legem vindictæ subiaceat. Verùm morti non priùs damnetur, quàm nonnulla illi, qui damnum pertulit, compositio de furis facultatibus fiat. Qui aliquid in prouincia emerit, diligenter priùs interroget, furtiuum sit, nécne. Furtiuum si emerit, restituere cogatur, atque in fiscum pro fredo solidos X I I. persoluat: qua lege in eum etiam animaduertitur, qui furtiuum commendatum susceperit. Compositionem à fure, nisi coram iudice, suscipiat nemo. Latrociniј culpis subiaceat, qui iudicem suum rem celat. Quoties de agrorum finibus contenditur, constituta olim signa ab inspectoribus quærantur, nec aduersus ea longæ possessionis tempus patrocinetur: venditor ostendat, si nulla apparuerint: & si contentio tanta sit vt sedari non possit, campionibus depugnetur. Nemo nouum terminum aut signum sine alterius partis consensu, sine inspectore constituat. Liber si contrà id fecerit, lege solidis V I. multetur: seruus C C. flagellorum ictus extensus publicè sustineat. Si liber liberi parietem aut sepem dissipauerit, vel irruperit, tribus solidis componat, & damnum restituat. Columnas, trabes, spangas tribus solidis ad restitutionem componat. Asseres, lateres, & aliud quicquid ædificio

Furtiua emptio lege coercita.

Agrariæ leges

Pignorare dux permittat.

ædificio continetur singulis solidis: Pignorare absque ducis permissu liceat nemini: contrarium faciens, pignus e vestigio illæsum reddat, duci XL. solidos pro fredo exsoluat, læsum ad arbitrium iudicis componat. Qui messem iam maturam alterius demessuerit, solidis sex componat. Negans, sacramentalibus secundùm legem suam sex iuret. Qui segetes alterius incantando vitiarit, conuictus XII. solidis componat, familiam illius anno toto alimentis prouideat, æquale reddat, si quid perdiderit. Negans sacramentalibus XII. iuret, aut campione se defenset. Si quis alieno seruo, vel ancillæ ad fugam aut auxilio, aut consilio adfuerit, XII. ipsum, eam sex solidis componat, reducátque: si negare velit, XII. sacramentalibus iuret, aut campionum se pugna expurget. Nemo alienum animal, etiam in damno deprehensum, quouis modo lædat, occidátue: sed penes se eousque retineat, donec domino, aut vicinis damnum acceptum indicabit, qui locum læsum cum æquali illæso signent: in messis collectione quòd læsus non læso minus protulerit, is, cuius animal damnum intulit, rependat. Qui verò contra legem hanc animal occiderit, cadauer sibi habeat, domino aliud æquale reddat. Si oculum excusserit, quanti animal æstimabitur, tertia pretij parte cõponat. Si caudam, vel aurem, vno solido. Si cornu, tremisse: duplentur, si hoc in domini contemptum odiúmve perpetrarit,

Damnorũ illatorum cõpositio.

Qui

Qui pacta mercede equum, aut bouem custodiendum susceperit, sua culpa periclitatum ab integro persoluat, & mercedem nullam requirat: Verùm iuramento si se absoluerit, corium reddat. Qui aurum, argentum, vestes, aut alias quascumq; res vendendas, siue custodiendas in ædes suas receperit, si fortuito incendio vnà cum rebus suis consumptæ fuerint, quòd sibi non profuerint iuramento dato, nihil persoluere cogatur. Qui auxiliatoris specie ex incendio aliquid rapuerit, proditus quadruplum exsoluat, secundùm legisq; statuta componat. Rem in contentione locatam nec vlli donare, nec vendere liceat. Mulier in viduitate post mariti obitum permanens æqualem, vt filiorum vnus, vsufructuariam portionem possideat. Si verò ad alias nuptias transierit, eo die cùm dote & rebus suis domo egrediatur: filij inter se portionem, quam consequuta fuerat, vt reliquam diuidant. Patris bona filij de diuersis etiam coniugijs suscepti æqualiter hæreditabunt: Matris vnusquisque tantùm suæ. Ancillæ filius cum liberæ filio hæres non esto. Siquis sine liberis morietur, nisi testamento caueatur, vxor quoad viduitatem obseruauerit, bonorum medietatem omnium retineat, propinqui reliquam accipiant. Si verò & ipsa morietur, aut alteri nupserit, cum bonis suis, & quæ lege debentur, abeat, propinquis & hæc pars cedat. Viro, aut muliere defunctis, si vsque ad septimum gradum

De cōmendatis & cōmodatis.

Ex incēdio quid surripiens.

Res in contētione posita.

De hæreditate leges.

t propin

propinqui nulli reperiantur, nisi testamento, vel donatione caueatur, res eorum omnes fiscus indipiscatur. Qui rem aliquam vendiderit pretio accepto, emptionem aut charta, aut testibus ratam faciat: duo, tres, vel plures testes adhibeantur. Venditio, nisi voluntaria, & libera, firma non sit. Qui rem alienam domino ignorante vendiderit, ipsam lege restituat, & aliam æqualem addat. Si reperiri nusquã poterit, duas similes pro ea reddat. Qui arram in quacũque re dederit, nisi placitum mutatum fuerit, stare contractus debet, aut hanc ipsam perdat, & pretiũ, quod debuit, exsoluat. Si quis rem vitiatam vendiderit, infra dies tres recipiat, vel sacramẽtali vno vitium ignorasse iuret, & stet emptio. Seruus suo, non domini, peculio redẽptus fraude cognita domino restituatur: quia non pretium, sed res serui ignorans acceperit. Commutatio tantum roboris habeat, quantum emptio. Qui agrum, aut pratum alterius suum dicens inuaserit, sex solidis propter temeritatem componat, & exeat. Testem aure tractum nisi super mortuum testari velit, repelli nec debet, nec potest. In mortui causa hic duello probetur: si vicerit, vlterius non impugnetur, sed credatur ei. Ex pluribus testibus vnus tantùm sorte eductus iuret, ita dicens: Testis sortitus sum, testem me exhibeo, sic me Deus iuuet, & illum, cuius manum teneo, testis aure tractus sum, veritatem præsenti in causa dicere. Datis deinde ad sacrand.

De emptione & venditione.

Arræ traditionis vis.

Mancipiorũ redẽptio

Testes, morium causæ.

Iurandi modus.

ſacrandum armis, ſolus altera manu verbum ipſum cum vno ſacramentali iuret. Mendaciter iuraſſe conuictus cauſam reſtituat, XII. ſolidis componat, aut innocentiam ſuam campione defendat. Si campionum vnus ab altero inter decertandum interficiatur, ſi ingenuus, ab eo, qui iniuſtè eum inuitauit, XII. ſolidis, nec ampliùs, componatur. Qui liberum mortuum monumento reſſum ſpoliauerit, parentibus illius ſolidis XL. componat, & ipſum etiam furtiuum quod tulit. Si quis occultè liberum occiderit, cadauer in profluentem, aut aliò abiectum condigna ſepultura, & exſequijs priuet, XL. primùm ſolidis, deinde VVeregeldo componat. Qui verò liberi hominis cadauer ad litus deuolutum aquis iterum immiſerit, ſolidis XX. componat. Seruus eo modo occiſus, atq; abſconſus, nonuplo, id eſt CLXXX. ſolidis componatur. Qui veſtitu à ſe interfectum ſpoliauerit, dupliciter componat. Cadauer hominis mutilans, ſingula membra ſingulis XII. ſolidis componat. Si repertum ne à feris dilaceretur pietate motus humauerit, à parentibus, aut domino illius, ſolidum accipiat. Qui alterius nauem loco ſubmouerit, illæſam, aut æqualem reddat. Extra aquam verò protractam ſi celauerit, interrogatus negauerit, vt furtiuum componat. Qui canem venaticum abſtulerit, ipſum, aut ſimilem reddat, & ſex ſolidis componat: paſtoralem tribus. Illis legibus Bauari ante aliquot ſecula paruere: non-

Periurij animaduerſio.

Campionũ cauſæ.

De mortuis & eorum cauſis.

De [illegible]giis

De canibus

nullisq; adhuc. Siquidem qui Christianæ pietatis obseruantißimi sunt, ad externa angustiora templa sturnatim peregrinantur, Aquisgranum præcipuè. Duo etiam prouinciæ loca miraculis sanctorum, & peregrinorum frequentia clara, Virgo Maria Otingæ, & beatus VVolfgangus. Regio vitibus, præterquàm vbi australior est, non seritur. Nemorosa multùm est, & montuosa. Sues glandibus, syluestribúsve pomis, credo, tanta copia nutrit, vt veluti Hungaria boues, ita hæc sues cæteris Europæ nationibus largè suppeditet. Est gens adeò suillis & ipsa moribus famosa, vt cæteris Germanis comparata Barbari (Barbari dico) nomen ipsi optimè conuenire nemo non videat. Duobus vitijs plus alijs insignes, inhospitalitate videlicet, & furto. Vestitu vt plurimum blauo colore amicitur, ocreis libentiùs, quàm caligis, calciatur. Baioariæ, siue Bauariæ ad Austriam contigua est partim Carinthia, partim Styria. Est Carinthia montana regio Carnis ad ortum, Styriæ ad occasum ac meridiem iuncta, Alpes Italas & forum Iulij contingit: multæ in ea valles colléisq; feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus, qui per Styriam ac Pannoniam in Danubium fertur haud inferior Sauo. Imperium Austriæ principes obtinent, & Archiducem appellant, cui ea regio paret. Quoties nouus princeps Reipublicæ gubernationem init, solennitatem

Duobus viciis obnoxii Bauari.

Carinthiæ limites.

Drauus amnis.

Sauus amnis.

nusq

nusquam alibi auditam obseruant. Non longè ab oppido S. Viti in valle spatiosa dirutæ ciuitatis vestigia visuntur: nomen loci vetustas perdidit: nec procul hinc in patentibus pratis erectus lapis marmoreus est, quem, quum dux creandus est, rusticus quidam, cui per stirpis suæ successionem hæreditariò id officium debetur, ascendit, ad dexteram bouem habens fœtam, nigri coloris: ad læuam equa illi sistitur strigosa, macieque insigni, frequens circa populus, agrestiúmque turba ingens: dux inde futurus ex aduerso mouet purpuratorum multitudine septus: præcedunt principatus signa, omnésq; in toto comitatu egregiè culti, præter futurum ducem. Is agresti habitu, pileo tectus, calceos & pastoralem baculum gerens, pastorem agit magis, quàm principem. Hunc venientem intuitus qui lapidem obtinet, Illyrica voce (sunt enim Carinthij Illyrij, hoc est, Sclauoni) quis est hic, exclamat, qui tam superbè incedit? Respondet circumfusa multitudo, principem regionis aduentare. Tum ille, Iustús ne iudex? salutem patriæ quærens? liberæ conditionis? dignúsne honore est? Christianæ pietatis cultor ac defensor? clamatur: est quidem, & erit. Rursus idem, quæro quo me iure hac à sede dimouebit? Respondet ducalis aulæ magister, Sexaginta denarijs hic abs te locus emitur: iumenta hæc tua erunt, ad bouem & equam manum intendens. Vestimenta, quæ dux

Festiuitas in noui ducis acceptione miranda.

Princeps in agresti habitu.

Carinthiorum lingua

exuet, habebis, erisq; tu cum domo tua tota liber à tributo. Quibus dictis, rusticus malam Principis percutit, alapa leniter incussa, iubetq; æquum iudicem esse: præmióque abducto, loco cedit. Tum lapidem Dux occupat, nudum gladium vibrans ad omnem se partem vertit: populum affatur, pollicetúrque se æquum iudicem futurum. Ferunt & aquam agresti pileo oblatam potare, in futuræ sobrietatis argumentum.

Solemnensis ecclesia. *Deinde ad Solemnensem ecclesiam, quæ in proximo tumulo sanctæ Mariæ vocabulum & nomen habet, perductus, sacrificijs interest. Quibus peractis, humili veste, qua adhuc indutus est, deposita, paludamentum induit, splendidéq; cum proceribus suis conuiuatur. Postremò in pratum reuertitur pro tribunali sedens, ius dicit, & feuda confert.*

Honos principem inuestiendi rusticis datus. *Hic honos Principis inuestiendi rusticis datus est, quòd illi primùm in ea terra Christi fidem accepere, nobilibus & Principibus in errore adusq; Caroli magni tempora permanentibus, quando & ipsi baptismati admoti sunt.*

Carinthiæ Dux imperii venator. *Fuit Carinthiæ Dux venator Imperij, vnde ad eum lites & contentiones venatorum omnium deferebantur: vocatus in iudicio coram Imperatore querulantibus non nisi Sclauonica lingua respondebat.*

Consuetudo furibus grauis. *Est & alia huius prouinciæ consuetudo in oppido Klagenfuribus durißima: Si quis in furti suspicionem venerit, euestigio suspenditur: postridie de suspicione iudicant: si sontem inueniunt, pendere*

sinunt

sinunt donec per partes ad terram defluat cadauer. Insons repertus sepelitur, exsequiaq; ex publico persoluuntur. Pellibus natiui velleris haud fucati Carinthij teguntur, vulgóque capita pileo obmuniunt: sermone loquuntur Sclauonico. Styrij verò agrestes vulgò populi sunt & strumosi, adeò quidem ingenti struma, vt ipsis loquelam impediat: & mulier lactans illam post tergum perinde atque saccum reijciat, (si fama vera est,) ne infanti impedimento sit. Strumæ causam aquæ aërique, quibus vescuntur, incolæ tribuunt. Styriani ipsi cultu & sermone Germani sunt, præter Draui accolas, qui Illyrica vtuntur lingua. Sal ibi coquitur, quod ad finitimas gentes defertur. Regio ferri & argenti ferax, sed Principum incuria parciùs foditur. Valeria olim dicta fuit, montana plurimùm præterquam ad ortum, quà Panno-niæ finitima est, ea parte vastam effundit planitiem.

Styrij vulgò strumosi

Strumæ causa.

Sal Styrianum.

Styria olim Valeria dicta.

De Italia, Italorúmq; moribus. Item de Romulo & eius ciuilibus institutis.

CAP. XVIII.

ITalia Europæ regio, priùs Hesperia ab Hespero Atlantis fratre, qui à fratre pulsus, & Hispaniæ & Italiæ dedit nomen: siue, vt Macrobius inquit, ab Hespero stella, quòd illius occasui subiecta sit. Oenotria etiam dicitur, vel à bonitate vini, quod in Italia nascitur:

Hesperia.

Oenotria.

nam Græci Oenum vinum dicũt.: vel ab Oenotrio Sabinorum rege. Posteà Italia ab Italo Siculorum rege, qui agriculturam Italos docuit, & leges posuit: nam ad eam partem venit, in qua postea Turnus regnauit, & à suo nomine appellauit, vt Virgilius probat:

Italiæ appellatio.

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ:
Oenotrij coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Timæus autem & Varro à bobus vocatam putant, quoniam Tauri Græca veteri lingua Itali appellati sunt, à quorum multitudine pulchritudinéque Italiam dixerunt. Latium pars illa, vbi ostia Tyberina sunt, dicitur, quemadmodum Ausonia, vt Aristoteles inquit, pars ad Tyrrhenũ versa, Crucis forma inter Adriaticum & Thuscum mare iacens, ab Alpium iugis & Apennini porrecta, se paulatim tamen ad Rheginum vsq; attollens verticem, & litora Brutiorum. In vltimo sui in duo cornua scinditur, quorum alterum Ionium spectat mare, alterum Siculum: in extremitate Rhegium oppidum habens. Eius longitudo ab Augusta Prætoria per Romam Capuamq; porrecta vsq; ad oppidum Rhegium, Solino teste, decies centena & viginti millia passuum colligitur. Latitudo verò quadraginta decem, vbi latior: vbi breuior, centum triginta sex: habetq; vmbilicum in agro Rheatino, qui dudum

Latium.
Ausonia.
Italiæ forma.
Longitudo Italiæ.
Latitudo Italiæ.

ex latere maris superi Rubiconem fluuium pro
finibus habuit. Diuiditur Italia in multas re- Italiæ regiones.
giones, à Varo flumine ad Macram Liguria Liguria.
terminatur, vbi Genua illustris ciuitas. Inde ad
Tyberinum amnem Hetruria, vbi Pisæ. A Ty- Hetruria.
beri ad Lyrim Latium, vbi Roma, intus An- Latium.
tium in ora: à Lyri ad Sarnum Campania, vbi Campania.
Neapolis. Inde ad Silarim Picentinorum regio, Picentinorum regio.
vbi Surrentum & Salernum: à Silari ad Laium
Lucania, vbi Pæstum & Buxentum: à Laio Lucania.
ad Leucopetram Brutium, in quibus Rhegium Brutium.
Iulium; à Leucopetra ad Iapygium promonto-
rium, quod & Salentinum, magnæ Græciæ ora
est, vbi Croton & Tarentum: ab Iapygio ad Magna Græcia.
Brundusium Calabria, vbi Hydruntũ: a Brun- Calabria.
dusio ad Garganum Apulia, vbi Barium & Apulia.
Salapia: à Gargano ad Sari fluuij ostia Fren- Frentinorũ regio.
tinorum regio, vbi Isconium: à Saro ad Aper-
num amnem Marrucinorum ora, vbi Orton: Marrucinorum ora.
ab Aperno ad Aesium fluuium antiquissi-
mum Italiæ terminum Piceni, quorum An-
con: ab Aesio siue Asio, vt quidam scribunt, Picenorum ora.
ad Rubiconem recentius Italiæ confinium Se- Senonum regio.
nones, quorum Phanum fortunæ, Pisaurum &
Ariminum: à Rubicone ad Padi ostia Boij, Boii.
quorum Rauenna: à Pado ad Tiliauemptum
Veneti, vbi nunc Venetiæ: à Tiliauempto ad Veneti.
Natisonem Carni siue Foroiulienses, vbi Aqui-
leia: à Natisone ad Arsiam Iapyges & Istri,
quorum Tergestum & Formio amnis &

ipse aliquando Italiæ finis. Apenninus mons totam terram velut in duas diuidit plagas, hanc ad occasum & meridiem, illam ad septemtrionem & ortum obuersam, ab Alpibus primò in Liguriam excurrens, mox inde Cisalpinam Galliam & Picenum ab Hetruria & Sabinia dirimit, Anconémque progreditur, vnde auersus in Apuliam & Garganum montem extenditur, Marrucinorum, Pelignorum, Frentinorum terram à Latio Campania separans: Vltimus eius conatus ex Gargano est ad Leucopetram, hinc Apuliam habens, Calabriam, & magnæ Græciæ oram, Picentes, inde Lucanos & Brutios. Est Italia metallis grauida, vbique vitalis & perennis salubritas eximia cæli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munifica syluarum genera, mira frugum, vitium, & olearum fertilitas, nobilia pecori vellera, opima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina, fontesq; saluberrimi, portus plurimi, ipsa auidè ad mortales iuuandos in maria procurrens, & velut gremium omnium gentium commercio pandens, vt verè dicta sit à quibusdam terrarum omnium alumna, atq; eadem parens, cælestium prouidentia electa, quæ sparsa congregaret imperia, mollirétque efferatarum gentium ritus: discordes ad colloquia linguas munere literarum, Latinóque sermone congregaret. Cæterùm, vt gentes sileam (nam longum esset numerare)

Apeninus mons Italiã discernens.

Laus Italiæ

Italia terrarum omniũ alumna & parens.

quas Itali Romani lingua & armis vicere, tantum vna Quiritum ciuitas virtutum omnium valuit exemplis, quantum omnis Græcorum eloquentia præceptis, qui, quasi ita futurum diuinassent, vt hæc vna terra omnibus esset gentibus imperatura, quotam ipsius partem magnam Græciam dixere, &, vt breuiter dicam, non sine prouidentia accidit, vt quum Deus optimus terras inuisit, tum ibi cunctarum gentium arx esset & Imperium, vbi mox Christiani nominis futurum erat caput. Color Italis & statura penè diuersa est. In Cisalpina Gallia, Venetóque recessu color vulgò candidus, cultus & sermo accuratior: contrà in Hetruriæ tractu, Latio, Campania, Lucania, & Brutijs aquilus, capillus niger, breuior statura, & macilenta, sermo & cultus simplex. Omnia similia in Piceno, & his, qui superi maris oram accolunt, in magnam Græciam vsq;, nisi quòd in Apulis, Calabris, & ijs, qui extremam tenent Italiam, victus & sermo cum Græcis promiscuus durat. Tota Italia, vt omnis ferè Europa, vno matrimonio semper contenta fuit. Repudium ex vrbe Roma translatitium. Hîc Spurius Carbilius sterilitatem coniugis causatus, primus vxorem repudiauit. Triplex olim in regionis ciuitatibus conditio fuit, Seruilis, Libertina, & Ingenua. Ingenuorum triplex ordo, Plebeius, Equester, & Patritius. Sacrorum ratio penes pontifices & flamines, & alia quædam

Quiritum ciuitas. Romæ laus.

Hominum color, cultus, & statura.

Ciuium triplex conditio.

Ingenuorũ triplex ordo.

coll

Dictatoris dignitas. collegia esse, alia alijs dæmonibus sacra facere. Summus honos & potestas in dictatore, à quo nulla fuit prouocatio. Ea dignitas semestris fuit, & ad eam per gradus fiebat à quæstura accessus, per ædilitatem, præturam, consulatum, & censuram: non quòd semper per

Dignitatũ ordo. Militiæ gradus. hos gradus iretur, explendúsque esset numerus, sed in dignitate, potestatéque hic ordo erat, vt in re bellica certi militiæ gradus: miles Centurioni parebat, Centurio Tribuno, Tribunus Legato, Legatus Consuli, seu alteri, cuius essent auspicia, Magister equitum Dicta-

Legitima militia decennalis. tori. Legitima militia decennium habuit, si non prius debellari cum hoste contigisset, aut missio aliqua intercidisset, quæ nomine & re non vna fuit. Præter legitimam illam, cuius nunc

Causaria militia, ignominiosa mentio facta est, fuit & causaria: hæc vt priore illa minus pulchra, ita reliqua honestior, quæ ab re ignominiosa dicta est. Militaris ætas ex Seruij Tullij præscripto à septemdecimo anno in octauum & quadragesimum decurrebat. Pacati in toga agebant, bellantes in sago, & paludamento: bella feciali iure inferebantur, illatáque soluebantur non nisi legitimè. Ciuitates aut sociæ, aut coloniæ, aut mu-

Municipes Coloni. nicipia dicebantur. Municipibus alijs ciuitas cum suffragio data, alijs sine suffragio. Coloni

Decuriones et membrum ciuitatis erant, & Romanis viuebant legibus, municipes suis. In his Decuriones erant, quòd Romæ Senatores. Purpura patrit

patritium distinguebat ordinem ab equestri, aurum equestrem à plebeio. Maiestatis iudicia totius populi erant: rerum capitalium, iudicum, qui ad id sorte lecti essent, ex ea decuria, quæ eo anno iudicaret: ciuilium rerum, pretoris centumuiralis hastæ, aliáque aliorum. Et hi olim Italicarum ciuitatum & gentium in vniuersum mores erant, institutionem hanc à Romulo trahentes. Romulus enim postquam ciuitatis Romanæ muros, fossas, munitiones, & necessarias exstructiones perfecisset omnes, ad ciuium statum se conuertens ita ordinauit: Diuisa in primis trifariam omnis populi multitudine, singulis partibus singulos præfecit duces clarissimos: deinde trium rursus earum partium vnamquamque diuidens in denas partes æquales, harum quoque duces designauit viros fortissimos: vocauit partes maiores tribus, minores curias: homines tribuum ducatus habentes tribunos: qui verò curijs præsiderent, curiones dici poterant. Erant autem & in decurias diuisæ curiæ ducésque earum decuriones appellati. Omnibus itaque in tribus & curias diuisis, agrum in triginta partes diuidens, suam cuique curiæ partem tribuit, tantum ipse agri accipiens, quantum quidem ad sacrificium, templáque satis esset: partem quoque agri publicam relinquens. Sicq; vna diuisio regionis & hominum communem continens æquabilitatem fuit. Altera item hominum ipsorumque fuit, commoda

Patritii Equestres. Plebeii.

Romanæ ciuitatis ordinatio.

Hominum multitudo diuisa.

Agri in singulos diuisio.

Altera multitudinis hominum segregatio.

moda & honores pro dignitate cuiusque partiens, Illustres enim genere, & spectatæ virtutis viros tum diuites, & quibus erant filij, ab ignobilibus discreuit, humilibus & egenis, vocauitque tenuioris fortunæ homines plebeios, & qui melioris erant conditionis, patres: his de causis progenitos eorum deinceps patritios vocabant. Romulus vbi maiores à minoribus discreuerat, leges dehinc posuit, statuítque quid Patritiorũ officia. *vtrosq; agere opus esset. Sacra quidem patritios perficere, magistratus gerere, ius dicere, ac secum quoque publica administrare, vrbanis ipsos* Plebeiorũ officia. *maximè negotijs intentos esse: Plebeios autem his muneribus solutos, quum inexperti essent, & ob inopiam negotiosi, agricolari simul, & pascere pecora, quæstuariásque exercere artes. Ne verò dissiderent, aut iniurijs locupletum in humiles, aut leuium, egenorúmque hominum in excellentiores inuidia, commendauit ipse patritijs plebeios, vnumquemque eorum permisit,* Patronus. *quem vellet sibi patronum eligere, patrona-* Patronatus *tum vocans, susceptum pauperum, humiliumque patrocinium: & officia instituens vtrisque commoda, beneuolas ciuiléśque eorum coniunctiones fecit: vt illi tuerentur clientes, tanquam* Clientes. *patres filios: clientes è conuerso patronis obsequiosi essent: communiter autem vtrisque neque pium, neque fas erat accusare se inuicem, nec aduersus se testimonium dicere, nec cum inimicis numerari: sicq; firmior erat Romano-*

rum

rum concordia. Consiliarios post hæc instituit, centum viros ex patritijs eligens, fecitque delectum eorum hoc modo: Ipse vnum ex omnibus optimum designauit, cui committenda essent vrbana negotia, quum ipse exercitum extra fines duceret: tribuum vnicuique edixit, vt tres viros ex se deligeret, qui ætate & generis splendore, censúq; excellerent: post hos autem nouem viros, etiam curijs singulis imperauit tres maximè idoneos ex patritijs eligere, posteáque nouem primis à tribubus electis addens istos nonaginta, quos curiæ suffragijs prætulerant, eo quoque, quem ipse elegerat, duce addito, centum consiliariorum numerum expleuit, & à Romanis Senatus dici cœptus est, qui ob auctoritatem Patres, ob ætatem Senatores dicti sunt. Deinde trecentos viros ex generosissimis familijs eligens robustissimis corporibus, quos Curiæ renunciarunt, eodem modo, quo antea Senatores, singulæ denos iuuenes, eos semper circum se Romulus habuit. Nomen commune omnes habebant, Celeres vocati, ab exsequendi ministerij celeritate, custodes regis erant. Regis autem hæc officia, primùm quidém templorum, sacrificiorúmque principatum tenere, agere(que) eum omnia in honorem cultumq; Deorum pia. Deinde legum, morísque patrij custodem ipsum fieri, iurisq; simul omnis: Senatum cogere, populum conuocare, potestatemq; sibi in bello Imperatoriam esse. Senatorio ordini.

Centū viri consiliarii delecti.

Senatus. Patres. Senatores. Trecenti ro bustissimi. electi.

Celeres.

Regis officia.

Dignitas Senatui concessa.

ordini honorem & potestatem talem attribuit omni de re, de qua referret regno, cognoscere, atque suffragium ferre, & quod visum maiori parti esset, id vincere. Plebi deinde tria hæc dedit, magistratus creare, leges sciscere, & de bello decernere, quū rex vellet: neque tamen potestatem horum absolutam, nisi & senatus approbasset. Ferebat populus suffragium non viritim, sed per curias conuocatus, & quod pluribus visum esset curijs, ad senatum referebatur. Nunc autem mos iste suffragiorum in plerisq; locis conuersus est: neque enim de plebiscitis senatus iudicat, sed eorum, quæ senatus cognouit, populus est dominus. Ex hac autem diuisione Romuli non ciuilia modò negotia, sed bellica quoq; Celeres isti exsequebantur. Quandocunque enim ei visum esset exercitum educere, nec tribunos tunc per tribus: nec per curias centuriones, neque præfectos equitum creari oportebat, sed rex tribunis mandare, illique curionibus, è quibus deinde decuriones edocti statutos sibi quisque milites educebat. Vnà enim decenter instructi aderant. Mille etiam pugnatores elegit, vt quidam scribunt, quos ob numerum milites nominauit. Tum ipse se Imperij insignibus, & cætero habitu, & duodecim lictoribus cum fascibus præcedentibus, augustiorem populo reddidit: in quo fascium numero duodecim vultures, qui ei augurium fecerunt, videri potest Romulus secutus, nisi

Plebi tria côcessit Romulus.

Suffragandi ritus.

Celerum officia.

Mille pugnatores de lecti milites.

Lictores cû fascibus.

ab Hetruscis morem ipsum aliquis potiùs sumptum dixerit. quibus quum duodecim populi essent, magistratumque vnum communi nomine crearent, singuli suum illi apparitorem dare consueuerunt. Sella curulis, Trabea, & aliorum Romanorum regnum insignia omnia inde haud dubiè fuerunt. Romulus etiam ciuitatis vires augere volens, causam honestam commentus, & rem in honorem Dei referens, templum loco in vmbroso erigit, confugientibúsque ad illud sponsor factus est per speciem religionis erga Deos, nihil eos mali ab inimicis accepturos: ac si permanere apud se vellent, ciuitatis etiam participes faciebat, tradebátque agri portionem, quam bello quæsierat. Fuit item & aliud institutum, vt ne captas bello vrbes funditus euerterent, aut in seruitutem redigerent: verùm missis in eas colonijs pro portione aliqua regionis colonias Romanorum facerent vrbes victas & Reipublicæ participes. Cæterùm post Titi Tatij cædem, cum quo & Sabinum & Romanum populum in vnum confluxum quinque annis gubernarat, Romulus ad sacra conuersus, publica, & priuata multa instituit. Legem de matrimonijs tulit, vt mulier viro socia esset pecuniarum, & cæterarum rerum, sacrorum etiam, & vt viueret ad mariti sui morem, domusq; vt ille dominus, ita & hæc domina. Morienti viro sine liberis succederet: si cum prole, æqua sit illi

Apparitores.

Lex in bello obseruãda.

Leges à Romulo latæ. Mulier viro æquata.

pars sua. Adulterij conuictam vir & cognati vt vellent necarent. Si vinum bibisset domi, vt adulteram punirent. Quo instituto videri potest apud Romanos morem inualuisse, vt quoties viri domum se reciperent filias & vxorem exciperent osculo: an, vt Portius Cato prodidit, olerent temetum. Vt enim corruptionem insaniae principium arbitrati sunt, ita corruptionis ebrietatem. Parentum in liberos vt omne ius sit statuit, siue vellent coercere, siue verberare, siue vinctum rustico opere detinere, vendere quoque permisit & occidere. Si quis à patre venditus se in libertatem vendicarit, vt iterum ac tertiò patri ius vendendi sit. Fuit id legis caput CCC. *deinceps anno in duodecim tabulis relatum. Mitigauit tamen nonnihil austerum carmen Numa Pompilius, qui tulit nullum patri ampliùs ius in filium oportere esse, vbi illius iussu duxerit vxorem. Sequuta & alia instituta. Ne quis liberae fortunae sedentariam exerceret artem. Militaris disciplina & agricultura ciuibus permissa: vnde laudationis mos ille manauit ad posteros, Bonus miles, bonúsque colonus. Imperfectum putabat rex, vtramq; vitam alteram ab altera separari, necesse esse & humum exerceri, & belli obiri munera, vt lex Lacedaemoniorũ habet. Operi omnes pacis tempore vacare rustico praecepit, permisit tamen mercari etiam, quando res aliqua desiderabatur. Nec religionis immemor,*

Vinum mulieribus Romanis prohibitum.

Ius parentibus in liberos concessum.

mor, templa, aras, deorúmque simulacra constituit. Adiecit & dies fastos, sacrificia, ferias, nundinas, & alia pleraq; ad deorum cultum pertinentia: peregrina sacra, & ea in primis, quæ Græcanico fieret ritu, ea vrbe exclusit, præter Herculea tam inde ab Euandri temporibus instituta. Halicarnasseus Dionysius Varronem secutus L X. ait sacerdotes, qui publica sacra facerent tributim, curiatimq; ab eo institutos, additos & his Aruspices diuinationum interpretes: Curiarum singulis genius suus cum sacrorum ministris datus, communisq; omnibus, Vesta, & annus in decem menses digestus. Quibus nemo non potest intelligere fuisse Romulum diuinarum, humanarumq; rerum non imperitum, nec ante Numæ regnum populum Romanum sine moribus & religione, vt plerique autumant, mansisse. Has ciuiles disciplinas Romulus dedit. Numa Pompilius, qui post eum regnum accepit, plures alias adiecit: annum ad cursum Lunæ in duodecim digessit mēses, quum Romulus ex decem antea constituisset: mutatóque mensium ordine, Martius, qui primus tum fuit, ac ineuntem inchoabat annum, duobus Ianuario & Februario prælatus, tertius in ordine est factus. Fastos quoq; dies fecit & nefastos, quibus nihil cum populo agi poterat. Flaminem vnum Ioui creauit; qui Dialis est dictus, eum insigni veste, curuliq; sella excoluit. Adiecit & alios duos, Marti vnum,

Peregrina sacra vrbe exclusa.

Herculea sacra.

Vesta dea tributim venerata.

Annus in mēses duodecim.

Fasti & nefasti dies.

Virgines Vestales.

Duodecim Salii.

Pontifex creatur.

Quirino alterum, ab insigni, quod capite gestabant, quasi Filamines dictos. Vestæ virgines legit. Hæ decem primos annos sacrorum ritum perdiscebant, totidem deinde operabantur sacris: tertio decennio rudes, & nuper captas instituebant: postea verò, si quæ nubere vellet, fas erat alterum mallet sequi. Salarium his ex publico constituit, perpetua virginitate interim, aliisq; ceremoniis venerabiles fecit. Si qua incesti conuicta esset, ante ora ciuium mœsto silentio efferebatur, viuáque circa Collinam portam in subterraneum specum demissa, telluréque superingesta necari. Gradiuo Marti duodecim sacrauit Salios: hi mense, qui ab eo nomen traxit, plures dies celebribus locis vrbis solenne ducebant tripudium: tunica versicolori tegmine puniceo distincto amicti, æneo balteo, & gladio succincti: dextera lanceam, virgámque gestabant, læua thraceam ex ære peltam, altioribus pileis, & in conum exeuntibus capita insigniebant. Nihil ab his diuersos fuisse Dionysius opinatus est, quos Græci Curetas dixêre, Romani à solenni saltatione Salios, Pontifex est deinceps ab eo creatus, cuius potestati omnia Sacrorum iura subiecit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fieri oporteret, formula edocuit. Interiecti etiam sunt tot sacris ordinibus Feciales: his ea cura tradita, vt Romani nullum iniustè bellum inferrent cuiquam. Si qua per iniuriam

riam Romanis adempta essent; res ablatas ab hoste repetebant: quæ si non redditæ essent, bellum composito ad id carmine indicebant. Pari potestate sontes, res iustè repetentibus ad supplicium dabant: legatorum iniurias vindicabant: hi quæ pia in fœderibus essent tueri, sancire pacem, eandem si minus legitimè pacta esset, irritam habere; si quid Imperator, aut exercitus contra publicum iusiurandum deliquisset, scelus expiare. Puerum trimo minorem lugeri vetuit, neque natu grandiorem plures menses lugendum censuit, quàm vixisset annos. Tempus longissimi luctus in decem menses extendit. Populum in diuersa distribuit collegia, Tibicinum, artificum, architectorum, infectorum, sutorum, coriariorum, fabrorum, figulorum, & ex variarum artium opificibus contractus vnum omnium nouissimum, sua singulis sacra venerationesq; dijs reddendas distribuit. Seruius Tullius in classes & centurias omnem ciuium multitudinem diuisit. Quorum ordinum ratio hæc fuit, vt hi, quorum res centum millibus censerentur, in prima classe essent, quæ cẽturias habuit octoginta. Pari numero iuniorum seniorúmque, vt hi ad vrbis custodiam præsto essent, iuuenes foris bella gererent, arma vtrisq; imperata, galea, clypeus, lorica, ocrea: & hæc, quæ corpus tegerent: in hostes hasta & gladius. Additæ huic classi duæ fabrorum centuriæ, qui in bellum machinas

Lugendi ratio.

Populi in collegia distributio.

Populi in classes distributio. Prima classis.

ferrent, & ob id inermes. Altera classis ex viginti facta est centurijs, quarum census ab quinque & septuaginta millibus ad centum millia extendebatur: arma illis scutum, galea, ocrea, lorica dumtaxat adempta: tela in hostes eadem: idem ætatis discrimen. Tertiæ classis census in quinquaginta millia descendit, totidem centuriæ, nec in armis quicquam præter ocreas variatum, par centuriarum numerus. Quartæ classis census adhuc minor, quippe qui a quinquaginta millibus in summam dimidio minorem contraheretur. nihil his datum præter verutum. Quintam classem triginta centuriæ expleuere, fundam his & lapides missiles ferre in pugnam commissum. Cornicines, tibicines, cum ipsis censi, in treis centurias distributi: quadraginta millibus æstimata est hæc classis. Minor deinceps census reliquam habuit multitudinem, cui ob inopiam militiæ munus, tributumq; Tullius remisit. Ciues iuramento adegit, vt singuli bona sua æstimare, quibus parentibus orti essent, quos filios haberent, cuius ipsi ætatis, cuius vxores, liberiq;, quæ illorum nomina, quo vrbis loco, aut quo regionis pago domicilium haberent: proposita his, qui fallerent, pœna, vt ademptis bonis, ipsi, verberibus cæsi, venderentur. Peditum numero distributo, ex primoribus ciuitatis nouos scripsit equitum ordines, vt cum ijs quæ fuerant sub Romulo inaugurata, quæq; illis

Secunda classis.

Tertia classis.

Quarta classis.

Quinta classis.

Ciuitatis census.

Equitum ordo.

illis posteà à Tarquinio additæ, duodeviginti essent centuriæ: dena millia æris singulis ad emendos equos data ex publico, & ad eos alendos duo millia in annum constituta. Viduæ equitibus attributæ, quæ annuam pecuniam penderent. Fuerunt equitum peditumq; centuriæ centum nonaginta tres, quibus, in ferendis suffragiis, sua omnibus ordinibus seruabatur dignitas, vt, qui plurimi censi essent, maiora bellorum onera sustinerent, (nam ita comparatum à Seruio erat, vt non viritim, vt anteà, sed pro census æstimatione singuli tributa penderent) hi primo loco suffragia inirent. Cæterùm habuit prima classis octoginta peditum centurias, inibántque cum his equites suffragia, quòd Dionysius demōstrat, vt octo & nonaginta centuriæ primo loco in suffragium vocarentur. Excedebat hic numerus dimidium suffragiorum, quo factum, vt quod his suffragantibus conuenisset, pro decreto haberetur quicquid id esset quapropter missus esset populus in suffragia. Si hîc, quòd rarò accidere solebat, variatum esset, secundæ classis centuriæ vocabantur: atque aliæ deinceps aliarum ordine, ita, vt ferè nunquàm sit ad extremam classem peruentum. Tullij regis prudentia comparatum, vt ordines in eo paria facerent, vt iis, qui maiora sustinerent onera, id incommodi suffragiis reponeretur: quibus licèt nemo exclusus videretur, vis tamen omnis

Tributi pēsio.

Suffragandi ratio.

penes equites & primæ claßis centurias esset constituta: in quorum potestate fuit creare quos vellent magistratus, sancire leges, bella indicere: quorum trium potestas ab initio fuit à Romulo populo data. Deinde Tarquinio ex vrbe eiecto iterum mutata regiminis forma est, pro regibus Consules habere cœptum, quibus omnia insignia permissa, quæ fuerant & regum, præter coronæ togæq; palmatæ vsum: quum Brutus cum Collatino libertatis vindex hanc dignitatem centuriatis comitijs consequutus ciues sacramento adegit, ne mortalium quemquam ampliùs Romæ regnare paterentur. Senatorum numerum in trecentorum summam expleuit. Regem sacrificulum creauit, qui ea sacra perpetrauit, quæ reges facere consueßent. Leges Valerius tertius consul tulit, quibus prouocatio à consulibus ad populum est permissa, vt capitale esset huic, qui iniussu populi magistratum caperet: Ciuium vectigalia tollerentur; quo contigit, vt vulgò promptiores ad quæstus & opificia sint homines facti: Addidit & alio capite, vt quæ tyrannidem affectaret, impunè occideretur. Aerarium, in quod publica pecunia repponeretur, Saturni templum constituit: populo, vt duos quoque quæstores crearet, permisit. Creatus tamen non longè post magistratus, ab cuius imperio nulla esset prouocatio, dictatoris ei nomen inditum, à dictandi quæ vellet potestate, siue à dicendo potiùs,

Equitum dignatio.

Consules inducti.

Senatores trecenti.

Rex sacrificulus.

Aerarium constitutũ.

Quæstores creati.

Dictator in vrbe.

tius, quia non populi suffragio creari contigisset, sed ab vno esset dictus, qui tum summum in vrbe imperium haberet. Hunc creandi Dictatoris morem videri possunt Romani à Græcis accepisse: quibus, vt Theophrastus tradidit in libris, quos de regno scripsit, in certum tempus tyrannos, quos Esymnetas dixerunt, legere moris fuit. Semestris illius dignitas apud Romanos fuit: nec alio pacto creari solebat, quàm quũ vis aliqua maior repentè exorta ingentem vrbi cladem minitari videretur: huic cæteros magistratus eligere licebat, vt Magistrum equitum, qui secundam post eum dignitatem gerebat, præsertim in equites & accensos: iungebatur Dictatori, sicuti regibus tribunus. Spurio Cassio & Posthumio Cominio consulibus plebi datum est vt & suum haberet magistratum, qui sacrosanctus esset, qui inuiolabilis, cui auxilij latio aduersus consules esset, disertè expressum, ne patrum cuiquam eum magistratum capere liceret: hic Tribuni plebis nomine dicebatur. Tanta fuit ipsorum postea insolentia, vt, nisi eis placerent, decreta consulum & senatorum cassarent: comitijs creabantur, siue auspicijs, siue religione primùm duo numero, deinde tres additi, ad vltimum adhuc quinque. Tria Comitiorum genera Romæ olim vsurpata sunt: Curiata, quum ex generibus hominum suffragium ferretur, nomenq; ideò rei datum, quòd curiatim per lictorẽ calarentur. Centuriata, quũ ex censu

Magister equitum.

Magistratus sacrosanctus.

Tribuni plebis.

Tria comitiorum genera.

& ætate fieret, quorum ratio abundè relata est: cæterum, vt illa per lictorem, ita hæc per cornicinem calari solita. Tributa reliquum genus appellatum, ex regionibus & locis conflata. Ex patribus centuriatis Comitijs Decemuiri sine prouocatione creati. Et in eos publicæ administrationis ratio omnis à Consulibus translata est, vt olim à regibus ad consules: hi condere leges iußi, decimo die ius singuli in orbem dicebant, quo in decem tabulas complexo, quod faustum felixq; esset, leges decem tabularum populo promulgauere: duodecim fasces præcedebant eum, cuius erat iurisdictio, cæterus singuli accensi. Sed diu non durauit magistratus ille, quippe qui vt Tribunitia potestas ab eo ex vrbe in perpetuum tolleretur, à patribus excogitatus fuerat, re cognita, ab ipsis tribunis ipse sublatus est. Tum lege cautum, vt quod plebs vellet, totus populus teneret. Et alia, vt qui Tribunis plebis vel Aedilibus iudicibus noceret, eius caput Ioui esset sacrum, familia ad ædem Cereris liberi liberaq; venderentur. Item, vt alter ex plebe consul deinceps crearetur: atque vt inter patritios & plebeios connubia promiscua essent. Censores præterea creati duo, quibus scribarum ministerium, tabularum cura, censendi formula commissa. Res parua ab initio, sed quæ procedente tempore multò maiora, quàm ab initio credibile fuerit, habuit incrementa. Tanta illis digni-

Decemuiri creati.

Leges decē tabularum promulgatæ.

Censores duo creati.

tio,

tio, tanta auctoritas, vt omnis morum, ciuilisq; disciplinæ ratio ipsorum esset. Regimen adhæc senatus, equitum, centuriarum, omne decoris ignominiæq; discrimen, horum priuata & publica loca recognoscere: vectigalia populo Romano locare, censum agere, lustrum condere, Senatores è senatu remouere, notare infamia. Quinto quoque anno creabantur. Magistratus & alius superadditus, qui ius diceret. Prætorem hunc vocare placuit, huic omnis publici priuatiq; iuris potestate permissa, nouum ius condere, & vetera abrogare facultas. Erat vnus ab initio, qui vrbanus dicebatur: quo non sufficiente (quòd multi peregrini in ciuitatem venirent) alius creatus est, peregrinúsque vocatus, quòd plerumque inter peregrinos ius diceret. Honorarium ius illud appellabatur à magistratus honore: regia illis insignia, & apparatus consulibus penè æqualis. Permansit hic ciuitatis status ad Iulij Cæsaris vsque tempora, qui monarchiam, quæ longa posteà Imperatorum serie retenta est, iterum induxit. Ludus Romæ celebrabatur, qui magnus Circensis etiam, & plebeius dicebatur, eius pompa ex Capitolio per forum in Circum maximum mittebatur tali apparatu: Equitum filij, quibus ætas apta esset pompæ, equis sedentes, quique pedibus stipendia facturi erant, suis alis centuriisque discreti præcedebant, vt exteris gentibus

Prætores duo, vrbanus & peregrinus.

Ius honorarium.

Ludus Circensis, siue plebeius.

tibus ostenderetur qualis quantaq; inuentutis indoles, in spem ciuitatis interim subolesceret: Hos aurigæ sequebantur, quadrigæ, bigæq;, & equi desultorij. Mox athletæ leuiorum grauiumq; certaminum, pudenda tantùm velati, cæterùm corpus nudi, cursu, palæstra, cæstibus certaturi. Saltatorum deinceps chori, virorum primus, alter pubescere incipientium, postremus puerorum. Ordine deinde tibicines subsequi, vtres & tibiolas inflantes, citharœdiq; lyras septichordes eburneas, & quæ barbita nūcupata sunt, habentes. Saltatorum cultus tunicæ puniceæ cingulis æreis stricta, enses lateribus pendētes, tela breuiora viris, galeæ æreæ cristis insignes, pennisq; excultæ. Præibant choris viri singuli, saltationis, & tripudij modum præmonstrantes, bellicos motus, atque vehementes, proceleusmaticus & rhythmus imitantes. Enoplia saltatio in his vsurpata, quæ & Pyrricha nuncupata est, à Pallade, vt creditur, reperta, alij Curetes eius saltationis auctores arbitrati sunt. Enoplios choros Satyriscorum cœtus euestigio sequebatur. Erant hi in Silenos & Satyros figurati, cauillabundo motu ridicula in magnis imitantes. Atque hunc demum ordinem tibicines alij, & citharœdi vario sequebantur concentu. Ibant inde qui passim thura & aromata thuribulis adolebant, multáque odorum fragrantia deorum simulacra auro argentoq; celata virorum humeris ferebantur.

Athletæ. Saltatores. Tibicines. Enoplia seu Pyrricha saltatio. Satyrisci.

Tum

Tum demum Thensam summi vrbis magistratus, magna omnium ordinum caterua religiosè sequebantur. Circi area, in qua hic & alij ludi agebantur, tria & dimidium in longitudine stadia habuit, latitudo quaternûm fuit iugerûm: id soli spatium inter Palatinum & Auentinum iacens tribus lateribus porticus paululum repandæ claudebant, CL. millium spectatorum capaces. Sedilia circa aream cæmento exstructa erant, in quo sedentes spectarent. Scenici ludi in eo etiam agebãtur, tali primùm ratione: Ludiones ex Hetruria accersebantur, hi ad tibicinis modulos saltantes, haud indecoros more Tusco reddebant motus. Imitari hos primò Romana iuuentus, incomptis inter se carminibus iocularia fundentes, nec motus interim absoni à voce, mox diligenti vsurpatione eò processit vsus, vt vernaculi eius rei artifices, quia nihil iam à Tuscis ludionibus distarent, Histriones appellati sint, quia Hetrusca voce Hister ludio vocaretur. Hi deinceps non inconditum & rude carmen, alterniśq; vt à principio, iactatum vsurparunt, quod Fescennino fuit simile, sed modulatas satyras, descripto ad tibicinem cantu, decoróque motu peragebant. L. Andronicus ab Satyris digressus fabulam argumento fecit, factamq; quum sæpius egisset, obtusa demum frequenti vsu voce, puerum, qui caneret ante tibicinem statuit, inde vt ad tibicinis latus histriones canerent receptum. Vbi

Circi magnitudo.

Ludi sceni ci.

Histriones.

igitur

igitur res à risu & soluto ioco euocari cœpta est, ludoq; in artem paulatim vertente, iuuentus fabularum actu, histrionibus relictis, veteri instituto ridicula versibus intexta inter se iactabant: vnde exordia fabulis, potissimùm Attellanicis conserta exstiterunt. Id Ludionum genus ab Oscis acceptum, iuuentus tenuit, nec Histrionibus attingere permissum. Hîc qua ratione Senatus populusq; Romanus suos vita defunctos Imperatores consecrare, cœlóque inferre solebat, referendum duco. Ipsi namque, vt Herodianus scribit, locabant in regiæ vestibulo super eburneum lectum auro stratum imaginem defuncto principi perquàm similem: recumbebátque pallida effigies in modum ægrotantis: circa lectum, magnam diei partem aßidebat senatus omnis, ad læuam pullis vestibus amictus: ad dexteram lectæ ex omni nobilitate matronæ, in albis vestibus: Is enim color lugubris fuit in muliere olim: omni alioqui ornatu detracto, id septem diebus defuncto datur: Medicis velut adhuc spirantem interuisentibus, denunciantibúsque in dies morbum ingrauescere. Ad postremum, quasi tum demum vita defunctum, equestris senatoriique ordinis iuuenes per viam sacram in forum deferunt, lecto in Rostris deposito, pueri puellæq; patritij generis composito ab vtraque parte cœtu hymnos in defunctum

Consecrandi ratio.

Albus color lugubris in fœminis, niger lugubris in viris.

ctum canunt, flebili carmine modulatos. Deinde eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium translato, ingens ibi suggestus quadrata forma, lignea tantùm materia contexitur, multis gradibus in phari speciem fastigio assurgentibus. Singuli auro & purpura instrati, signis ex ebore factis, variisq; picturis insigniter excoluntur: ac quò altiores illi, minúsque patentes, eò minores his imagines prominebant: interiùs erat moles aridis referta fomitibus. Effigie secundo gradu collocata, omnibúsque odoramentorum generibus omnifariam admotis, quæ certatim à tota ciuitate eò congerebantur: nobilissimi iuuenes equestris ordinis trabeati tabernaculo obequitabant motu quodam Pyrrhichio, solenníque decursu. Circumagebantur & currus, quibus insidebant rectores personas illustrium principum gerentes: ac tum demum ab Imperij successore face admota circumfusa multitudo ab imis partibus molem incendit: ac simul ignis cœpit inualescere, ex ædificij fastigio aquila emittitur, quæ principis animam in cælum ferre putabatur. Qui per hæc Romanorum princeps consecratus esset, vana superstitione inter deos colebatur. & hæc de vrbis Romanæ statu. Hodie Italia omnis Christianam pietatem religiosissimè obseruat, sacrorum ceremonias ex Romanæ ecclesiæ instituto: nisi fortè in vltima eius terræ parte pauci Recētes Italiæ mores.

Græcum

Græcum seruent ritum, & ipsi quidem Græci generis. Vnum connubium vt Itali olim, sed citra repudium: neque id permittitur nisi magna de causa, Romaniq; pontificis permissu. Regum nobiliúmque principum primogeniti veteri instituto regnum obtinent: in priuata fortuna virilis stirpis liberi ex æquo sunt heredes, sed legitimo toro nati. Triplici iure vtitur Italia, Pontificio, Cæsareo, & Municipali: constat hoc ex legibus, quas aliæ ciuitates alia sibi de causa condunt: ad bonum æquumque spectant. Iudicia rerum, ciuiliúmque negotiorum hic iudicum ordines exercent, illic magistratus: nam non vna vbique est regiminis forma. Prima nobilitas militiæ, si fælix sit: Sequens rei literariæ. Sacerdotium magis venerabile facit, quàm nobile. In claritudine literarum Theologi primas sibi partes vendicant, secundas ab his Iuris scientiæ periti: sunt & Medici in admiratione, sed maiore quæstu. Mathematici, Dialectici, Astronomi, & Poetæ magis inter se clari, quàm vulgò conspicui. Grammatici extremi omnium, vt qui inter pueros consenescant. Est & sacris oratoribus grande nomen, sed maior veneratio: ob pietatis studium frequentiore agunt theatro, quàm forenses. His maior quæstus, quàm nomen. Est & Mercatura in magna celebritate: nam pretium hodie, vt semper, in pretio est. Pictores Statuarij, Fusores in maiori admiratione, quàm agricolæ: etsi, vt auditũ est, prima

est, prima laus apud maiores his debebatur. Romani propemodum soli Italorum pecuaria exercent, sed mercenaria externorum hominum opera. Vestitus alius alij, sed Venetis laxitate insigni, ac prolixitate: & in his urbicus municipali sumptuosior. Secundùm Venetos ciuilis, & nitidus Florentiæ & cæteræ Hetruriæ. Mediolanensibus, ac toti Aemiliæ, Liguriæq; floridior, sed paulò contractior. Romæ aulicus prolixitate, varietatéq; colorum omnes alios antecellit. Romanus multò frugalior, sed cui suus non desit nitor, præsertim in fœminis. Neapolis magis nitido vtitur, quàm sumptuoso: & externus gratior Italico. Cætera Italia simpliciùs vestitur, nec vnus habitus omnibus: quippe quem nostra memoria sæpiùs variari contigit. Ecce in Aemilia, & tota Gallia Cisalpina, gaudent principes fœminæ in Hispanico habitu videri, viri in Gallico malunt. Iam & Romæ muliebris sexus Tuscum nuper affectabat. Venetiarum matronæ his paucis annis vlnas, pectus, & humeros nudabant: nunc omnia contegunt, ac laxioribus vtuntur manicis, & in Hispanicum degenerant. Veteres Romanorum statuæ, & numismata, arguunt, nullum apud maiores fuisse tegendi capitis vsum, nec caligæ fuit, nisi militaris: est hodie vtrumque vulgatissimum, sed tegere caput translatitium in Italia, vt credere est: quod nomen etiam declarat. Nec lanei, aut linei thoracis adeò frequens

Vestitus Italorum diuersus.

Romanorũ vestitus.

Principum fœminarũ vestitus.

Tegendi capitis apud Italos olim nullus vsus.

vsus olim: quod ex veteri statuarum figuratione potest intelligi: nunc omnis iuuenum cultus his sese propemodum effert. Italicus sermo neque ike est, qui olim fuit, nec omnino ab eo diuersus: sed barbaris vocibus plus minúsve adulteratus, vt hæc, aut illa regio, fuit externis gentibus magis obnoxia. Litoralis Histriæ ora Veneta plurimùm vtitur lingua, quæ compta est, & grauis, pluriúmque linguarum flore conflata: quod facilè contigit in frequentissimo Italicarum gentium commercio: olim multò simplicior fuit, ac minus auribus grata. Carnicus sermo plures sonat linguas, ac nescio quid ab Italico diuersum, dulcior auditu, quo Taruisium, Patauium, Verona, Vicentia, Mantua, Ferraria vtuntur. sed in his vrbicus gratior agresti. Cisalpina Gallia externum quendam, & à nostro alienum, sonat. Nulla alioquin gens cultior, aut vrbium apparatu, aut victus frugalitate. Raucnnæ, Arimino, Pisauro, Fauentiæ, Bononiæ, & vniuersæ Aemiliæ: Flaminiæ venustius sermo, Tuscis breuis, & velut Laconicus, in alieno, quàm suo ore, gratior. Quod Romæ nuper offendebat, commercio gentium in dies magis excolitur. Picinis, & Sabinis, & Marsis crassior, castigatiorq́;. Vmbris, Apulis, Lucanis, Brutijs, Samnitibus, & cæteræ Italiæ rudior lingua, ac minus peregrinis imbuta, præter Neapolim, vbi pleriq; Hispanicum affectant. Quòd si quis

Veneta lingua.

Carnicus sermo.

Cisalpinæ Galliæ sermo.

Laus Cisalpinæ Galliæ.

Tuscus sermo Laconicus breuis.

Romanus sermo.

si quis altiùs spectat, atque in vniuersum iudicet, nulla est ciuitas, nullus populus, qui non aliquid à finitimis differat. Auctor Antonius Sabellicus Enneade II. lib. I.

De Liguria, Ligurúmque prisco viuendi more. CAP. XIX.

Liguria Italiæ regio pro maiori parte montuosa, inter amnes Varum & Macram, ab altero latere Apenninum habens, ab altero Padum, Tusciam attingens: cuius caput nunc est Genua. A Ligysto Phaëthontis filio dicta, conuersione y in u, vt Pictor Fabius prodidit. Horum gens Siculi fuêre, vt Thucydides arbitratur. Magna pars Italiæ est ab his olim possessa. Siculi ab Oenotrijs Italia eiecti Siciliam tenuerunt. Ligures labore plurimo continuò vitã duram agunt: nam multis arboribus oppleta regione materia est ad nanalem fabricam præcipua: arbores tãta craßitudine, vt diametri octonos pateant pedes. Vnde quidam cædendæ materiei, quidam subigẽdo agro à lapidum asperitate cultu difficili vacant. Ita enim terra lapidosa est, vt gleba absque saxo nequeat effodi, ob quod vitæ ærũnosæ natura assueti, licet multo in labore versentur, parum tamen percipiunt emolumenti. Continuum verò exercitium, & victus parcitas corpora eorum macilenta efficit, ac robusta. Mulieres quoque virorum labores perferunt, assuetæ vnà cùm viris opus facere.

Liguriæ fines.

Siculi ex Italia in Siciliam compulsi.

Ligurum studia.

Mulieres in labore viros adæquãt.

Venationibus continuò vacant, captísque feris fructuum inopiam sustentant. Niuibus insuper, ~~montanísque~~ asperitatibus assueti agiles corpore, ac validi redduntur. Nonnullis messis raritate carnes partim domesticas edunt, partim ferinas, aqua in potum sumpta. Oleribus vtuntur, prout fert regio eorum, ad quos neque Ceres venit, neque Dionysius, præ cæteris dijs hominibus vtiles. in terra cubant vt plurimum, rari sub tecto aut in tugurijs iacent. Plures ad concaua saxa, speluncásque ab natura factas, vbi tegantur corpora, diuertunt. Hoc pacto prisco more absque apparatu aliquo viuūt. Denique mulieres virorum, viri ferarum robur & vires habent. Asserunt, in bello sæpius vegetum Gallum ab gracili macilentóque Ligure ex prouocatione singulari certamine vinci. Arma habent leuiora, quàm Romani. Operiuntur corpora scuto longo ad formam galaticorum facto, tunicáque succincta. Armantur etiam ferarum pellibus, ac ense mediocri. Quidam Romanorum consuetudine, quos in ea re imitati sunt, arma immutarunt: feroces sunt, & acuto ingenio, non in bello solùm, sed in communi vita. Mercaturam exercent, nauigantes per Sardianum Libycúmque pelagus, sponte se grauibus maris periculis obiectantes: scaphis enim haud satis cæterarum nauium more præparatis nauigant. Quo fit vt imminente tempestate grauia subeant vitæ discrimina. Gens hæc

Victus Ligurum.

Habitacula

Robur corporum.

Arma.

Ferocitas.

Nauigantes mercaturā exercent.

Recentes mores.

hæc, vt Antonius Sabellicus primo libro septimæ Enneadis habet, adhuc ferox est, & ad rebellandum nata, vt quæ diu Romana exercuit arma: plurimùm pecore victitat, lacte, hordeaceáque potione.

De Tuscia, & gentis eius antiquis moribus.

CAP. XX.

TVscia Italiæ regio celebris, à sacrificijs, vt quidam arbitrantur, dicta: nam Græci θύειν sacrificare dicunt, vel à thure, quo maximè in sacrificijs vtimur, vel à Tusculo Herculis filio, quod veteres probant. Olim Tyrrhenia dicta fuit: Dubium à Tyrrheno Atys, an Herculis & Omphales, an (vt alij scribunt) Telephi filio, qui in eam terram duxerit colonos. Dionysius à Tyrsibus ædificiorum genere, quibus Tusci vterentur, id nomen factum suspicatur. Romani eius terræ populos nunc Tuscos, nunc Hetruscos dixere, Græci verò Tyrrhenos. Veterem illorum opulentiam, tum pelagi nomen demonstrat magna ex parte Italiæ prætenti, tum fines terræ, ab infero ad superum mare, & ad Alpes propemodum promoti. Satis constat quòd quicquid terræ intra Alpes iacet & Apenninum, Vmbrorum olim fuit, qui inde à Tyrrhenis sint eiecti, Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis, qui postremò nomen ipsi terræ indiderunt: & quod ad celebritatem nominis attinet, Latini, Vmbri, & Ausones à Græcis Tyrrheni

Tyrrhenia vnde Tuscia appellata.

Tusci etiã Hetrusci appellantur.

Vmbrorum terra.

Longobardia.

sunt olim vno nomine appellati. Quidam etiam Romam ipsam Tyrrhenam vrbem opinati sunt. Fuit Tyrrhena gens fortitudine egregia, magno potita Imperio, ciuitates condidit plures atque opulentas. Classe quoque potens, quum diutius mari imperitasset, Italum pelagus ab se Tyrrhenum denominauit. Pedestri quoq; exercitu praeualida, tubam primò adinuenit, & bello admodum vtilem, & ab illis Tyrrhenum appellatam. Duces exercitus plures insignibus decorauit. Lictores, curulem sellam, pretextam vestem, fasces, sceptrum eburneum, alia multa dedit: domibus porticus addidit, in quas seruorum concurrentium turba diuerteret: quae imitati postmodum Romani, inq; melius aucta ad suam Rempublicam transtulere. Literis quoque, & rerum naturalium inuestigationi, ac theologiae plurimo tempore impenso. Prae caeteris in fulgurum interpretatione, & arte augurandi versata est, adeò vt nostra etiam aetate vniuersus fermè orbis, tum admiretur viros, tum aruspicibus vtatur. In scientia faciendorum sacrorum ita etiam floruit, vt Romani, qui non seruandae tantùm, sed & amplificandae religionis cupiditate incendebantur, decem principum filios senatusconsulto singulis Tusciae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderent: hinc ludibrium illud malorum daemonum ad Romanos defluxit. Hinc Bacchanalia, quae vt faeda & perniciosa,

Tuba à Tyrrhenis inuenta.

Inuecta Tyrrhenorum plurima.

In augurandi arte versabatur Hetrusci.

Religiosi valde Hetrusci erāt. Bacchanalia ex Thuscia ad Romanos.

ciosa, magno sunt bonorum consensu, auctorum suorum supplicio vindicata, ex totaq; Italia sublata. Patriam Tyrrheni vberem incolunt, quam studio, curaq; efficiunt fertiliorem. Mensa bis in die sumptuosè præparata, omnia, quæ ad epularum delicias pertinent, abundè subministrans. Stragulas insuper vestes floribus distinctas, poculaq; aurea varij generis, ac ministrorum, seruorumque numerum permagnum in vsu habent: multiplices vbi non solùm serui famulantur, sed etiam liberi plures. Gens in vniuersum magis adhuc superstitiosa est quàm pugnax.

De Galatia Europæa, & Galatarum priscis moribus. CAP. XXI.

Galatia magna Europæ regio fuit, vltra Celticam ad Notum Oceanúmque versus pertinentésque oras, & Hercynium montem (scribit Diodorus Siculus) & à terminis Istri ad Scythiam vsque protensa. Sic appellata à Galate Herculis & Celticæ cuiusdam mulieris filio. Hæc à pluribus nationibus incolebatur, regioq; vt plurimum ad Arcton sita, frigidáq; adeò, vt quæ hyemis tempore pro aqua niuibus oppleta exsistat: glacies quoque immensa adeò patriam occupet, vt flumina congelata sint peruia transeuntibus, non solùm paucis, sed exercitibus quoque cum curribus atque impedimentis. Complures magni fluuij vario fluxu per Galatiam fluunt, quorum hi

Galatiæ nes.

Galatia hyemis tēpore glacie occupata.

ex profundis stagnis, hi ex montibus, partim in Oceanum vt Rhenus, partim in Pontum vt Danubius, alij in Adriaticum mare decurrunt vt Eridanus, qui & Padus. Sed hi omnes ferè hyemis tempore congelati securum transitum iniectis desuper (ne labantur) paleis euntibus præbent. Vinum & oleum propter eam frigiditatem regio non producit, quare coacti homines potum sibi ex hordeo comparant, quem Zitum appellant: aqua etiam, in qua lauant fauum mellis, vtuntur. Vino præter modum adeò delectantur, vt à mercatoribus importatum purum bibant, minimóq; potu ebrij, aut somnum inducant, aut insaniam: quo fit vt mercatores Italici plures quæstu ducti vinum, tum nauibus, tum per terram curribus deferentes pincernam puerum mercantur pro vini amphora. Vniuersa Galatia argento caret, auro abundat, illud natura ipsa præbente. Nam quum fluminum decursus, difficiles flexus habeat, superans ripas à montibus fluens aqua, arenam auream passim per campos eijcit: qua conflata, auróq; puro educto ad ornatum corporis mulieres viríq; vtuntur: etenim & manuum articulos & brachia armillis aureis exornant. Circa collum grandes torques gestant ex solido auro, & in digitis annulos. Thoraces etiam auro exornant. Priuati quid ac mirabile in deorum templis potentiores obseruant, plurimum auri ipsis dijs oblati per pauimentum spargentes, neq; id

Zitum ex hordeo potus.

Vini appetentissimi.

Argento caret, Auro abundat Galatia.

Corpus auro exornāt Galatæ.

Aurum in templis sparsum.

quisq

quisquam incolarum, quamuis gens auri sit auida, propter religionem contingere audet. Sunt Galatæ molles atque albi, corpore oblongo. Comas quamuis habeant natura rufas, studio tamen augent naturæ colorem. Calamistro capillos inflectunt, fronte illos ad ceruicem reijcientes, vt Satyris aspectu puerisq; appareant persimiles: capillos arte efficiunt crassiores, vt nihil differant ab equorum iubis. Barbam quidam radunt, nonnulli nutriunt. Parcè nobiles quidam genas radunt: barbam adeò fouent, vt corpora operiant. Quo accidit, vt quū edant repleatur cibo: quum bibant, veluti per canale potus videatur inferri. Cœnant sedendo omnes, non tamen in sedibus, sed in solo super luporum aut canum instratis pellibus. Ministrant eis pueri iuniores ætate tenera: iuxta eos ignes fiunt, in quibus ollæ sunt & verua plena carnibus. Viros bonos melioribus carnibus honorant, quemadmodum Poeta Aiaci scribit impensum ab optimatibus honorem, quando singulari Hectorem certamine vicisset. Hospites ad epulas, qui sint, qua causa venerint rogantes. Consueuerunt quoque sumpto cibo ad verborum, prout casus tulit, concertationem surgentes ex prouocatione certare inuicem, nulla habita vitæ cura. Increbruit enim apud eos Pythagoræ sententia, qua dixit, animas hominum esse immortales, rursusque eas defunctis corporibus post certum tempus in alia cor-

Corporum Galatarum dispositio.

Barbam nobiliores nutriunt.

Sedentes in solo cœnāt Galatæ.

Ex prouocatione certare solent Galatæ.

pora reuersuras : ob hanc causam in defunctorum pyram epistolas scriptas quidam conijciunt, tanquam eas mortui sint lecturi. In itinere ac pugna bigis vtuntur, quas rhedarius ac assessor ducunt. In bellis obuium hostem iaculo ex curru primùm appetunt, tum relicto curru pedites ensibus certant. Quidam adeò mortem contemnunt, vt pugnent nudi. Custodes corporis ex liberis hominibus pauperes eligunt, qui & pro aurigis in pugna seruiant, & ferant scutum. Instructam aciem præire consueuerunt, & ad singulare certamen fortissimos hostium prouocare, arma vt hostem terreant quatientes. Quum quis strenuè in acie pugnauit, tum maiorum, tum suas laudes ac virtutes decantant : res hostium deprimunt, tanquam vituperatione dignas: denique omneis in bello audaces extollunt verbis. Capita hostium in acie cadentium abscissa equorum alligant collis. Hostium spolia sanguine perfusa famulis tradunt in foribus domorum cum cantu atque hymnis affigenda, quemadmodum feras solent venatu captas. Hostium nobiliorum capita aromatibus vncta in thecis condunt summa diligentia, ea hospitibus ostendentes, nullóque pro pretio ea vel parentibus vel liberis vendunt. Vestes ad terrorem intonsas, ac varij coloris ferunt, quas illi vocant braccas. Sagula ferunt virgata, hyeme quidem crassiora, æstate subtilia. Fictilia in vsu habent densa,

Corporis custodes ex hominibus liberis.

Strenuorũ militum dignationes.

Hostiũ spolia domorũ foribus affiguntur.

Vestitus Galatarum.

densa, ac floribus distincta. Arma ferunt, scutum ad staturam hominis longum, próque libito cuiusque ornatum. Quidam in scutis animalium formas æreas paulùm eminentes gestant, & ad ornatum, & ad corporis tutelam fabricatas. Aerea galea caput muniunt paulùm eminentiore, in qua aut cornua impressa sunt, aut auium vel quadrupedum effigies sculpta. Tubas habent suo more barbaras, vt quæ asperum sonum & turbulentum reddunt. Thorace ferreo vtuntur quidam, alij armis à natura datis nudi pugnant, pro ensibus ferreas spathas gerunt oblongas, ærea catena à dextero latere pendentes. Nonnulli tunicis aureis, aut argenteis Zonis cinguntur, iaculis insuper bellantur, quæ illi lanceas vocant, ferro cubiti aut ampliùs longitudinis, paulò minus duobus palmis lato. Enses haud minores sunt, quàm apud cæteros venabula, habentq; tum rectos, tum curuos, non solùm ad corpora cædendum, sed etiam ad perforandum aptos. Aspectu sunt terribiles, voce graui atq; aspera. Sermone vtuntur breui ac subobscuro, multáque ex animo dubia loquuntur: plurima ad iactantiam in eorum laudem dicunt, & ad cæterorum contemptum. Minaces sunt, ac detractores, opinionéque inflati, acuti ingenio, & à doctrina minimè alieni. Sunt & apud eos melodiarum poëtæ, quos ipsi Bardos dicunt: hi cum organis veluti cum Lyra cantant, hos laudantes, alios

Arma bellica.

Enses maximi.

Bardi melodiarum poetæ.

vitup

vituperantes. Philosophi quoque, ac Theologi, quos vocant Saronidas, præcipuè ab illis coluntur. Viuntur insuper diuinatoribus, qui apud eos, quum augurijs & sacrificijs futura prædicent, maxima existimantur, omni eis obtemperante plebe: de rebus magnis consulturi mirabilem, ac incredibilem obseruant ritum: ense hominem iugulant, quo labente, tum ex casu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex sanguinis effluxu futura diiudicant. Est apud eos moris, nullum absq; Philosopho sacrificium facere, existimantes per diuinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tamquam deis propinquiores. Horum intercessione bona à dijs censent petenda, quorum consilio, & pace, & bello fruantur. Poëtæ verò apud eos tanti habentur, vt quum exstructa acie exercitus eductis ensibus, iactisque iaculis propinquant, non solùm amici, sed hostes eorum quoque interuentu à pugna abstineant, ita apud agrestiores barbaros ira cedit sapientiæ, & Mars reueretur Musas. Galatarum fœminæ non tantùm corporis magnitudine sunt viris similes, sed robore etiam. Pueri vt plurimum cani sunt, ætate prouecti colorem paternum assumunt. Eorum, qui subtus Arcton habitant Galatæ, quiq; Scythiæ sunt propinqui, vtpotè cæteris agrestiores, nonnullos aiunt humanis carnibus vesci, quemadmodum & hi, qui eam Britanniæ partem, quæ Iris dicitur, habitant: horum fortitud

Saronidæ philosophi & theologi.

Mirabilis atque horrendus ritus

Nullũ absque Philosopho sacrificium.

Poëtæ in maxima veneratione.

Fœminæ Galatarum viris similes

Humanis carnibus vescuntur qui Irim inhabitant.

titudine, feritatéque diuulgata, tradunt eos, qui priscis temporibus omnem fermè Asiam discurrentes Cimmerij dicebãtur, ipsos esse, qui paulò post corrupto nomine pro Cimmerijs Cimbri sũt appellati: iam prisco more dant latrocinijs operam, rapientes aliena, suis omnibus contemptis. Hi sunt qui Roma capta, quum Delphici Apollinis templum spoliassent, magnam Europæ partem, non paruam Asiæ tributariam fecere, agris eorum, quos subegerant, possessis. Nam qui in Græciam peruenerunt Galatæ, de se partem occupatam Gallogræciam dixerunt, & Galatiam minoris Asiæ regionem, quæ ab Oriente Cappadociam & Halim fluuium habet, ab Occidente Bithyniam & Asiam, à Meridie Pamphyliam, à Septemtrione Pontum Euxinum. Caterùm Cimbri, de quibus iam nobis sermo est, gens diræ supra modum feritatis, impietatisq; ac deorum sacrificijs inauditæ. Sequebantur exercitum mulieres Sacerdotes diuinationis peritæ, quarum canus capillus erat, alba vestu, lutea è carbaso subter tunica fibulis annexa ahenis, incinctæ Zonis, pedes nudæ, captiuis per castra strictis occurrebant ensibus, quos sternentes humi ad areum protrahebant craterem viginti capacem amphorarum: Habebant & pulpitum, quo agiliter ascenso, tollentes in sublime captiuum super lebete iugulabant: tum profuso in craterem sanguine, inde quũ stillaret, vaticinium edebãt: alij verò scisso ventre

Sacerdotes fœminæ

Crudelis vaticinandi ritus.

ventre inteſtina ſpeculabantur, ſuis victoriam clamitantes. Noxios quoq; quinquennio ſeruatos affixos ſudibus ſacrificabant: & animantia ex hoſtibus capta vnà cum hominibus interfecta, aut ſupra ingentem pyram poſita comburebant, aut alijs afficiebant pœnis. Et quamuis Cimbri mulieres habeant ſpecioſas, ad mares tamen præter modum ſunt cupidiores. In ferarum pellibus humi dormientes, ex vtroq; latere excubitores habent. In ipſis certaminibus extentas ad carrorum velamina pelles tantis pulſant ictibus, vt ingenti cum horrore fragor efficiatur. Sed illa admiranda eorum impudentia, quòd ſpeciem corporis facilè alijs offerunt in propatulo, neque hoc turpe ducunt, quin potiùs ignauum abnuere gratiam oblatam. Fertur à Valerio Maximo, Cimbros & Celtiberos in acie gaudio exſultare conſueuiſſe, tanquam glorioſè & feliciter vitâ eſſent exceſſuri. Lamentari verò in morbo, quaſi turpiter perituri.

Noxios ſacrificabant Cimbri.

Cimbri ad mares cupidiores.

Impudentia Cimbrorum admiranda.

De Gallia, Gallorumq; veteribus & recentibus moribus. CAP. XXII.

GAllia lata Europæ regio, inter Gallicum internum mare, Oceanumq; Britannicum, Rhenum, Alpes, & montes Pyrenæos iacens: Pyrenæis iugis ad occaſum includitur: ad ſeptemtrionem & Boream Gallico, Britannicóq; Oceano: ad orientem ſolem Rhenus illi partibus penè ſpatijs ex Alpibus in Oceanum, quibus Pyrenæum iugum ex interno mari ad

Galliæ quatuor termini.

ext

externum procurrit : quà meridiem spectat. Narbonense illi prætenditur pelagus. Gallia appellata à candore populi : Γάλα enim lac dicitur. Tonsa siue togata Gallia, & quæ & Cisalpina dicitur, Italiæ finibus includitur: Comata cognominatur omnis Transalpina Gallia. Eam in tres prouincias à tribus populorum generibus historici diuiserunt, Belgicam videlicet, Celticam, & Aquitanicam, terminos illarum ita statuentes, vt à Scalde ad Sequanam Belgica sit dicta : mox Celtica ab eo ad Garumnam, quæ eadem est & Lugdunensis : inde ad Pyrenæi excursum Aquitanica, olim Aremorica vocata. Augustus quadrifariam diuisit, addita Lugdunensi prouincia. Ammianus in multiiugas prouincias diuidit, vtpotè, qui primam & secundam Lugdunensem, & primã & secundam Aquitanicã faciat. Braccata, quæ & Narbonensis dicitur, à braccis vestium genere sic vocitata. Belgica, quæ Rheno adiacet, pro maiori parte lingua Teutonica vtitur : prouincias habet, Heluetiã, Alsatiam, Lotharingiam, Lucelburgam, Burgundiam, Brabantiã, Gelriã, Holandiam, Selandiam: quæ omnes, nisi Rhenus antiquus terrarum limes abscinderet, Germaniæ nostræ potiùs annumerandæ essent, ex quo hodie & consequenter etiam nõ montes, non flumina pro regionum terminis habentur, sed singulæ linguæ & imperia, & eousq; vnamquamq; regionem extendi dicant, quousq; gentis illius

Gallia vnde appellata.

Diuisio Galliæ.

Braccata, siue Narbonensis.

Galliæ regiones.

sermo

sermo versatur. Galliæ populos Græci communi appellatione olim ob eorum Regis nomine Celtas dixere, & ab illius matris nomine Galatas. Franci hodie vocantur, & Gallia Francia, à Francis Germaniæ populis, à quibus olim ferè tota subacta est, vt Baptista Mantuanus in Dionysio suo: & M. Antonius Sabellic. lib. III. decimæ Enneadis habent. Cæsar Dictator Gallicas gentes lingua, legibus, & institutis inter se differre dixit: multa tamen multis communia esse, vt factiones exercere, quæ non solùm in ciuitatibus & pagis, sed in singulis penè familijs vulgò reperiantur, vt qui ingenio & opibus polleant, inter se de principatu contendant, vt cuncta suo potiùs, quàm alterius, arbitrio fiant. Quod vt gentile, ita vetus esse nec temerè institutum videri, vt tuta plebs esset à potentiorum iniuria, nusquam gentium plebs alioqui contemptior: quippe quæ olim seruitij penè loco haberetur, omnis publici consilij expers, plerique tributorum, aut alieni æris magnitudine grauati, vulgò soliti se nobilioribus addicere, vt à cæterorum iniuria tutiores essent, omnia in eos iura, vt in seruos habituris. Duo hominum genera in præcipuo honore esse, Equites & Druides. Alij Bardos & Vates Druidibus adijciunt, quorum hi naturalium rerum caussis dediti essent inuestigandis, illi laudationibus & Poëticis rebus. Cæsar vno nomine omnes Druidas vocat. Hi sacrificia curare

Galli à Græcis olim omnes Celtæ vocati. Galli hodie Franci appellantur.

Factiones amabant Galli.

Druidum officia & dignitates.

curare publica & priuata, religiones interpretari, adolescentes disciplinis instituere, quorum cœtibus precipuè venerari: ijdem de cædibus, de finibus, cæterisque controuersijs cognoscere, pœnas constituere: si quis siue publicam, siue priuatam personam gerens decreto non stetisset, sacrificijs interdicere, quæ precipua fuit in gente animaduersio. Druides omnem hominum congressum & sermonem declinare, ne contagione pollueréntur: his petentibus neque ius dici cuiquam potuit, neque honos vllus publicus communicari: vnus omnibus præesse, cui in vniuersum ordinem summa erat potestas. In huius defuncti velut antistitis locum alius suffragio surrogabatur. Cogebatur horum concilium certo anni tempore in Carnutum finibus. Est is locus Galliarum ferè medius, controuersiásque ex vniuersa gente eò delatas suo componebant decreto. Vulgò postea receptum id institutum, sed ex Britannia translatitium, Parlamentumque vocatum, de quo posteà. Druides à bellicis rebus aberant, neque ad tributum cogebantur. Multa millia versuum ediscere necesse erat, qui tali se disciplinæ tradidisset: vt plerique viginti annos in ea comparanda morarentur. Neque fas erat quippiam ad eam cognitionem pertinens literis commendare, quod ad memoriæ cultum, & scientiæ auctoritatem putaretur pertinere. Cæteris Gallis tempestate ea Græcæ literæ in

Concilium annuum in Carnutum finibus.

vsu fuere. Credidere Druides animas nõ interire, sed in alia trãsire corpora; atq; metu mortis ita sublato, audaciores in periculũ fieri. Multa de syderibus disputabant, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura, & Deorum potestate. Mundum ipsum æternum, ignem & aquam vicißim prævalere. Alterum genus equites, hi cæterorum ordinum religiosißimi, verùm graui morbo affecti, aut in periculis constituti, pro salute humanam hostiam mactabant, Druidũ ministerio adiuti. Alij simulacra habebant immani magnitudine, viminibus contexta, eaq; viuis corporibus plena circumiecto igni absumebantur. Supplicia eorum, qui latrocinij, alteriúsve noxa conuicti essent, dijs gratißima arbitrati. Mercurium in præcipua veneratione habebant, quem omnium artium inuentorem prædicabant. Viarum & itinerum ducem, & ad quæstum faciendum plurimum prodesse. Marti in pugnam ituri quicquid cœpissent pro victoria vouebant, visebantúrque ob eam in plerisque vrbibus ingentes tumuli, bellicis spolijs constructi. Si quis ex præda aliquid fraudasset, graui supplicio id scelus vindicabant. Se ex Dite procreatos persuasum habuere, ob ídque initium fistorum dierum ab ea nocte capere, quæ festam lucem præcessisset, rati noctem illi sacram esse. Liberos ad conspectum suum non priùs venire patiebantur, quàm per ætatem adoleuissent, vt militaria iam

Opiniones Druidũ variæ.

Alterũ Gallorũ genus equites.

Mercurius in veneratione Gallis erat.

Galli ex Dite se natos dixere.

iam obire munia possent, turpissimum arbitrantes filium adhuc puerum patri assistere. Viri quantas ab vxore pecunias dotis nomine accepissent, tantumdem domesticarum fortunarum æqua æstimatione cum dote conferre: quicquid inde fructuum perciperetur, id diligenter asseruari, eiúsque esse, qui superstes alteri fuisset. Viri in vxores, sicut in liberos, vitæ & necis potestatem habuere. Si qua veneficij conuicta esset, à propinquis mariti igne, sæuisq; cruciatibus necari. In funere omnia, quæ viuis charissima fuissent, cremare cum defunctis, animalia etiam ipsa. Nec multum antequàm C. Cæsar eam terram debellasset, clientes & seruitia funebri rogo inferebantur. In ciuitatibus, quæ optimè institutæ erant, primores multi gubernabant: Ducem vnum, primis temporibus ad annum eligentes, sicut & in bello vnus à multitudine designabatur Imperator. Si quis de Republica aliquid à finitimis fama compertum haberet, id ad Magistratus deferebat, quædam suo arbitrio occultare, cætera pro concione palàm facere. De Republica nisi in publicis loqui nemini licebat. Qui in concilium vltimus veniebat, necabatur. Qui tumultuabatur, ad eum minister stricto occurrebat ense, & minitabundus silentium imperabat: qui si non desistebat, secundò ac tertiò ididem factitabat, denique tantum illi abscindebat è sagulo, vt quod residuum esset,

Viri ius in vxores & liberos.

Ciuitatum administratio.

Aristocratia.

In concilio tumultuát.

redderetur inutile. *Magistratibus aurea sunt* Vestitus Gallorum. *gestamina, collo torques, manibus & lacertis armillæ. Vulgus sagis vestitur, scissóque pro tunica amictu, qui vix nates integeret dimidias, lana quidem aspera, cæterum oblongis villis, vnde & sagula hirsuta texunt, quæ lenæ vocantur. Comas studio nutriebant, corpora genti proceriora, & vulgò candida, &* Arma bellica Gallorũ. *secundùm ea armatura æqualis, gladius longus à dextero latere dependens, clypeus etiam longus, hastæ ad proportionem, & Meris peltæ genus est. Arcubus plerique vtuntur: cum telo certiorem infigunt ictum, quo in aucupiis potissimùm vtuntur: paucissimi bellum fundis & fuste ineunt. Humi cubant, cœnitantes* Alimenta. *in stramen. is assident. Plurima cum lacte illis, esca: carnibusq; multifariam, præsertim suillis, & recentibus & salitis. Sues in agris nutriuntur, & proceritate, robore, & celeritate præstantes adeò, vt insueto cuipiam accedenti non minus quàm à lupo periculum immineat. Tam* Ouium & porcorũ diuites Galli. *copiosi illis & ouium & porcorum greges sunt, vt hinc saginarum & salsamentorum abundantia, non solùm Romæ, sed & pluribus Ita-* Domicilia Gallorum. *liæ partibus, suppeditetur. Domicilia ex plutеis & cratibus in testudinis speciem faciebant, & quidem permagna, multis impositis lacunaribus. Ferox omnibus ingenium, ingenita simplicitas. Plus virium, quàm consilij in bella afferunt. Maius bellorum, quàm agrorum studio*

studium. Mira fœminarum fœcunditas, vt ter centum & amplius armatorum millia gens vna Belgica ad bellum olim mitteret: victoria supra quàm dici poßit, vincentibus læta, victus stupor. E prælio decedentes ceruicibus equorum hostium capita suspendunt, eaq; domum delata, vt sint spectaculo postibus affigunt. Illustrium virorum capita cedrinis condientes odoribus peregrinis ostentant, nec tantidem auri redimi dignantur. Gentile & vetus, aureos torques ex collo suspendere, manibus & lacertis armillas inducere, vestes auro pictas gestare. Hominem diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientiæ afflictandiq; modo vaticinium capiebant. Traduntur & alia humanorum sacrificiorum genera: quosdam sagittis configebant, & intra sacras ædes patibulo suffigebant, magnamq; è fœnochorto statuam apparantes, eique lignum iniectantes pecoráq; & varias immittentes beluas, atque homines, holocaustum faciebant. Erant Galli ex aßiduo labore & exercitio ferè omnes olim macilenti corpore, ventrésq; minimè propendebant: nam saginam adeò deuitabant, vt adolescentes, qui Zonæ mensuram ventre excederent, publicè multarentur. Cæterùm, Romanorum commercio multa mutari contigit, tempus inde omnia in melius vertit. Obseruantißimi itaque hodie veræ pietatis sunt, regis imperium latè omnia tenet. Matrimonia

Fœminarũ Gallorũ mira fœcunditas.

Hostiũ capita postibus affiguntur.

Galli olim omnes macilenti.

Recentes Gallorum mores.

monia Italico ritu celebrant. Liberales artes multis curæ exsistunt, & in primis diuinarum artium studia. Gymnasium, quod Parisijs est, id demonstrat, omnium, quæ hodie sunt in terris celeberrimum. Sunt & Romanarum literarum appetentissimi, ac Latinarum æmuli, in eo studiorum genere nec Græca aspernantur. Penes magistratus iudicia sunt, Regum est hos legere. In bellis cataphracto equite vtuntur, peditéque leuiter armato: vtuntur & sagittarijs, qui longiores intendunt arcus: nec corneos, vt Scythæ & totus ferè Oriens, sed ex Taxo, aliáve duriore materia. Comitantur bellica tormenta exercitum, curribus vehuntur: magis ordine, quàm agminibus dimicant: maiore ferocia, quàm arte, quanquam hanc quoque in administrando bello haud negligant. Araldos vocant caduceatores: hi belli paciśq; nuncij. colunt regem incredibili affectu. Multa religio in templis, in religione sanctitas, sacrorum antistitum maiestas, in clero dignitas & veneratio multa, frequens in ceremonia cantus, & ob eam rem Musicæ studium his propemodum peculiare: in vestitu & calceatu, vel nostra memoria variatum. Me puero (inquit Sabellicus) Galliæ gentis aulici omnes, citra clerum, amiciebantur manicato sagulo, vix dimidias nates tegente, in multas scutulas ab imo ad summum complicato, puluinatóque circa humeros. Calces anteriore parte in tenue cornu

Artibus liberalibus Franci studeant.

Bellica Gallorũ virtus

Francorum religio.

Musicæ studiũ Gallis peculiare.

Vestitus Francorum.

prot

protensi semipedalis longitudinis, qualis nunc species visitur in gentilibus aulæis: tegmen capitis, id Biretum dicunt, oblongum, ac veluti in conum exiens. At nunc omnia mutata. Calcei à fronte, vehementer expansi in modum vrsini pedis, retro castigatior forma, ac vix calcanei capax. Latior vestitus, ac multò demissior quàm anteà, ad media ferè crura descendens, laxis manicis ab vna parte desectis, tæniis versicoloribus tectis & ex obliquo cancellatim sago assutis. Laxus pileus, ac plurimùm punicei coloris, sed Biretum multo laxius, malè capiti cohærens, vt nihil sit alioqui ipsa gente cultius. Cepit his paucis annis nostrorum hominum animos incredibile studium eius cultus imitandi, atque adeò mos inualuit, vt tota ferè Italia Gallico spectaretur habitu, manifesto præsagio eorum, quæ posteà secuta sunt. Mulieris habitus nihil ferè mutatus. Et Galliam Baptista Mantuanus in Dionysio suo, libro secundo, metricè sic describit:

Italia Gallico habitu delectata.

Gallia terreni pars est non infima mundi,
Sed longè latéque patens, Hispanica tangit
Oppida ab occasu, sese coniungit ab ortu
Italiæ, nostro hinc pelago quà respicit austrum,
Clauditur Oceano, geminas quà respicit Vrsas,
Vnde venit Boreas, Hybernáq; frigora surgunt,
Et vada Teutonici tangit vastissima Rheni.
Terra hominũ, frugúmq; ferax, armẽta, gregésque
Vberibus pascens glebis, non languida cælo.

Tabifico, non mortiferis infesta venenis,
Vt Libye, non perpetuis adoperta pruinis,
Sicut hyperborei montes: non torrida ab æstu,
Qui faciat sterileis, vt decolor India, campos.
Non etiã noctu pallẽs semestribus vmbris, (le:
Quale sub Arcturo positũ mare, & vltima Thy-
Sed nec vt Aegyptus, quæ fusa palustrib. vndis,
Sed cælo & tenera fæcunda vligine terræ.

Et paulò post:

Ignea mens Gallis, & lactea corpora: nomen
A candore datum populis: muliebria pingit
Ora color Tyrius: Paphium meditata decorem
Ex geminis fecit natura coloribus vnum:
Læti, alacres, lusu, choreis, & carmine gaudent:
In Venerem proni, proni in conuiuia, proni
Ante dapes ad sacra Deûm: seruire, iugúmque
Ferre negãt: fugiunt figmẽta & hypocrisin, ore
Liberi, vt ingenuis mos est, tetricosq; perosi:
Venatu, aucupio, campos, montana, lacusq;
Sollicitant: bellandi vsu lætantur, equorum
Terga fatigantes: loricæ, hastilia, & arcus,
Deliciæ genti: sub dio ad sydera somnum
Carpere, fuscari sole & ferrugine, pulchrum est:
Puluere conspergi, grauibus sudare sub armis,
Pro patria, pro cognatis, pro regibus ire
In pugnã & gladios, et morti occũbere dulce est.
Aegoceros genti dominans: si credimus astris,
Si damus hoc cælo arbitrium: citò mobile pectus
Cordáque largitus, rerum sitibunda nouarum.

Aegoceros, idest, Capricornus Frãcis dominatus.

Non inconueniens alienúmque ab instituto
videtur

videtur huc præcipuum regiæ Francorum ornamentum Parlamentum ponere: quis illud à principio instituerit, aut vnde originem habeat, à scriptoribus aliud non traditur, quàm vt suprà significaui, à Druidibus receptum ac longo tempore ad nostram vsque ætatem obseruatum credere est. Nam & illud, quemadmodum Druidum concilium, ad Carnutes quotannis tempore & loco, quem rex designasset, habebatur, hoc modo: Conueniebant ex cunctis prouinciæ ciuitatibus viri consuetudinum & iudiciorum periti, ad idq; anteà munus delecti, qui ius cuique per prouocationem disceptāti dicerent. Sed quia vagaretur, incertaq; institutio, decreta Parisius curia & sedes est: suntq; ad eam iudices designati, qui ibi consistentes perpetui prouocationum definitores essent. Illorum octoginta numero sunt, annua stipendia ex fisco regio percipiunt. In curias quatuor diuisi sunt, seorsúmque singuli sedent, & suos præsidentes habent. In prima, quam ipsi Cameram vocant, Præsidentes quatuor sedent, Consiliarij triginta: hi contentiones & causas audiunt, dilationes, & quæ ad iuris cognitionem attinent, constituunt, leuiora quædam & temporanea definientes. In secunda verò & tertia cameris æquati sedent tam in hac, quàm in illa XVIII. Hi Enquestarum, id est, inquisitionum consiliarij dicuntur, quòd inquisitionibus præsint, ex clero & laicis con-

Parlamenti initium.

Druidum concilium

Curia Parlamenti Parisius decreta.

Curiæ Parlamenti.

stituti. Præsidentes vtriq; quatuor habent, sententias dicunt, quas constitutis diebus Præsidentium vnus primæ curiæ pronunciat: idque Arrestum, id est, ratum & fixum vocant: quòd ab eo prouocari nemini liceat: qui ibi reus iudicatus fuerit, LX. librarum Turonensium pretium persoluere curijs debet, & quandoque magis: nam si causam suam non satis intellectam aut discussam existimaret, & ob hoc sibi iniuriam factam, reuoluendæ in iudicium causæ suæ ipse potestatem habet: verùm non priùs auditur, quàm duplicatam dictæ pecuniæ summam deposuerit. Quarta curia eorum est, quos requestarum, id est, supplicationum & palatij magistros appellant: ab illis eorum causa tantùm agitur, qui regijs obsequijs deputati sunt, aut priuilegio donati, ne ab alijs curijs infestentur: huius curiæ iudices sex tantùm sunt: & ab eis prouocare ad Parlamentum licet. In decidendis causis quum nodus aliquis, hoc est, magna difficultas offertur, hæc omnium curiarum consiliarijs congregatis discutitur: quod etiam fit in his, quæ Rex de Republica statuit: huius enim senatus decreto omnia eduntur. Habet & Parlamentum coniudices, dum adsunt Franciæ pares, & alij supplicationum magistri familiares regis comites, qui post primæ curiæ Præsides primi sedent. Illis enim cum Franciæ paribus regalium & Parium causæ diffiniendæ committuntur. Sunt autem

Franciæ

Franciæ Pares ex omni nobilitate duodecim selecti, Remensis, Laudunensis, Lingenensis, Episcopi Duces: Bellouacensis, Nouiodunensis, Catalaunensis, Episcopi Comites vocati: Ex secularibus etiam sex, Burgundus, Normandus, Aquitanicus, Principes Duces: Flandrensis, Tholosanus, & Campanus, Principes Comites. Illos duodecim, vt refert Robertus, Carolus magnus primùm instituit, & secum in militiam ductos Pares appellauit, quia æquali inter se dignitate regi adstarent, nec cuiusquam quàm senatus Parlamenti iudicio obtemperarent, coronandóque regi adessent. Et hi fuerunt, & sunt hodie Gallorum siue Francorum mores, talésque eorum decantati ritus. Franciæ pares xii. numero. Pariũ Franciæ dignitas.

De Hispania, & moribus Hispanorum.

CAPVT XXIII.

Hispania maxima Europæ regio, inter Africam & Galliam iacens, Oceani freto & Pyrenæis montibus clauditur, terris optimis comparanda: nullis posthabenda frugum copia, siue soli vbertatem, siue vinearum prouentus respicere, siue arborarios velis: omni materia affluit, quæcumque aut pretio cara esse posit, aut vsu necessaria, adeò, vt non ipsis incolis tantùm, verumetiam Italiæ, vbique Romæ cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Argentum, gemmas, & aurum, si requiras, habet: ferrarijs nunquã deficit, nec cedit vitibus, vincit oleis: Hispaniæ laudes. Diuitiæ Hispaniæ.

oleis: nihil otiosum in ea, nihil sterile: non coquunt ibi sales, sed effodiunt. Non violento sole torretur, vt Africa, neque assiduis ventis, vt Gallia, fatigatur: salubritas cæli per omnem regionem æqualis, nulla paludum graui nebula inficitur, sed marina aura perflatur: lini, spartique in ea vis ingens: minij certè nulla feracior terra. Cursus amnium non torrentes, rapidique, vt noceant, sed lenes, & vineis, campisq; irrigui, æstuarijsq; oceani affatim piscosi. In nulla tamen re magis olim commendata est, quàm equorum pernicitate, quos ibi à vento concipi memoriæ proditum est. A montibus Pyrenæis incipit, & per columnas Herculis circuiens vsque in Borealem Oceanum protenditur, ita vt omnia in eo circuitu ad Hispaniam spectent. Decem millibus stadijs vt Appianus scribit, eius latitudo commensuratur: longitudo prorsus eadem esse videtur: ab vna tantum parte, scilicet Pyrenæi montis dorso, Galliæ adhæret, à reliquis omnibus mari cingitur. Tribus distincta nominibus est: nam pars Tarraconensis dicitur, pars Bethica, & pars Lusitania. Tarraconensis, in qua ciuitates clarissimæ Pallantia, Numantia, quæ hodie Soria dicitur, fuere: altero capite Gallias, altero Bethicam, Lusitaniámq; contingens, mari latera obijcit: mediterraneo, quà meridiem: quà septemtrionem spectat, oceano. Alias verò duas fluuius Anas separat, ita quòd Bethica,

[Margin notes: Cæli salubritas. — Amniũ cursus. — Ab equorũ pernicitate Hispaniacõmendatur. — Hispaniæ dimensio. — Diuisio Hispaniæ. — Tarraconẽsis & eius fines. — Bethica]

in qua

in qua urbes claræ Hispalis & Corduba fuere, maria utraque prospiciat: ad occidentem Atlanticum, ad meridiem Mediterraneum. Lusitania Oceano tantummodo obiecta est, latere ad septemtriones, fronte ad occasum versa. In ea ciuitas Emerita quondam clarissima fuit. Hæc regio primò Iberia ab Ibero fluuio, posteà ab Hespero Atlantis fratre Hesperia dicta est, ultimo ab Hispali, quæ hodie Sibilia, vocatur Hispania. Corpus hominum ad mediam laborémque, animi ad mortem parati, dura omnibus & stricta parsimonia, bellum quàm otium malunt: si extraneus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui, adeò illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ. Velocitas genti pernix: inquies animus plurimis: militares equi, & arma sanguine ipsorum chariora: nullus nisi festis diebus epularum apparatus. Aqua calida lauari post secundum Punicum bellum à Romanis didicere. In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus præter Viriatum, qui annos decem Romanos varia victoria fatigauit. Fœminæ res domesticas, agrorúmq; culturas administrant: ipsi armis & rapinis inseruiunt. Breui vtuntur veste, ac nigra, lanam habente similem caprarum pilis. Peltas in bello paruas ex neruis confectas, quibus tegatur corpus, habent: his in bello ea agilitate vtuntur, vt & ictus & sagittas euitent. Iaculis ferreis, hamatisq; vtuntur,

Lusitania.

Iberia. Hesperia. Hispania vnde appellata.

Gentis conditio.

Fœminæ agros & rem domesticã curant.

Vestitus Hispanorum.

Armatura Hispanorũ.

vtuntur, galeas ferunt æreas cristatis palmis, gladios ex ferro puro ad palmi mensuram, quibus in conferta vtuntur pugna. Ferrum suo more ad conficienda arma præparant. Nam ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tam diu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine absumpta validior supersit: ex eo tum enses fortissimos, tum cætera ad belli vsum arma necessaria componunt. Hoc pacto fabricata, adeò cædunt omnia, vt neque scutum, neque galea, neque aliud quid eis obsistat: duobus gladijs fulti, quum equestri certamine superiores enaserint, ex equis desiliunt, & pedestrem adiuuant pugnam. Iaculis longè iaciunt, & summa arte: in acie diutiùs perseuerant: mobili corpore leuique, vt facilè fugiant hostem & insequantur. Bella ad numerum aggrediuntur, hosti obuiant cantando. In pace choreas leui saltu exercent, cum quadam crurum agilitate. Erga nefarios homines atque hostes crudeles sunt, cum aduenis humani atq; hospitales. Aduenientes enim externos hospitio benignè recipiunt, adeò vt æmulatione quadam inuicem pro illorum honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicósque Deorum putãt. Mulieres ferrea monilia collo gestant supra verticem coruos incuruos habentia, & ante frontẽ longiùs incumbentes, ad quos, quum velint, velum attrahunt, vt extentum faciei vmbraculum præbeat: ídque ipsæ pro maximo ducunt ornamento.

Ferrũ gladiis conficiendis vtilissimum.

Hispanorũ bellica virtus.

Cantantes pugnam ingrediuntur Hispani.

Hospitales sunt Hispani.

mento. Quadam item in parte tympanulū circumducitur, ad posterioresque in occipite neruos capiti vsque ad auriculas adstrictum in altum latúmque, paulatim supinatur. Aliæ syncipput expilatum enudant, adeò vt ampliùs quàm frons ipsa, pateat. Aliquæ impositum ad pedis mensuram in sublime stylum erigunt, cui cæsariem circūtexunt, deindeq; pileo nigranti exornant. Carnibus varijs affluenter vescuntur. Potum ex melle conficiunt, eius copiam præbente affatim patria. Vinum emptum bibunt mercatorum opera aduectum. Mirabilis apud eos hæc obseruatur consuetudo, quòd licèt in victus munditia elegantes exsistant, vna in re tamen ista immundi videntur, & spurcitie pleni: nam vniuersum corpus lauant vrina, eaq; dentes fricant, hanc optimam corporis curam existimantes. Fuit olim tota Hispania terra (vt nihil obmittatur, quod ad regionis cognitionem attinere cognoscitur) diuisa in vlteriorem & citeriorem Hispanias. Citerior eadem, quæ Tarraconensis ad Pyrenea vsque iuga protenditur. Vlterior in duas per longitudinem prouincias diuiditur, in Bethicam & Lusitaniam. Superioribus annis Hispania in regna quinque diuisa est: in Castellæ regnum, Aragonum, Portugallense, Nauarræ, & Granatæ.

Nota more admirandū

Victus

Lotio Hispani corpus curant.

Hispania bifariā diuisa

Regna Hispaniæ quinque.

De Lusitania & vetustis Lusitanorum moribus. CAP. XXIIII.

Lusitan

vtuntur, galeas ferunt æreas cristatis palmis, gladios ex ferro puro ad palmi mensuram, quibus in conferta vtuntur pugna. Ferrum suo more ad conficienda arma præparant. Nam ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tam diu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine absumpta validior supersit: ex eo tum enses fortissimos, tum cætera ad belli vsum arma necessaria componunt. Hoc pacto fabricata, adeò cædunt omnia, vt neque scutum, neque galea, neque aliud quid eis obsistat: duobus gladijs fulti, quum equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, & pedestrem adiuuant pugnam. Iaculis longè iaciunt, & summa arte: in acie diutiùs perseuerant: mobili corpore leuique, vt facilè fugiant hostem & insequantur. Bella ad numerum aggrediuntur, hosti obuiant cantando. In pace choreas leui saltu exercent, cum quadam crurum agilitate. Erga nefarios homines atque hostes crudeles sunt, cum aduenis humani atq; hospitales. Aduenientes enim externos hospitio benignè recipiunt, adeò vt æmulatione quadam inuicem pro illorum honore certent. Quos aduenæ sequuntur, hos laudant, amicósque Deorum putāt. Mulieres ferrea monilia collo gestant supra verticem coruos incuruos habentia, & ante frontē longiùs incumbentes, ad quos, quum velint, velum attrahunt, vt extentum faciei vmbraculum præbeat: ídque ipsæ pro maximo ducunt ornamento.

Ferrū gladiis conficiendis vtilissimum.

Hispanorū bellica virtus.

Cantantes pugnam ingrediuntur Hispani.

Hospitales sunt Hispani.

mento. Quadam item in parte tympanulũ circumducitur, ad posterioresque in occipite neruos capiti vsque ad auriculas adstrictum in altum latúmque, paulatim supinatur. Aliæ sinciput expilatum enudant, adeò vt ampliùs quàm frons ipsa, pateat. Aliquæ impositum ad pedis mensuram in sublime stylum erigunt, cui cæsariem circũtexunt, deindeq; pileo nigranti exornant. Carnibus varijs affluenter vescuntur. Potum ex melle conficiunt, eius copiam præbente affatim patria. Vinum emptum bibunt mercatorum opera aduectum. Mirabilis apud eos hæc obseruatur consuetudo, quòd licèt in victus munditia elegantes exsistant, vna in re tamen ista immundi videntur, & spurcitie pleni: nam vniuersum corpus lauant vrina, eaq; dentes fricant, hanc optimam corporis curam existimantes. Fuit olim tota Hispania terra (vt nihil obmittatur, quod ad regionis cognitionem attinere cognoscitur) diuisa in vlteriorem & citeriorem Hispanias. Citerior eadem, quæ Tarraconensis ad Pyrenea vsque iuga protenditur. Vlterior in duas per longitudinem prouincias diuiditur, in Bethicam & Lusitaniam. Superioribus annis Hispania in regna quinque diuisa est: in Castellæ regnum, Aragonum, Portugallense, Nauarræ, & Granatæ.

Nota morẽ admirandũ

Victus

Lotio Hispani corpus curant.

Hispania bifariã diuisa

Regna Hispaniæ quinque.

De Lusitania & vetustis Lusitanorum moribus. CAP. XXIIII.

Lusitan

Lusitania. Portugallia

LVsitania vlterioris Hispaniæ pars, quæ hodie Portugallia appellatur, BetHicam a meridie, Tarraconensem ab ortu, ab occasu & septemtrione Oceanum habens: dicta, vt Plinius scribit, à Luso Liberi patris aut Lysa cum eo bacchante. Sunt Lusitani Hispanorum fortissimi, scrutatores insidiosi, veloces, agiles, atque versatiles. Scutis dutum pedum latitudine vtuntur curuis ad anteriora prospectantibus, quibus neque fibula, neq; ansa nulla est: his in bello ea agilitate vtuntur, vt & ictus & sagittas euitent. Gladiolus aut pugio lateri adhæret. Plurimi lineos thoraces habent, perpauci loricis vtuntur, aut cristatis casidibus, nonnulli neruatis galeis. Iaculum longè iaciũt, & summa arte: in acie diutiùs perseuerant, mobili corpore leuíque, vt facilè & fugiant hostem, & insequantur. Peditibus ocreæ adsunt. Vnusquisque plura fert iacula. Quidam vtuntur & hastilibus, cuspides sunt areæ. Aliquos Durio amni vicinos Spartano ritu degere tradunt. Duobus vtuntur vnguentis, ad calefaciẽdumq; ignitis vtuntur lapidibus, & frigida lauantur. Vnicus illis est cibus, mundus quidem, & simplex. Sacrificijs dediti exta prospiciunt, nihilque conuidunt, inspectant & lateris fibras, & contrectantes ventura coniectant. Ex intestinis quoque hominum maximè captiuorum diuinationes captant, sagis velantes. Inde vbi plaga infigitur sub intestinis ab aruspice primũ ad hom

Bellica Lusitanorum virtus.

Spartano ritu Lusitani viuunt.

Vaticinãdi varii ritus.

ad hominis casum vaticinantur, abscissas captiuorum dextras dijs offerunt. Omnes montium habitatores victu simplici vtuntur, aquarum potores, humi cubitores. Longas, vt fœminæ, inferiùs diffundunt comas: mitratis frontibus pugnas ineunt. Hirco maximè vescuntur, quem & Marti immolant, sicut & captiuos & equos. Faciunt etiam Hecatombas, id est, centenario numero sacrificia quolibet ex genere, ritu Græcanico: &, vt inquit Pindarus, omnia centena immolant. Gymnica etiam conficiunt certamina. Armis exercent ludos, & equis, & cæstibus, & cursibus, & tumultuaria pugna, & instructo per cohortes prælio. Montani homines duabus anni partibus quercina vescuntur glande, quam quum siccauerint, frangunt, molunt, panes conficiunt, & ad tempus reponunt. Hordeaceo vtuntur vino, nam vitis inopia summa laborant: idq; ita confectum euestigio absumunt. Conuiuia inter consanguineos celebrantes, pro oleo butyrum vsurpant, sedentes cœnitant, ædificatos in pariete hemicyclos habentes. Primus sedendi locus cœnantibus in orbem ætati præstatur & honori. Inter potandum ducto ad tibiam vel tubam choro saltant, inflexis exsultantes pollicibus. In Basteranis mulieres inuicem manibus promiscuè innectuntur. Omnes ferè pullis amicti vestibus, & sagis, in quibus inuoluti per stramenta cubant. Terrea illis, vt Gallis,

Vaticinij varij ritus.

Omnia centena immolant Lusitani.

Glande vescuntur montani Lusitaniæ.

Inter potandum choreas ducunt Lusitani.

Z *in vsu,*

in vsu sunt vasa. Mulieres in roseis degunt ornamentis. Nummorum loco graui admodum sarcinarum permutatione vtuntur, vel extensi argenti laminæ frustum abscissum exhibent. Destinatos neci lapidibus obruũt. Parricidas extra montium confinia, vel vltra flumina eiectos, saxis opprimunt. Coniugia de more Græcorum contrahunt, Aegrotos vetusto ritu Aegyptiorum in plateis deponunt, vt qui eo morbi genere tentati sunt, commonefacere eos valeant. Hic est montanis viuendi ritus, quem commemoraui, eis, inquam, qui Boreale Hispaniæ latus terminant. Memoriæ proditum est, Cantabros, qui extrema Lusitaniæ seruant, quum in hostium potestatem perueniunt, & deinde cruci affixi, lætitiæ pæana canere. Viros vxoribus dotes tradere, & filias heredes designari, à quibus fratres earum vxoribus exhibentur: tantáque feritate esse, vt matres filios, ne in hostium manus perueniant, trucidare, & illud etiam filios parentibus facere. Cuidam deo sacra faciunt, cuius nomen non extat. Rotunda luna tempore nocturno ante fores per omnes domos pernoctant choreas agitantes. Virorum & mulierum communis est vtilitas. Rem ipsæ rusticam exercent, puerperæq; viris ministerium exhibent. Hispanum & illud est, vt de more toxicum apponatur, ex olere apio consimili conficiunt, nullum afferens dolorem, vt si quid offeratur inuiti, in promptu illud habeant.

Parricidarũ pœnæ.

Curandi ægrotos mos Aegyptiacus.

Cantabrorũ mores.

Cantabrorũ ferocitas.

Religio.

Toxicum semper in promptu.

habeant. Eorundem & illud est, vt sese pro iis, quibus concilientur, immolent, & pro eis morti se deuoueant.

De Anglia, Scotia, Hybernia, aliisq; multis insulis, & insulanorum moribus.

CAP. XXV.

ANglia, quæ & Britannia ab eruditis dicitur, insignis in Oceano insula triangulari forma Siciliæ similis. Hæc vndique à circumfuso mari complexa est, nusquam iuncta continenti, sed ab omni orbe nostro diuisa: quæ & quondam ab albis rupibus, qui ad eam nauigantibus primò apparent, Albion dicebatur. Troës eam quandoque incoluerunt, qui Troia à Græcis vastata Palladis oraculo digressi classe in hanc insulam venerunt, atq; Gigantes tunc eam incolentes multis prælijs victos expulêrunt. Hos verùm & ipsos post multos annos Saxones illustris Germaniæ populus Anglæ reginæ auspicio expulerunt, & agros, opésque Insulanorum inter se partientes, vt linguæ pariter & gentis memoria in deuicta insula sempiterna foret, ab Angla ductrice sua terram illam Angliam dixerunt: quamuis plerique sic appellatam putent, quasi nostris orbis angulum. Galliæ & Hispaniæ septemtrionem versus opponitur. Ambitus quadragesies octies & septuaginta quinque millibus passuum constat: dies longissimus XVI. horarum deprehenditur, & æstate lucidæ sunt noctes. Sunt

Anglia quondam Britãnia.

Albion.

Troës in Anglia.

Saxones in Anglia.

Anglia vnde appellata.

Ambitus Angliæ.

Noctes æstatis lucidæ in Anglia.

Angli cæruleis oculis, facie adeò venusta, & statura procera, vt beatißimus Gregorius quum fortè Anglorum pueros Romæ videret, Bene, inquit, bene Angli dicuntur, quia vultu nitent, vt angeli: oportet illis ministrari ner salutis æternæ. In bello sunt intrepidi, optimíque sagittarij. Fœminæ candore & forma insigni. Vulgus ignobile, ferum & inhospitale: mitior nobilitas, ac magis obuia ad omne humanitatis officium, aperto capite alteróque genu flexo hospites salutant: osculantur etiam si mulier sit, atque in cauponam ducunt, potantq; vnà: quod facere minimè probro est, modo omnis lasciuia absit. In bello non agri violantur, non vrbes, sed ad internecionem alterius partis dimicatur. Omnia victorem sequuntur. Prouinciarum omnium prima Christianam pietatem complexa est: pecoris & lanificij abundans. Lupos non gignit, nec illatos nutrit. Idcircò vagum pecus, & sine custode securum. Est Anglia etiam metallis diues: Aurum habet, argentum, plumbum, & cuprum. Insunt & Margaritæ, & Gagates lapis, qui ardet in aqua, & oleo exstinguitur. Vinum non gignit tellus, sed pro eo Ceruisia in vsu est. Sunt & exotica vina. Vici & villæ in Anglia plurimi sunt, & vrbes numero multæ. Lundonia gentis caput, regiáq; sedes, quæ nunc corrupta voce Londres, copia negotiatorum celebris. Et tales infra paucos annos Anglorum mores erant.

Venusti sũt Angli corpore.

Hospitalitas Anglorum.

Lupos non gignit Anglia.

Diuitiæ Angliæ.

Vina exotica, id est, aliunde aduecta.

Lundonia vrbs regia.

Antiqui Anglorum mo[illegible]

Cæsaris

Cæsaris verò tempore alios tuebantur. Nefas tunc erat leporem, gallinam aut anserem gustare, alere tamen voluptatis gratia. Mediterranei plerique lacte & carnibus sine frumenti vsu, victitabant, amiciebanturq; pellibus. Glasto ora inficiebant, qui color est cæruleus, vt in pugna horridiores essent, capillo promisso, præter caput cæterum corpus rasitare. Mulieres vno tempore denis & amplius viris matrimonio locari, haberéque eas fratres cum fratribus communes, parentes cum liberis: ac si qui ex his nati essent, liberi habebantur. Strabo auctor est, Anglos proceros homines supra Gallorum staturam esse, capillo breuiore, in quo tamen cum Cæsare dissentit. Nemora vndique objecta, vrbes illis fuisse, & in his tuguria, sub quibus & domini & armenta stabulabantur: pluuium ibi cælum esse magis quàm niuale: quum disserenaret, latè nebulam obtinere terram, vt quatuor circiter horas meridianum solem non aspiciant. Scotia suprema Angliæ pars est, ad septemtrionem tenui freto siue fluuio ab illa dirempta: nec procul inde Hybernia, Hirlandiam vulgus vocat. Indiscreti insulanorum habitus, indiscreta ferè omnia, eadem lingua, iidem mores, subita ingenia, & in vltionem prona, ferociáque in bello insignis, sobrij, & inedia patientissimi, eleganti forma, sed cultu negligentiore. Scoti à pictura corporis nuncupati, vt quidam arbitrantur. Vetus & vulgare

Glastum.

Connubia vno tempore multa.

Mansiones.

Cælum in Anglia.

Scotia.

Hybernia. Hirlandia.

Scoti vnde nuncupati.

Z 3 fuit

fuit pectus, brachia, manus, encausto figurare, quod in paucis hodie seruatur, atque iisdem syluestribus. Veteres scriptores, Britannorum fuisse aiunt, quum in pugnam ituri essent, corpora sibi tingere, ad terrorem, vt credere par est. Inuidi natura, ac cæterorum mortalium contemptores. Ostentant plus nimio nobilitatem suam, vt in summa etiam egestate suum genus referant ad regiam stirpem. Gaudent mendacio, nec pacem colunt, vt cæteri Angli. Scribit Pius pontifex dies ibi brumales, trium fermè horarum esse. Cæterùm & illud mirabile in ea gente obseruasse, Mendicantes circa diuorum templa lapides in eleemosynam, à prætereuntibus congerere, quibus ad vsum ignis vterentur. Caret lignis ea regio: lapis, qui datur, sulphurea est materia, aut certè pinguis. Refert quoque Aeneas inuestigatam à se ibi arborem esse, sed non repertam, cuius caduca folia in subiectum amnem prolapsa in volucres verti dicerentur. Adijcit audiuisse postea à locorum peritis id miraculi in Orcadum vna spectari. Hybernia insula inter septemtrionem & occidentem solem dimidio minor quàm Britannia, cui propinqua est; ab hyberno tempore, vt quidam putant, appellata, adeò pabulosa est, vt ibi pecuaria (nisi æstate à pastibus arceantur) in periculum agat satietas. Nullum noxium animal gignit, non araneum, non ranam, nec alit aliunde inuectum: omnia

Quare corpora tinxerunt Britanni.

Dies brumales triũ horarum in Scotia.

Insulæ quædam mirabilia.

De Hybernia, & gẽtis moribus.

Nullum noxium animal in Hybernia.

noxia

noxia animalia alio asportata solo pulueris iniectu necat. Apes in ea non reperiuntur: mira cæli temperies, fertilitas insignis. Gens tamen inhospita, inculta, crudelis. Sanguine interemptorum hausto prius victores vultus deturpant. Fas atque nefas eodem animo ducunt. Puerpera si quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inq; os paruuli summo mucrone auspicio alimentorum leniter infert, & gentilibus votis optat, non aliter, quàm si in bello & inter arma mortem obeat. Qui cultui student, dentibus marinarum beluarum insignium ensium capulos exornant, candicant enim ad eburneam claritatem. Viris præcipua gloria in armis est. Montium incolæ carne, lacte, & pomis victitant, magis venationi & ludis, quàm agrestibus operibus deditî. Mare, quod inter Hyberniam & Angliam interluit, vndosum, & inquietum toto anno, non nisi æstiuis pauculis diebus est nauigabile. Nauigant autem vimineis alueis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum. Quantocumque tempore cursus tenebit, nauigantes escis abstinent: freti latitudinem in centum viginti millia passuum diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati sunt, æstimarunt. Qui Sylluram insulam tenent homines, etiam nunc vetustum morem custodiunt. Nundinas ac nummum refutant, dant res, & accipiunt: mutationibus necessaria potiùs, quàm pretijs parant.

Hybernorū barbari mores.

Hyberniæ præcipua in armis gloria.

Syllura insula.

parant. Deos percolunt: scientiam futurorum pariter viri & fœminæ ostentant. Ebudum insularum, quarum quinque sunt, incolæ fruges nesciunt, piscibus tantùm & lacte viuunt, Rex vnus est vniuersis: nam quotquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur. Rex nihil suum habet: omnia vniuersorum: ad æquitatem certis legibus stringitur. Ac, ne auaritia à vero diuertatur, discit paupertate iustitiam, vt potè cui nihil sit rei familiaris: è publico alitur. Nulla ei datur fœmina propria, sed per vicissitudines in quamcumque commotus sit vsuariam sumit: vnde et nec votũ, nec spes conceditur liberorum. Thyle insularum vltima, quæ circum Britanniam iacens est, in qua æstiuo solstitio, sole in Cancri sydus faciente transitum, nox ferè nulla, Brumali solstitio perinde nullus dies. Pomorum copia est. Qui illic habitant, principio Veris inter pecudes pabulis viuunt, deinde lacte, in hyeme conspergunt arborum fructus. Vtuntur fœminis vulgò, certum matrimonium nullus. Aliæ quoque exsistunt insulæ in Mediterraneo occidentem versus, quæ à Græcis Gymnesiæ ab incolarum nuditate, qui æstatis tempore absque vestibus incedunt: ab accolis vero ac Romanis Baleares, à funda iactu, quòd rectiùs, quàm reliqui, lapides iaciant, appellati: Harum media reliquis maior est, demptis septem, Sicilia, Sardinia Creta, Eubœa, Cypro, Cyrno, Lesbo. Abest ab Iberia, quæ Hispan-

Ebudes insulæ.

Omnia vniuersorũ apud Ebudes.

Thyle insularum optima.

Nox nulla. Dies nullus

Cõmunia matrimonia.

Gymnesiæ insulæ.

Baleares insulæ.

Iberia Hispania.

Hispania est, diei vnius nauigatione. Minor ad Orientem spectat, nutriens plurima omnis generis armenta, sed mulos præcipuè, qui & magni sunt, & sonora voce. Vtraq; insula fertilis, ac fructifera est, referta est habitatoribus, vt qui triginta hominum millia excedant. Ad vini potum, quod raro apud eos est, sunt promptiores. Oleo omnino carent: ideo ex Lentisco & porci adipe mixtis vngunt corpora. Mulieres adeò præ cæteris appetunt, vt mulierem à prædonibus captam tribus aut quatuor rediment viris. Habitant in saxis concauis, iuxtaq; præcipites petras. Effossis cuniculis ad corporum tegumenta vtuntur, & vitæ securitatem. Aureo nummo aut argenteo non vtuntur, quæ afferri ad insulam prohibent: existimant enim eo pacto, quum auro atque argento careant, sese facilè omnes vitæ insidias euasuros. Hanc ob rem quum olim cum Carthaginiensibus militassent, ex stipendio impenso mulieres ac vinum emptum secum tulere. Mirandum verò quòd in nuptijs de more seruant: in epulis enim, quæ cum domesticis, amicisq; in nuptijs fiunt, primus, secundusq;, & deinceps secundùm ætatem reliqui nuptam cognoscunt: vltimus sponso locus ad vxorem datur. Priuatim quid etiam, & à cæterorum moribus alienum, in defunctorum sepulchris obseruant. Lignis enim membra corporis incisa in vas conijciunt, supráque saxa accumulant. Arma eis

Durus habitandi ritus.

Pecuniæ nullus vsus.

Nuptæ conuiuæ perordinē cognoscunt.

Sepulcra.

Arma insulanorum.

sunt fundæ tres, vna caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus gestatur. In prælio lapides multò maiores, quam reliqui, ita robustè iactant, vt ab aliquo tormento lapis missus videatur. In vrbium expugnatione lapidum iactu eos quidem, qui supra ex propugnaculis mœnia tuentur, vulnerant. In pugna verò scuta, galeas, omneq; armorum genus confringunt. Ita autem rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus: quod eis continuus à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quòd iactu petant, neque antè cibum capiant, quàm panem lapide eiectum pro cibo sumunt permissu matris. Nunc de insula in Oceano versus Meridiem reperta, & quæ in ea præter fidem narrantur, déque inuentionis causa paucis sunt explicanda. Iambolus à pueritia eruditus post patris, qui mercator fuit, obitum, & ipse mercaturæ operam dedit, per Arabiam transiens ad aromata emenda, cum socijs itineris à latronibus captus primò cùm vno ex conseruis pastor deputatus est, deinde vnà cum eo à quibusdam Aethiopibus comprehensus, vltraq; maritimã Aethiopiam ductus. Hi quum essent externi, in expiationem eius regionis capti sunt. Mos erat his, qui ea loca incolebant, Aethiopibus à priscis temporibus ex deorum responso traditus, perq; progenies viginti, annos verò sexcentos (progen

Fundarum vsus.

Iactus peritia.

De insula à Iambulo reperta.

Iamboli fortuna.

(progenies enim triginta perficitur annis) obseruatus, duobus hominibus expiationem facere. Habebant præparatum nauigiolum ad ferendas maris tempestates aptum, & quod duo viri facilè regere possent. In id sex mensium victu, quod satis esset ambobus, imposito, viros inducentes mandabant, vt secundùm oraculi responsa nauiculam versus Meridiem dirigerent, venturos eos ad insulam esse fælicem, & humanos homines, qui beatè viuerent. Eodem modo & eorum patriam, si ipsi in insulam salui peruenissent, sexcentis annis in pace felicitatéque futuram. Sin verò longitudine maris territi cursum retro verterent, tanquam impios ac scelestos omni eorum genti magnarum calamitatum causam præbituros. Aethiopes verò aiunt dies agere iuxta mare festos, sacráque facere, optantes, quo solita fiat expiatio, prosperum nauigantium cursum. Hi post quatuor mensium nauigationem multis acti tempestatibus ad insulam deferuntur figura rotundam, stadiorum ambitu quinque millium. Insulæ appropinquantibus, accolæ quidam obuij scapham deducunt, alij accurrentes mirantur alienigenarum aduentum, eos humaniter, benignéque suscipiunt, quæ apud se erant illis communicantes. Sunt eius insulæ homines corpore ac moribus haud nostris similes, eadem tamen corporis forma, sed quæ magnitudine quatuor cubitos

Aethiopũ maritimorũ expiatio

Insulæ descriptio.

Hominum mirabiliũ descriptio.

exced

excedat, horum ossa veluti nerui, quò velis flectuntur, reflectunturq́. Corpore sunt plusquàm nos agili ac robusto. Nam si quid manibus ceperint, nemo eripere ex digitis potest: pellis corporis adeò perpolita, vt ne parua quidem lanugo appareat. Pulcri sunt, decori, & corpore composito. Aurium foramina multò nostris patentiora, quemadmodum & lingua à nobis differunt. Habet enim eorum lingua priuatim quid, tum à natura, tum ab ingenio datum: diuisam enim linguam natura dedit, quæ scinditur in inferiori parte, vt ab radice duplex esse videatur. Ita varia vtuntur loquela, vt non solùm voce hominum loquantur, sed auium diuersarum imitentur cantus. Et quod mirabilius videtur, vnà cum duobus hominibus perfectè simul respondendo, tum disputando loquuntur: vna enim lingua parte vni loquuntur, reliqua alteri. Purum ibi esse integro anno aërem constat, quemadmodum poëta scribit, pyrum supra pyrum, malum supra malum, vuam supra vitem senescere: esse insuper tradunt continuò diem parem nocti. Circa Meridiem nullam fieri rei alicuius vmbram, quum supra verticem sol exsistat. Viuunt autem secundùm cognationes ac cœtus, qui tamen quadringentos non excedant. Habitant in pratis, ferente absque cultura sponte sua vberes fructus terra. Nam insulæ virtus, aërisque temperies terram sua sponte frugiferam, vltra quàm

Lingua duplex à natura.

Insulæ vbertas.

Terra absque cultura frugifera.

satis

satis est, reddit. Nascuntur apud eos arundines plurimæ ferentes vberem fructum albo eruo persimilem: hos collectos spargunt aqua calida, quoad auctus oui columbæ magnitudinem æquat: ex his postmodum contritis panem conficiunt dulcedine præstantem. Sunt etiam in ea aquarum fontes permagni, ex quibus partim aquæ calidæ ad vsum balnearum, ad curandósque morbos manant: partim summa dulcedine frigidæ, quæ ad valetudinem conferunt. Est quoque omnium doctrinarum, maximéque astrologiæ, apud eos cura. Vtuntur literis, quas habent viginti & octo secundùm virtutem significandi, characteres verò septem, quarum quælibet quatuor interpretatur modis. Longissimæ sunt ætatis, vt qui annis centum quinquaginta vitam agant, & absque aliquo (vt plurimum) morbo. Si quis febricitet, aut corpore æger fuerit, mori statuta lege compellunt. Non scribunt per latus, vt nos, sed à superiori parte recta linea ad inferiorem. Mos est eis ad certam vsque ætatem viuere, qua perfecta, variam sibi mortem sponte constituunt. Gemina est apud eos herba, supra quam si quis iacet, in suauem deductus somnum moritur. Mulieres minimè nubunt, sed omnibus sunt communes. Simili modo & [illegible] educantur, communique amore sunt omnibus. Abducunt sæpius à nutrientibus infantes, ne matres filium recognosc-

Fontes salubres.

Doctrinarũ cura.

Literæ.

Aeger mori lege cõpellitur.

Viuēdi certa meta.

Herba mortem inducentes.

Matrimonio nisco manu [illegible]

gnoscant. Quo fit, vt quum nulla sit apud eos ambitio, aut præcipua affectio, concordes absque seditione viuant. Esse insuper ea in insula animalia magnitudine quidem parua, sed natura & sanguinis virtute admirabilia, corpore sunt rotundo, ac testudinibus simili, duabus lineis inuicem per medium transuersis, in quarum cuiuslibet extremo sit auris & oculus, vt quatuor oculis videant, totidémque audiant auribus: vnicis ventre atque intestinis, in quæ comesta confluunt. Pedes circum habent plures, quibus in vtramque partem ambulant. Huius beluæ sanguis mirabili asseritur virtute. Omne enim corpus concisum dum spirat, hoc tinctum sanguine cohæret. Quisque cœtus nutrit magnas diuersæ naturæ aues, quibus experiuntur quales filij sunt futuri. Impositis enim supra aues infantibus, si volantes per aëra immoti non expauescant, educant. Si verò timore ignauiáque deficiunt, proijciuntur, vt neque diutius victuri, & animi exercitio inutiles. Cuiuslibet cœtus senior alijs tanquam rex, cui parent omnes, imperat: Annis centum quinquaginta actis seipsum vita ex lege priuat: post eum senior accipit principatum. Mare, quo insula circumdatur, fluctuosum, & quod motus ingentes facit, dulcis est aquæ gustus. Arctus, & pleræque stellæ, quæ nobis apparent, minimè ab illis conspiciuntur. Sunt & aliæ septem insulæ pari magnitudine, parib.

Animalia admirabilia.

Sanguis medicinæ vtilissimus.

Senior cuiuslibet cœtus rex.

Aliæ insulæ septem.

Paribusq; ferè interuallis distantes, quæ eiusdem gentis, legisq; existunt. Omnes eas incolentes, quamuis terra sua sponte abundè victum ferat, his tamen modestè vtuntur. Simplices enim cibos appetunt, nutrimentum quod satis est quærentes. Carnibus tum assis tum elixis vescuntur. Coquorum artem, variisq; saporibus condita, vt inutilia reijciunt. Deos, & eum, qui omnia continet, solémque, & reliqua cælestia colunt. Pisces, auesq; varij generis capiunt. Nascuntur ibi sua sponte arbores fructiferæ, oleæ, & vites, ex quibus olei & vini copiam educunt. Serpentes magnos, sed innocuos insula producit, quorum carnes miræ dulcedinis edunt. Vestes parant ex lanugine molli ac splendida ex medio arundinum sumpta, qua marinis tincta ostreis vestimenta purpurea conficiuntur. Varia exsistunt animantia, &, quia præter opinionem, haud facilè credita. Certum viuendi ordinem seruant, vnico cibo dietim contenti. Nam certo die pisces, alio aues, quandoq; terrestria animalia edunt, oleo aliquando, simpliciq; mensa vtuntur. Diuersis sunt exercitijs dediti, quidam inuicem ministrant, alij piscantur, alij exercent artes, nonnulli circa alias res vsui commodas occupantur. Quidam exceptis senibus partitis inuicem operis seruitio vacant. In sacris ac diebus festis hymnos in deorum, & maximè Solis, laudes canunt, cui se & insulas dicarunt. Mortuos in litore sepeliunt, cadauer quum

Victus insulanorum.

Religio.

Serpentes innocui & esui apti.

Exercitia & studia.

Sepulcra.

quum mare fluit arena obruētes, vt aqua fluxu inundationeq; exaggeretur locus. Calamos, ex quibus fructum decerpunt, augeri aiunt, minuiq; ad Lunæ modum. Fontium aqua dulcis ac sana caliditatem seruat, nisi frigida aqua aut vinum immisceatur. Iambolus & qui cum eo accesserat, quum septem annis in insula mansisset, tandem inuiti eiecti sunt, tanquam mali, malisq; moribus assueti. Igitur præparata rursus scapha, cibisque impositis abscedere coacti mensibus quatuor ad regem Indiæ peruenere, à quo posteà saluo conductu per Persidem in Græciam dimissi sunt.

Aquæ mirabilis natura

De Taprobana insula, & gentis eius moribus. CAP. XXVI.

TAprobanam insulam antequam temeritas humana exquisito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putauerunt, & quidem eum, quem habitare Antipodes crederentur. Verùm Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit vlterius permanere, sed in hæc vsq; secreta propagauit nominis sui gloriam. Missus igitur Onesicritus præfectus classis Macedoniæ, terram istam quanta esset, quid gigneret, quomodo haberetur, exploratam notitiæ nostræ dedit. Patet in longitudine stadiorum septē millia, in latitudine quinque millia, sciditur amne interfluo. Nam pars eius bestijs & Elephantis repleta est, maioribus multò, quàm quos India: partem homin

Alexandri magni virtus.

Insula ab Onesicrito reperta.

homines tenent, Margaritis scatet, & gemmis omnibus: sita inter Ortum & Occasum, ab eo mari incipit, quod fretum Indiæ est. A Prasia Indorum gente dierum vigintiquinque primò in eam fuit cursus: sed quum papyraceis & Nili nauibus illò pergeretur, mox cursu nauium nostrarum septem dierum iter factum est. Mare vadosum interiacet altitudinis non amplius senûm passuum. Certis autem canalibus adeò altum, adeóque depressum, vt nullæ vnquam anchoræ ad profundi illius ima potuerint peruenire. Nulla in nauigando syderum obseruatio, vtpotè vbi septētriones nequaquam aspiciuntur: vergiliæ nunquam apparent: Lunam ab octaua in sextamdecimam tantùm supra terram vident. Lucet ibi Canopus sydus clarum & amplissimum: Solem orientem à dextra habent, occidentem à sinistra habent, Sub Claudij adhuc principatu æs signatum ignorabant. Pecunia maximè stupuisse traduntur, quòd signata disparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis. Excedunt homines corporum magnitudine alios omnes. Crines fusco imbuunt. Cærules oculis, atroci visu, terrifico sono vocis. Quibus immatura mors est, in annos centum æuum trahunt. Alijs omnibus annosa ætas, & penè vltra humanam extenta fragilitatem. Nulli aut per diem, aut ante diem somnus. Noctis partem quieti destinant, lucis ortum vigilia anteuer-

Taprobanæ ambitus.

Mare vadosum.

Canopus sydus.

Taprobanæ homines.

aa tunt.

tunt. Aedificia modicè ab humo tollunt. Annona semper eodem tenore est, vites nesciunt, pomis abundant. Colunt Herculem. In regis electione non nobilitas praeualet, sed suffragium vniuersorum: populus enim eligit spectatum moribus, & inueteratae clementiae, & iam annis grauem. Sed hoc in eo quaeritur, cui liberi nulli sint. Nam qui pater fuerit, etiam si vita spectatus est, non admittitur ad regendum: & si fortè dum regnat pignus sustulit, exuitur potestate, Idq; eò maximè custoditur, ne regnum haereditarium fiat: deinde etiam si rex maximam praeferat aequitatem, nolunt ei totum licere. Quadraginta rectores accipit, ne in causis capitum solus iudicet, & sic quoque si displicuerit iudicatum, ad populum prouocatur. A quo datis iudicibus septuaginta, fertur sententia, cui necessariò adquiescitur. Cultu rex dissimili à caeteris vestitur. Quòd si etiam ipse in aliquo peccato argutus sit, ac conuictus, morte multatur. Non tamen vt cuiusque attrectetur manu, sed consensu publico rerum omnium interdicta ei facultate, etiam colloquij potestas punito denegatur. Culturae student vniuersi, venatibus indulgent, nec plebeias agunt praedas, quum tigrides & elephanti tantùm requirãtur. Maria quoque piscationibus inquietant, marinásque testudines capere gaudent, quarum tanta est magnitudo, vt superficies earum domum faciat, & numerosam famil

Rex suffragio creatur.

Rex liberis carere debet.

Iudiciorũ pulcra institutio.

Rex peccãs morte multatur.

Gentis studia.

Testudinũ marinarum magnitudo

familiam non arctè receptet. Maior pars Insulæ huius calore ambusta est, & in vastas deficit solitudines. Latus eius mare alluit peruiridi colore, fructicosum adeò, vt iubæ arborũ plerumque gubernaculis atterantur. Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum. Secant marmora testudinea varietate. Margaritas legunt plurimas, maximasq;. Et hæ sunt gentes, hæ nationes, quarum mores, ritus, & instituta ab historiographis ipsis passim celebrata sunt ; & potissimum quæ potuerunt aliqua sui excellentia & dignitate ad cognitionem nostram peruenire. Permultas adhuc esse fateor, quæ à me aut prætergressæ sunt, aut parciùs attrectatæ: quum de illis scribere non plura potui quàm inueni, vt qui apud eas non fui nec cognoui, neque qui omnium conscius esset (præter immortalem deum) dicere satis posse existimaui. Ipse enim solus est, qui nouit omnia, & solus qui potest. Ipse est, qui prima ipsius orbis fundamenta in orbem coniecit, & immensi maris æditum & semitam mortalibus patefecit, quiq; vitæ huius commoditates omnes, diuitias, dignitates, honores præstitit: quive sydera discernens vnicuiq; quam voluit, sortem tradidit: quibusdam enim vt terram colerent, atque inde sibi diuitias & opes compararent, alijs autem vt pelago acti, aut piscarentur sibi victum, aut mercimonia commutarent. Alijs vt scientiæ &

Conclusio libri.

Excusatio authoris.

Deus solus omnia nouit & potest.

A Deo cuique sors sua concessa.

philosophiæ studijs se dederent, atque inde honores aucuparentur & laudes. Multis etiam vt cæteris præessent, iuberent & imperarent. Ideò non mirandum, si homines variam inter se, non solum fortunam, sed etiam naturam, mores, & viuendi ritus sint consequuti, quum videmus regiones & loca eam quoque varietatem adepta, postquam vna quidem lacteos homines pariat, alia subalbidos, alia fuscos, alia prorsus adustos, aut similes multis floribus, quales Assyria generat. Sic enim statuit Deus, vt homines varij quoque ingenij, & multiformis animi ac industriæ, quemadmodum & cætera, nascerentur, atque vt vnusquisq; sua contentaretur sorte.

Vnde morũ diuersitas.

ANDR.



ANDREAS PALEO-SPHYRA GVNDEL-FINGIVS LECTORI S.

A MARONE licet Ithacus Vlysses scelerum inuentor, ab Homero Polytropos, ab aliis technarum architectus, & versutiæ omnis conciliabulum appelletur: attamen sapientissimus, peritissimus, atque patientissimus heroum omnium & prædicatur, & habetur, quòd peregrè profectus, externorum hominum mores multorum cognouit, & vrbes, ab aduersante nimium sibi fortuna per Scyllam atque Charybdim actus, Syrtium, Cyclopis, Sirenum, & Circes molestias tulit. Quis ergo non videat, quis non intelligat quàm decorum, quamq; vtile sit ad tanti principis vestigia quàm remotissimè peregrinari, alienas terras inuisere, vnde peculiaria gentium aliarum studia, mores, exercitia, linguæ, leges, dogmata sacra & profana omnia, esus, vestitus, ædificandi ratio, locorum situs, cultusq;, & denique

rerum naturæ omnium ediſcantur? Quoniam verò propter impedimenta pleraq; ætate maximè noſtra omnibus hæc non conceditur, vt non minus illa hæc in patrio ſinu quieſcendo cognoſcerentur, elaborauit Boëmus hic meus, literarum humanarum ſcientiſſimus, ex innumeris claſſicis ſcriptoribus conſcripto præſenti opere. In quo tres terræ partes, partium regiones & loca, locorum homines, hominum mores & ritus memorabiliores explicantur omnes, tanta diligentia, tanta arte, quanta à nemine ante eum vnquam priùs pertractari dignoſcuntur: ex racematione diligenti vindemiam, ex ſpicilegio meſſem fecit, ſuccoſum non minus, quàm iucundum, nec iucundum minus, quàm vtilem atque pernecesſarium librum, adeò, vt niſi quæ in ipſo de homine prædicantur, ille qui humanitati ſtudet, cognouerit, magis inſtituto aberret ſuo, quàm materiarius: quem materiæ, in qua laborat, natura ſiue conditio fugerit. Quare, humanarum rerũ humane lector, eas hominum res intuere, lege: atque vbi quanta in eis vtilitas, quanta humanæ vitæ inſtitutio ſit, experieris, gratias Boëmo noſtro age immortales.

EX NICOLAO DAMASCENO DE MORIBVS GENTIVM.

*

THYNI.

THYNI *naufragos humaniter excipiunt, & amicitia sibi deuinciunt. Sed & ex peregrinis eos, qui sponte accedunt eximiè honorant: Qui verò inuiti ad ipsos delati fuerint puniuntur.*

Aritoni.

Aritoni nullum animal mactant. Oracula sua testis inscripta habent, quæ in aureis inuolucris custodiunt.

Dardani.

Dardani, gens Illyrica, ter saltem in vita lauantur, quum in lucem recens editi sunt, cùm nuptias contrahunt, quum fato sunt functi.

Galactophagi.

Galactophagi, gens Scythica non in ædibus degunt, vt & plerique alij Scytharum. Victus eis saltem equarum lacte constat, vnde caseos conficiunt, vt ita eo tum potu tum cibo vtantur. Itaque non facilè bello superantur, quòd commeatus vbique ipsis præsto sit. Hi & Darium domum remeare coëgerunt. Sunt autem

inuicem iustißimi, vtpotè qui facultates & vxores communes habeant. Vnde inter se Seniores quo suis patres suos appellant, iuniores filios, & æquales fratres. Ex his oriundus Anacharsis, in septem sapientum numero habitus, qui in Græciam venit, vt leges & instituta aliorum disceret. Quin meminit eorum & Homerus vbi inquit, Mysorum cominus pugnantium, & Agauorum equas mulgentium, Et Galactophagorũ, Abiorũmque iustißimorum hominum. Abios autem vocat eos, siue quòd terram non colerent, siue quòd sine domibus degerent, siue etiam quòd hi soli arcus in bellis vsurparent. Arcus enim poetæ haud rarò βιὸς *dicitur. Apud hos (vt ferunt) neminem deprehendere est inuidia laborantem, aut odio flagrantem, siue metu perculsum, propter vitæ istam communionem & iustitiam. Bellicosæ autem ipsorum non minus mulieres sunt, quàm viri, quæ & vnà in prælium eunt, quum ita facto opus. Itaque & Amazonas fœminas generosißimas esse, adeò vt progressæ sint cum exercitu olim Athenas, & in Ciliciam vsque, quando videlicet iuxta Mæotim paludem habitarunt.*

Iberi.

Iberorum mulieres quotannis in publicum exhibent, quod tela confecerunt. Viri autem suffragijs lecti de ipsis iudicant, & quam earum plurimum laborasse inueniunt, ei primos honores deferunt. Habent quoque Zonam certæ mensuræ,

stura, intra quam si venter cuiusquam comprehendi nequeat, pro dedecore id magno habetur.

Vmbrici.

Vmbrici in pugnis aduersus hostes, turpissimum ducunt victos viuere: sed necesse est aut vincere, aut mori. Vmbrici quum controuersias inter se habent, pugnant armati ac si bello congrediendum esset: & videntur iustiorem habuisse causam qui aduersarium interemerint.

Celtæ.

Celtæ Oceani accolæ, pro dedecore habent, si quis muro aut domui ruenti se subducat. Inundatio quum ex mari exteriori accedit, armis induti ei obuiam eunt, subsistuntq; donec merguntur, idq; ne fugientes videantur quoquo modo mortem formidare. Celtæ gladijs cincti Reipub. negotia tractant. Grauiorem etiam pœnam apud eos luit, qui peregrinum, quàm qui ciuem interemerit. Illi enim mors irrogatur, isti exilium indicitur. Ante omnes honore eos afficiunt, qui victoria potiti agrum aliquem in publicum acquisiuerunt. Ianuas ædium nunquam occlusas habent.

Pædalij.

Apud Pædalios, gentem Indicam, non sacrificus, sed prudentissimus omnium qui præsto sunt sacra auspicatur. Petitur autem à Dijs nihil aliud quàm iustitia.

Praysij.

Praysij, vel Prasij, vicinos fame afflictos alimento subleuant.

Telchines.

Homines illi qui Telchines dicti, antea quidem Cretenses erant, seb postea & Cyprum inhabitarunt. Vnde quum in Rhodum migrassent. primiq; eam insulam occupassent, maligni admodum & inuidi extiterunt. Quum verò & hi artes mechanicas exercerent, maiorúmque opera imitarentur, Mineruæ Telchiniæ statuam primi erexerunt, quod nomen sonat ac si dicas, Mineruæ inuidæ.

Tartessij.

Apud Tartessios minori natu aduersus maiorem testimonium ferre non licet.

Lucani.

Lucani tanquam criminis alicuius, etiam luxuriæ ignauiaq; iudicia agitant. Si quis conuictus luxurioso mutuum dedisse, mutuo isto multatur.

Samnites.

Apud Saunitas vel Samnites de adolescentibus & virginibus quotannis publicum habetur iudicium. Quem igitur eorum optimum esse sententia iudicum pronunciarit, is sibi ex virginibus eligit vxorem quam vult, deinde secundus ab eo alteram, & sic de cæteris fit deinceps.

Limyrnij.

Limyrnij vxores habent communes, & liberos

beros communiter alunt vsque ad annum ætatis quintum. Anno autem sexto in vnum conuocant omnes pueros, atque tum ex similitudine ad quemlibet virorum coniecturam facientes, cuilibet similem patri filium assignant. Quum itaq; quis agnouerit puerum suum, tum quilibet eum vt filium educat.

Sauromatæ.

Sauromatæ (vel Sarmatæ) tribus diebus cibo se ita ingurgitant, vt repleantur. Vxoribus in omnibus obtemperant, tanquam dominabus. Virgini non priùs nuptias concedunt, quàm hostem aliquem interfecerit.

Cercetæ.

Cercetæ reos cuiuscumque admissi criminis ita puniunt, vt sacris interdicant. Si quis scapham gubernans impegerit, accedentes ordine singuli illi inspuunt.

Mosyni.

Mosyni Regem suum educant turri inclusum. Si quis iudicatus sit minus benè in publicum consuluisse, eum fame enecant. Frumentum quod ipsis ex agris prouenit æqualiter distribuunt, partem inde aliquam in commune conferentes pro peregrinis aduenientibus.

Phryges.

Phryges omni abstinent iureiurando, ita vt nec ipsi iurent, nec alios ad iurandum adigant. Si quis apud eos bouem aratorem interfecerit, aut agriculturæ instrumentum surripuerit, morte mul-

te multatur. Phryges non defodiant in terram sacerdotes mortuos, sed super columnas lapideas decem cubitorum erectos statuunt.

Lycij.

Licij plus honoris mulieribus quàm viris deferunt, nomináque eis à matribus induntur: Itémque bonorum hæredes filias, non filios relinquunt. Si quis liber condemnatus fuerit furti, pœna seruitutis ei irrogatur. Testimonia in causis non protinus ferunt, sed post mensem demum.

Pisidæ.

Pisidæ conuiuantes, parentibus epularum primitias libant, perinde vti nos Dijs federum amicitiæq; præsidibus. Grauissimum apud eos iudicium depositi agitur, quod qui fraude inuertere conuictus fuerit, morte afficitur. Si quis in adulterio comprehensus fuerit, is cum adultera asino insidens per vrbem circumducitur, idque ad constitutum aliquot dierum spatium.

Æthiopum.

Aethiopes sororibus potissimum honorem exhibent, & successionem tradunt Reges, non suis, sed sororum filijs. Quòd si ex ijs nullus superstit, cui succedere ius sit, tum pulcerrimum omnium & bellicosissimum Regem deligunt. Exercent ij præcipuè pietatem & iustitiam. Aedibus ipsorum nullæ sunt ianuæ, cúmque in vijs publicis multa sita iaceant, nemo eorum aliquid furatur.

Buzi.

Apud Buzos Libyæ seu Africæ gentem, vir inter viros dominatum gerit, mulier inter mulieres.

Basulici.

Basulici, Libyæ gens, quum bellum gerunt, noctu quidem prælium committunt, interdiu vero pacem seruant.

Dapsolibyes.

Dapsolibyes simulatque in vnum conuenere, vniuersi simul nuptias contrahunt eodem die, post occasum pleiadum. Etenim vt conuiuati sunt ad mulieres seorsim accumbentes extinctis luminibus adeunt, quámque earum fortè quispiam nactus fuerit, eam & vxorem ducit.

Ialchleuei.

Ialchleuei, gens Libyca, quum multi simul eandem sponsam ambiant, apud socerum seu sponsæ petitæ patrem cœnant. Dum verò multis dicterijs sibi inuicem illudunt, cui eorum spōsa arriserit, is eam ducit.

Sardolibyes.

Sardolibyes nullam supellectilem sibi parant, præter calicem & gladium.

Alitemij.

Alitemij Libyes perniciosissimos Reges eligunt: Ex reliquis prout quisque maximè iustus est, ita & dignitate eminet.

Nomades

Nomades.

Nomades & ipsi Libyum gens, in temporũ dinumeratione non diebus, sed noctibus vtũtur.

Apharantes.

Apharantes Libyes nominibus carent, soli orienti conuicium faciunt, vt qui multa mala in lucem proferat & ostendat. Ex filiabus optimas eas censent, quæ tempore quàm longissimo virgines manent.

Bœoti.

Quidam Bæotorum decoctores qui non sunt soluendo in forum adducunt, & considere iussis cophinum superinijciunt: Ac qui hac cophini pœna affectus fuerit, inde infamis fit. Quam pœnam irrogatam etiam Euripidæ patri: qui ex Bæotis oriundus erat, sunt qui existimant.

Assyrij.

Assyrij virgines in foro vendunt quibuslibet eas sibi iungi desiderantibus. Ac primo quidem veneunt, quæ forma omnium sunt venustissima, tum deinceps reliquæ. Quum verò ventum tandem fuerit ad maximè deformes, per præconem diuulgant, quantum quisque pecuniæ accipiat, vt eam ducat. Atque ita pretium ex formosarum venditione redactum, in elocandas deformes impendunt. Coniungunt pariter exercentes in moribus potissimùm grauitatem & mansuetudinem.

Persæ.

Apud Persas quod factum turpe existimatur, id

tur, id nec dictu honestum censent. Si quis patrem necauerit, eum subdititium non genuinum filium existimant. Si quem iusserit Rex flagris cædi, is tanquam beneficio affectus, gratias agit quòd eius rex meminisset. Quibus soboles numerosa est, ij præmium eo nomine à Rege ferunt. Pueri apud ipsos, vera dicere non secus atque disciplinam aliquam discunt.

Indi.

Apud Indos quum quis fraudatur mutuo, aut deposito, actionem non habet, sed sibi culpam imputare debet, quòd credidit. Si quis artificem manu vel oculo priuauerit, morte pœnam luit. Qui grauissimo obnoxius delicto est, iubente Rege tondetur, tanquam hoc extremæ sit ignominiæ. Indis mortuis iungitur in rogum vxor ex omnibus dilectissima vnà cremanda. Inter ipsas autem acerrimum certamen oritur, adiuuantibus quamlibet suis amicis, vti vincat.

Lacedæmonij.

Lacedæmonij non satis honestum ducunt, alijs operam nauare artibus, quàm ad res bellicas pertinentibus. Cibum omnes viri vnà capiunt. Senes quosuis omnes reuerentur, non secus ac parentes suos. Vt viris sua sunt exercitia, ita sunt virginibus item sua. Peregrinus Spartæ degere fas non est, nec Spartanum peregrè proficisci. Vxoribus suis potestatem faciunt prolem suscipiendi ex pulcerrimis, tum ciuium,

ciuium: tum peregrinorum. Quæstũ facere Spartano indecorum. Nomismate vtuntur ex corio. Quod si verò contingat aurum domi alicuius vel argentum deprehendi, morte pænam luit. Maxima omnibus hinc gloria, si se humiles & obedientes magistratibus suis prebeant. Beatiores apud eos iudicantur, qui præclaram mortem oppetunt, quàm qui in magna prosperitate viuunt. Pueri ex lege quadam aram circumeuntes flagellantur, donec pauci ex ijs reliqui, perdurantes sub flagris, coronas præmium auferunt. Minus honestum censetur timidum aliquem, contubernalem vel Gymnasij socium, vel amicum sibi iungere. De senibus iudicium fit circa finem vitæ, quinam ex ijs bene, qui sequius vitam suam traduxerint. Quum exercitus educitur extra limites regionis, ignem incendit sacerdos, qui Pyrphorus, id est ignifer, dicitur, ab ara Iouis ductoris, quem a Rege non procul remotus præfert, inextinctum seruans. Adiunguntur autem Regi in bellum eunti Vates, medici, tibicines. Nam tibijs in bellis vice tubarum vtuntur. Pugnantes autem coronis ornantur. Regi assurgũt omnes præterquam Ephori. Iurat autem Rex antequam regnum adeat, imperaturum se iuxta leges Reipublicæ.

Cretenses.

Cretenses primi inter Græcos leges habuerũt à Minoe Rege conditas, qui & primus maris

imperio

imperio potitus est. Fingebat autem Minos se ab ipso Ioue didicisse, quod per annos nouem ad montem quendam commearet, vbi antrum Ioui sacrum erat, a quo reuersus semper leges aliquas Cretensibus attulit, Cuius meminit Homerus suis versibus quorum hæc sententia:

Inter illas est Gnoss' vrbs magna, vbi Minos
Nouem annis imperauit, qui Iouis magni
confabulator erat. Cretensium pueri in vnum publicè congregantur, ibique v ià duriter educantur, & venationibus dediti per accliuia nudis pedibus discurrunt, & armati ad saltationem Pyrrhicam dictam magno labore assuefiunt, cuius inuentor fertur fuisse Pyrrhichus Cydoniates, genere Cretensis. Viri autem simul in publico cibum capiunt, eadem victus ratione æqualiter omnia ipsis præbentur. Dona apud ipsos plurimi æstimata, sunt arma.

Autariatæ.

Autariatæ milites per viam ægros imbecillésq; factos, in viuis nunquam relinquunt.

Triballi.

Triballi quatuor phalanges seu ordines in acie instruunt: Primam phalangem faciunt imbecillium: Alteram ab ea fortißimorũ quorumq;: Tertiam Equitum: Vltimam mulierum, quæ reliquos in fugam versos conuiciis sistunt.

Causiani.

Causiani eos qui in lucem eduntur, deplorant: qui autem è vita excedunt, eos beatos iudicant.

Cij.

Cij mortuos quum cremarunt, ossa eorũ colligunt, quæ in mortario contundunt. Tum in nauigium imponentes in altum nauigant, vbi per cribrum ea ad ventos dispergunt, donec omnia difflantur & euanescunt.

Tauri.

Tauri, gens Scythica, vnà cum Regibus mortuis gratissimos quosq; eorum amicos humare solent. Rex verò quum amicum aliquem morte amittit, aut partem auriculæ, aut totam eam abscindit, prout dignitas amici mortui merebatur.

Sindi.

Sindi quum quenquam sepeliunt, tum quot hostes in vita occiderit, totidem pisces eius sepulchro iniciunt.

Colchi.

Colchi vita functos non humi sepeliunt, sed ab arboribus suspendunt.

Panebi.

Panebi Libyes mortuo rege corpus reliquum terra condunt: caput autem trunco amputatum inaurantes in sacris statuunt.

FINIS.

EXCIR

EXCERPTA QVÆDAM

DE AMERICA SEV BRASILIA EX IOAN. Lerij Historia.

*

BARBARI *Americani, qui terrâ Brasiliæ incolunt,* Tououpinambaultij *nominantur. Ii corpus nec prodigiosum, nec mõstrosum habent, sed nostro, qui in Europa viuimus, persimile, quod ad staturã spectat. Sunt quidem fortiores, robustiores, saniores, & minus obnoxij morbis. Pauci apud eos sunt claudi: pauci altero priuati oculo: deformes ferè nulli: licet etiam centesimum ac vigesimum ætatis annum sæpe attingant, (per lunas enim annos numerare norunt) pauci tamen canescunt. Id vero regionis illius temperiem indicat, quæ quum nullis frigoribus, aut pruinis torreatur, virides herbas, agros, & arbores semper habet: ipsi quoque molestijs ac curis omnino vacui, iuuentutis in fonte labra rigasse videntur. Et quoniam fontes lutosos, & scaturigines pestilentes non adeunt, è quibus mala omnis generis oriuntur, quæ nos ante tempus attenuant, macerant corpus, animum excruciãt, denique perimunt vtrumque: nihil eorum ad*

Statura, & dispositio Barbarorum.

Aetas Barbarorum.

Barbari rerum mundanarū neglectores.

illos pertinet: diffidentia, auaritia, litibus, inuidia, ambitione denique non laborant. Colore prorsus nigro non sunt, sed tamen ad nigredinem accedente, propter solis vehementiā, quemadmodum Hispanis, ac Prouincialibus vsuuenire videmus.

Nuditas Barbarorum in genere. *Caterùm viri, fœminæ, infantes nudi prorsus incedunt, nec vllas corporis partes vnquam tegunt, nullo eius nuditatis pudore.* In eos qui Barbaros villoso esse putant. *Attamen villosi non sunt, vt quibusdam visum est, imò simul atque pili in corpore apparent, aut vnguibus, aut forcipibus paruulis, quas à Christianis accipiunt, euellunt: barbam ipsam, palpebras, supercilia eradicant, vnde lusci, toruêque aspectu fiunt.* Hist. gen. Ind. li. 2. c. 79. *Idem in insula Cumana vsurpatur à Peruensibus. Caput quidem illi capillis vestitum habent, qui maribus ab ineunte ætate à vertice ad sinciput raduntur, vt monachorum coronam dicas: ad occiput verò comam nutriunt nostrorum more maiorum, quam, vbi ad collum vsque fluctuat, resecant. In illis terris sunt herbæ quædam duorum digitorum latitudine: hæ paululum incuruæ, in orbem & longitudinem excrescunt, veluti calamus, qui contegit spicam millij illius prægrandis, quod apud Gallos triticum Sarracenum nuncupatur.* Quare senes Americani interdū virilia tegāt. *Senes (non tamen omnes, nunquam adolescentes, multò minus pueri) duobus illius herbæ folijs acceptis, filóque xylino virilia contegunt, atque etiam fascijs, ac linteolis, obuoluunt. Qua*

in re

in reprimo aspectu elucere videretur scintilla quadam naturalis verecundiæ, si modò id ea de causa facerent. Sed verisimile est, id ab illis fieri tegendi alicuius morbi gratia, quo in senectute partes illæ conflictantur.

Hoc insuper de more habent, vt ab infantia pueris omnibus labium inferius pertundant, eóque in foramine os quoddā perpolitum, ac instar eboris candidum inseratur, minimarum figura pyramidum, quæ supra mensam in quincuncem ordinatæ, verticillo petuntur. Pars fastigiata pollice vno, duobúsve digitis extrinsecus porrecta, inter gingiuas, & labium retinaculo adhæret: idq; pro arbitrio auferunt reponuntq;. Os verò illud fastigiatum, ac candidum, in adolescentia tantùm gestant. Quum verò ad grandiorem ætatem peruenêre, quumq; lingua sua Coromi ouassou *vocari incipiunt, (quod grandem aut crassum adolescentem sonat) foramini labiorum inserunt lapillum viridem, ex genere pseudósmaragdi, qui similiter obice quodam intrinsecus retentus extrinsecus apparet capitati argentei rotunditate ac latitudine, crassitudine autem duplici. Atque etiam nonnulli reperiuntur, qui digiti longitudine gestent, eúmque teretem. His lapidibus interdum sublatis, Tououpinambaultij linguam foras, per rimam illam labiorum, animi gratia egerunt, ita vt gemini oris effigiem spectantibus præbeant. Vtrum verò spectaculum istiusmodi placeat, an*

Labiū perforatum & eius perforationis ratio.

Lapilli virides labiis inserti.

bb 3 defor

deformes admodum hac ratione fiant, facilè est indicatu. Alij insuper sunt, qui lapillos eiusmodi virides in labijs gestare non contenti, vtrisque malis eundem ad vsum perforatis, includebant.

Malæ perforatæ ad lapillos inferendos.

Quod ad illorum nasos attinet, quum apud nos obstetrices soleant ab ipso puerorum ortu, vt formosiores, ac productiores efficiant, digitis extendere: contrarium prorsus institutum apud Americanos nostros obtinuit. Puerorum enim pulchritudinem nasi depreßione metiuntur. Itaque simul ac ex vtero matris prodiere, pollice nasus eis deprimitur, perinde atque catellis in Gallia quibusdam fieri solet. A quibus longè illi dißident, qui quodam in Paruani regni tractu, feruntur tanto esse naso præditi, vt ex eo smaragdi, cyanij, alijq; lapilluli, cùm candidi tum rubri, filo aureo suspendantur.

Hist. vniu. Ind. lib.4. cap.108.

Præterea Brasilienses compluribus pigmentis ac coloribus sibi corpus variegant: imprimis verò crura ac tibias adeò inficiunt atro colore, ex succo fructus cuiusdã, ab illis Genipat *dicti, vt eminùs animaduersa, femoralibus sacerdotalibus induti esse videantur. Ea porrò nigredo expressa ex illo* Genipat *fructu, ita illorum cuti adhærescit, vt decem aut quindecim diebus elui nequeat, quamuis se frequenter abluant.*

Barbari nigro colore infecti, & variis coloribus picti.

Adhæc meniscos etiam habent octo digitis longiores, ex oßibus apprimè læuigatis, ac instar alabastri candidis (quæ Yaci *appellant) mutuato*

Menisci ex ossibus candidis.

tuato à Luna nomine, quam ita vocant: hos funiculo xylino ad pectus è coüo appensos demittunt.

Similiter frustula complura testæ prægnandis lapide quodam diu multúmque attrita perpoliunt. Rotunda deinde, ac instar denarij tenuia efficiunt, & vmbelico pertusa, filoq; xylino traiecta, pro torquibus collo inserunt: (hæc Boü-re *ipsorum lingua vocantur) vt apud nos catenulæ solent aureæ. Id porrò, quod à multis buccinum appellatur, id esse credibile est, ex quo plerasq; mulieres, Zonas apud nos gestare videmus. Barbari præterea torques,* Bou-re *dictos, conficiunt ex quodam genere ligni nigri, ac solidi, cuiusmodi sycomorum esse Matheolus testatur, quod ad eã rem valde accõmodatũ est: quoniam ad grauitatem ac splendorem gagitis accedit. Maximam præterea vulgatarũ gallinarum copiam habent Americani: quarum progeniem à Lusitanis acceperunt. Albis sæpenumero plumas detrahunt, ac ferramentis quæ nunc habent: anteà verò, quum illis carerent, lapidibus peracutis molliores plumulas minutatim concidebant. Illis aquæ feruidæ ac bullienti impositis, ac rubro colore brasilico tinctis, postquam se gummi quodam ad id accommodato illeuerunt, contegunt, atque ornant corpus, brachia, tibias, varijsq; depingunt coloribus: ita vt instar pipionis, aliarúmve auium recens exclusarum, lanuginem quandam habere videantur.*

Bou-re torques.

deantur. Vnde versimile est, vt, quum quidam nostrates in eas terras peruenissent, eósque ita initio ornatos prospexissent, nihil penitus de eis perscrutati, hunc rumorem sparserint, Barbaros scilicet prorsus esse villosos. Res tamen longè secus sese habet, vt qui tales naturâ non existant. Proinde rumor ille ex rei ignoratione manauit, cui deinde nimiùm leuiter fides adhibita est. Quidam etiam memoriæ prodidit Cumanos sese vngere solitos gummi quodam, vnguentóve glutinoso, ac deinde se plumis variorum colorum conuestire.

Barbari plumis ornati crediti sunt villosi.

Histo. gen. Ind. lib. 2. cap. 79.

Ornatus verò capitis Tououpinamkiorum nostrorum hæc est ratio: præter syncipitis abrasionem in coronæ monasticæ formam, crinésque occipitis, quos ad collum summitti diximus, solent insuper auium plumas, rosei, rubei, cuiusuis denique coloris aptissimè compositas colligare, eásque ad frontalium vsum adhibere. Hæc non malè galericula referunt non ita pridem à nobilioribus fœminis nostratibus vsurpata: Quæ proinde à Barbaris nostris accepisse non immeritò dicantur. Frontale autem istud vernacula lingua est Yempenambi.

Frontalia ex plumis contexta.

Inaures.

Inaurium quoque ex ossibus albissimis apud eos magnus est vsus, ossibus illis non absimilium quæ perforatis suis labijs adolescentes imponere diximus. Apud eos auis est Toucan nomine, atra toto corpore seu coruus, circa ingluuiem plumis tenuissimis fuluo colore, tor-

que

que miniato ab imo circundatis. Partis istius pellem detrahunt, detractam siccant, (auis nomen retinet) siccatam vtrique genæ applicant cera agglutinatam, quam Trayetic nuncupant. Quibus ita aptatis, dicas vmbones lupatarios ex ære inauratos ab illis gestari.

Præterea si ad bellum sese accingant, aut pro more & solenni pompa captiuum deuorandum sunt mactaturi, vt ad ornatum & elegantiam nihil desit, vestes induunt, pileos aptant, armillas brachijs imponunt ex plumis viridis, rubei, cærulei, & cuiuscunque alius coloris compactas, eximiæ pulchritudinis. Quibus artificiosissimè aptatis & insertis, atque adeo calamo tenui arundine filóque xylino admodum concinnè compactis & connexis, vt vix vllum credam in Gallia esse phrygionem, qui maiori industria plumas illas tractare & aptare possit, dicas vestes hac ratione contextas è villoso serico confectas esse. Eundem ornatum ligneis suis clauis adhibent, quibus ad hunc modum ornatis elegantiùs dici nihil potest.

Ornamentorum postremum genus est, quòd Struthiocamelorum pennis leucophæi coloris, quas ab accolis accipiunt (ex quo licet colligere grandissimas illas aues in regionibus illis versari,) hoc modo conficiunt: caules ordine ab vna parte disponunt, plumæ ab altera eminent, atque in orbem circumflectuntur in modum conopæi vel rosæ. Itaque fit pennarum

 fr.sic.

fasciculus, quem sua lingua Araroye *appellāt.*

Pennarum fasciculus.

Hunc tergo imponunt, filoq; xylino alligant, caulibus cutem eorum contingentibus. Quo cùm sunt ornati, caueam pullis includendis tergo impositam gestare videntur. Eos, qui bellicosissimi volunt haberi, quo fortitudinem suam palàm faciant, multosq; à se interfectos hostes esse demonstrent, captiuos denique vorandos multos mactasse iactent, pectus, lacertos & femora incidere, incisuras verò illas atro quodam puluere inficere, quo ad mortem vsque earum vestigia conseruantur, itaque aspicientibus thoraces & femoralia Heluetico more incisa repræsentant.

Barbarorū incisuræ.

Compotationibus autem seu Caouinationibus *& saltationibus illis si sit indulgendum, in quibus certè vt plurimùm occupantur, quo magis animum excitent, præter horrendos clamores & eiulatus quos emittere consueuerè, fructus colligunt, corticis durisatis, echinum forma & magnitudine referentes, cuius exsiccati nucleum auellunt, atque in eius locum lapillos immittunt: huius generis multos filo attexunt. tibijsq; apponunt: non minorem concitati strepitum ederent, ac testæ limacum, si eo aptarentur modo, quin à saltatorijs crepitaculis non longè absunt. Quæ quidem cupidißimè exoptant Barbari cùm ad eos comportantur.*

Crepitacula è fructibus.

Fert insuper ea regio arborem, cuius fructus Struthiocameli ouum craßitie adæquat,

formaq;

firmaq; refert. Hunc perforatum (eo quo à puerulis nuces apud nos perforantur modo) lapillisq; aut milij crassioris granis immissis, baculóque sesquipedali traiecto, instrumentum Maraca *nomine fabricant. Strepitum edit ingentem, adeò vt suillas vesicas pisis plenas superet: quò fit vt à Barbaris nusquam non manu gestetur. Hactenus de natura, vestitu, & ornatu quo* Toucupinambaultij *vti consueuere, paucis dictum esto. Crispatum pannum, rubri, viridis, flauique coloris à Christianis aduehitur, ex eo vestes omnis generis conficiuntur: quæ deinde permutatione facta cum cibarijs, cercopithecis, psittacis, brasilio, gossypio, pipere Indico, alijsq; id genus quæ à mercatorib. asportari solet, Barbaris dantur. At plerique nuda corporis parte reliqua, laxa & vndantia femoralia solùm induebát. Alij contrà femoralibus contemptis, tunicam nates pertingentem induebant. Mox autem emensis aliquot passibus, & in seipsos oculis identidem conuersis, non sine nostrorum risu & cachinnis, exutas illas vestes domi reponebant, quoad rursus eas induere in animum inducerent. De indusijs quoq; & pileis idem iudicium.*

Maraca instrumentũ.

Barbari ex parte nudi ex parte vestiò induti.

Quæ de externo corporis habitu cùm virorum tum puerorum dicenda fuerunt, satis fusè persecuti nobis videmur, Itaque si ex hac nostra discriptione Barbarum animo sibi repræsentare quis cupiat, in primis nudum virum imaginetur,

Epilogus.

maginetur, cuius membra aptè & concinnè fuerint composita, pili euulsi, capilli ad sinciput abrasi, labia, genaq; perforatæ, quibus ossa præacuta, aut virides lapilli fuerint inserti, auriculæ in auribus traiectæ, corpus varijs fucatum coloribus, femora & tibiæ atro illo fuco è Genipat *infectæ, collum torque ex minutis cochleæ* Vignol *frustulis ornatum, talem certè habebis qualis in ea regione conspicitur.*

Tououpinambaultiorum *vxores puerulos suos pro more, mitellæ xylinæ impositos in vlnis gerunt, qui vicissim vtraq; tibia matrum latus amplexantur. Lectos etiam è gossipio retis ad formam in aëre suspensos habent. fructus eorum optimus est* Ananas.

Epilog. 2. *Iam verò si alia forma Barbarum animo informare placet, ridiculo illo amictu detracto, gummi viscoso vniuersum corpus erit perliniendum, deinde plumæ minutim concisæ superinijcienda. Hac verò artificiali lanugine indutus vbi fuerit, quàm lepidus sit futurus non necesse est dicere.*

Descriptio 3. *Deinde siue naturalem retineat colorem, seu varijs coloribus aut plumis fucatus fuerit, vestes illas, pileos, armillas plumaceas quas descripsimus adhibeto. Tum maximè ornatum esse constabit.*

Descriptio 4. *At si vestes illas crispati panni admouere visum fuerit, eisq; (quemadmodum facere eos demonstrauimus) alia ex parte nudis tunicam*

impos

imposueris, cuius altera manica sit luteo, altera viridi colore, ad certissimas morionis notas parùm deerit. Denique instrumentum Maraca *his adiungere si lubet, pennarúmq; fasciculum* Araroye *tergo aptatum, crepitacula quoque ex fructibus tibijs alligata, eam referet formam quam saltaturus aut compotaturus obtinet.*

Barbarorum inter saltãdum & potandum ornatus.

Reliquam Barbarorum in ornandis corporibus industriam, iuxta integram quam antè edidimus descriptionem, vix multi exprimerent typi, qui etiam visi adhibitis coloribus rem totam commodè haud repræsentarent. Cultus verò fœminarum, quas illi Quoniam, *& quibusdam in locis, ex quo commercium cum Lusitanis habent,* Maria *nominant, quanto sit præstantior dispiciamus.*

Nuditas in primis, sicut initio huius capitis monuimus, cum viris illis est communis, pilos quoque consimiliter omnes euellunt, ne palpebris quidem & superciliis exceptis. Ad comam quod attinet, ab illis differunt: viri enim, vti dictum est, ad sinciput abradunt, ad occiput verò demittunt: fœminæ contra non modò alunt: sed etiam more nostratium frequenter pectere & abluere solent. Quinetiam xylina vitta rubro colore infecta constringere & complicare illis est familiare. Passis tamen & oberrantibus capillis vt plurimum incedunt, quippe ijs circa humeros circumfluentibus & volitantibus delectantur.

Americanæ fœminæ nudæ incedũt.

Alterum

Inaures monstrosæ.

Alterum quoque discrimen in eo positum est, quòd perinde vt viri, labia non perforant, ac proinde gemmis siue lapillis faciem non exornant. Auriculas tamen adeò traijciunt, vt detractis inauribus digitum capiant: inaures istæ ex prægrandi illa cochlea vignol candore & longitudine candelam mediocrem adæquât: quo fit vt humeros, atque adeò pectus ipsum pertingentes si eminus conspiciantur, vestigatoris canis pendulas aures referant.

Mira Americ. fœmi. fu candarũ cultu.

Faciei verò hunc adhibent cultum. Accersita ad hoc ministerium socia vel vicina circulum penicillo in media gena deliniet, in cochleæ verò formam fucum cæruleum, flauum, rubrum tantisper circumducit, dum vniuersam faciem coloribus illis distinxerit ac variarit: Quinetiam palpebrarum ac superciliorum locum (quod fœminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit.

Armillæ prægrandes ex compluribus ossiũ frustulis cõpositæ.

Armillas etiam ex compluribus candidissimis ossium frustulis in squamæ modum incisis contexunt. ea tamen adeò aptè & concinnè cera gummi permixta iungunt, vt nihil supra. Hæ longitudinem palmi obtinent: ac non malè brachiale illud referunt, quo folliculo pellendo vtuntur apud nos. Torques quoque candidissimos, quos Bou-re nuncupant, gestare illis est familiare: collo tamen non appendunt, qui mos est virorum, sed ijs in armillarum modum brachia inuoluunt. Hunc in vsum vitreos globulos

flaui,

flaui, cærulei, viridisq; coloris, quos filo traiectos habebamus, summè exoptabant, Maurobi *appellant. Hos siue ad earum pagos accederemus, siue ipsæ Castellum nostrum adirent, vt à nobis extorquerent oblatis fructibus aut alijs quibusdam, crebrò blandissimis his verbis vrgebant,* Mair, deagatorem, amabè Mauroubi. *hoc est, Galle, bonus es, da mihi armillas ex vitreis globulis. Eadem prorsus ratione pectines, quos* Guap *aut* Kuap *vocant, specula quoque* Arova *reliquasq; merces, quibus delectantur flagitabant.*

Mirum verò mihi præ cæteris hoc videbatur, quòd licet corpus, brachia, fæmora, tibiásque varijs coloribus non ita frequenter distinguant, nec plumarum ornamentis vtantur, vestes tamen ex crispato panno, à nobis sæpiùs vnà cùm indusijs oblatas, vt induerent nunquam impetrauimus. Etenim in ea pertinacia permanebant, à qua nondum demotas esse existimo. Excusationem ex recepta ab omnibus accolis consuetudine captabant. Solere omnes ad obuia quæuis flumina & fontes subsidere, vt hausta manibus aqua, caput aspergant: contingere nonnunquam vt (anatum more) vno die decies immergãtur: vestes si toties sint exuendæ, molestissimum fore. Præclaram certè & speciosam causam. Atqui, quam necesse erat admittere, quippe cum illis disceptando nihil promouebamus. Adeò autem nuditas est illis cordi, vt non

Certum fœminarum Am. de vestibus reficiendis cõsilium.

Barbararũ fœmin. de crebra ablutione cõsuetudo.

non modo Tououpinambaultiorum *fœminæ liberæ quæ in continente versabantur, vestes omnes pertinaciter reijcerent, sed etiam captiuæ pretio à nobis emptæ, quibus pro mancipijs ad castellum nostrum muniendum vtebamur, cohiberi non poterant quin animi gratia, noctu, indusijs reliquisq; panniculamentis depositis ante somnum per insulam nudæ oberrarent. Denique, si penes eas accipiendarum aut reijciendarum vestium fuisset potestas, à nobis verò ad eas induendas flagris adactæ non fuissent, æstum solis perferre, lacertósque & humeros lapidibus & humo comportandis lædere maluissent.*

Captiua fœmina mirū in modum nuditate delectatur.

Hæc de ornamentis, armillis, reliquoq; Americanarum fœminarum mundo paucis fuere dicenda. Itaque nullo addito epilogo, prout cuiq; visum fuerit, animo concipiendas relinquo.

Hic locus postulat vt aliquid de maiusculis, hoc est tertium aut quartum annum excedentibus, quos vulgo Canomi-miri *nuncupant, dicamus. His certè non parum delectabamur: siquidem, præ nostratibus puerulis: corpore præpingui, osse candido, labio inserto, circumtonsis capillis, corpore nunnunquam depicto nobis ad pagum accedentibus, gregatim choreas agitantes obuiam veniebant. Vt autem aliquid præmij à nobis referrent, sæpius blanda ista verba repetebant,* Coutouassat, amæbé pinda. *hoc est, Socie da mihi hamos hos. si quando à nobis*

Canomi-miri pueruli.

impe

impetrabant (quod non rarò contingebat) hamosq; decem vel duodecim minores arenæ aut pulueri imponebamus, tum illi confestim exultare, & humi fusi terram instar cuniculorum radebant. Quæ res non minimæ erat voluptatis.

Denique quamuis Barbaros cuiusuis ætatis per annum integrum quo apud eos vixi sollicitè admodum sim contemplatus, adeò vt idea quædam etiamnum animo meo inhæreat: fateor tamen ob varios gestus à nostris prorsus alienos, literis eos picturáve exactè referre difficillimum esse. Si quis igitur plenam voluptatem ex illis capere cupit, vt ipsam Americam adeat auctor fuerim. At verò, dices, non vnius esse iter diei. Id quidem ego confirmo: ac proinde nonnisi cautè suscipiendum esse suadeo. Priusquam antè huic sermoni finis imponatur, in eos aliquid dicendum videtur, qui aut opinantur tacitè, aut etiam scriptis mandarunt commercium illud adeò frequens cum Barbaris nudis, ac præsertim cum fœminis, ad lasciuiam & libidinem prouocare: dico igitur, quamuis in speciem nuditas illa concupiscentiæ esca non immeritò censeatur, tamen, vt res ipsa comprobauit, inculta illa nuditate certum est, multò minùs opinione viros ad libidinem pellici. Itaque ausim asseuerare, splendidum illum cultum, fucos, suppositītias comas, capillos calamistratos, ampla illa & tanto artificio complicata

Barbari cur exactè exprimi nō possint.

Americanarum nuditas cultu nostrarum fœminarū minùs noxia.

amictoria pretiosa, mammillaria, laciniatas & vndates vestes, cateraq; huiusmodi, quibus fæminæ nostrates tam sedulò formam mentiuntur: plura incommoda & mala parere, quàm faciat Barbararum nuditas, tametsi forma ab illis non vincantur. Ita vt si pluribus seruato decoro hæc persequi liceret, efficacissimas huic sententiæ meæ subijcerem rationes, refutatis omnibus argumentis quæ in contrariam partem afferri possint. Ac ne diutiùs immorer, eorum testimonium hîc appello qui mecum in Brasiliam nauigarunt, quiq; vtrasque conspexerunt. Hæc tamen ita accipi nolim, ac si nuditas illa mihi vllo modo cõtra Scripturæ auctoritatem probaretur. Testatur enim Adam & Euam, post peccatum, agnita nuditate, pudore suffusos fuisse. Eorum etiam detestor hæresim, qui violata naturæ lege, non satis hac in parte à miseris nostris Americanis seruata, morem illum turpissimum inuehere moliti sunt.

De Barbarorum nuditate quid sentiat auctor.

Sed quæ de Barbaris istis à me dicta sunt, eò certè tendunt, vt constet nos nihilo minùs culpandos esse, qui istis damnatis, quòd abiecto pudore nudi incedant, in aliud extremum peccamus, cultu nimirum nostro nimio. Atque vtinam nostrûm quisque modesto cultu, habita necessitatis & honesti ratione potiùs quàm fastus & vanitatis, vtatur.

Quandoquidem externum ornatum habitúmque Barbarorum descripsimus, à recto ordine

ne alienum non videtur, si de eorum cibarijs hoc loco differamus. Hoc autem in primis est notandum, licet frumentum nec habeant nec serant, vitésque minimè colant, nihilominus tamen, (quod experientia non semel sum edoctus) lautè admodum eos viuere quantumuis pane & vino carentes.

Sine pane & vino lautè viuunt Barbari.

Duorum generum radices habent, quibus Aypi *&* Maniot *nomina indidere: Hæ intra tres quatuórve menses adeò crescunt, vt sint longitudine sesquipedales, femoris crassitudine. Erutas fœminæ (neque enim circa isthæc occupantur viri) igne exsiccatas,* Boucano *nimirùm impositas, nonnunquam etiam recentes acutis silicibus posti infixis atterunt, prout caseum & odoratas nuces corradere solemus, farinámque candidissimam ex eis conficiunt. Tum verò cruda illa farina, atque adeò succus albus, de quo mox, qui ab ea exprimitur, recentis & liquidi amyli triticei, aquâ diu madefacti, saporem prorsus refert. Adeò vt cùm post meum in Galliam reditum alicubi me præsente fieret odor ille, memoriam refricauit eius quo Barbarorum casæ, tantisperdum ex radicibus farina conficitur, perfundi solent.*

Aypi & Maniot radices.

Ad farinæ istius apparatum fœminæ Brasilienses vasa fictilia prægrandia, vtpotè quæ singula capiant modia, satis commodè effingunt. Quibus ad ignem positis farinam immittunt, continuóq; dum coquitur dissectæ cucurbitæ al-

tera parte, qua pultarij loco vtuntur, permouet. Cocta tragematis minoris formam habet.

Ouy-entan durior farina.

Duplex istius farinæ genus ab illis conficitur. Alia enim percocta est & dura, Ouy-entan appellant, quam in militiam profecturi secū ferunt, quòd diutiùs conseruetur: Alia verò minùs est cocta & mollior, Ouy-pou nominant: hæc priore est eò præstantior, quòd dum recens ori admouetur ac manditur, panis candidi medullæ saporem refert. Prior verò ille sapor de quo egi, inter coquendum, in gratiorem & suauiorem mutatur.

Ouy-pou mollior farina.

Farina ex rad. cib. ad panem cōficiendum minus apta.

Quamuis autem hæ farinæ, præsertim recentes, saporis sint optimi, summam alendi habeant facultatem, ac facilis earum sit concoctio, nihilominùs tamen pani conficiendo (vt ipse sum expertus) nullo modo sunt aptæ. Massa quidem conficitur, quæ non dissimili à triticea modo intumescit, speciéq; est optima, ac instar similaceæ candida: inter coquendum tamen adeò exsiccatur & adoritur crusta, vt pane scisso fractóve interior pars sicca & ad pristinam farinæ formam redacta reperiatur. Quibus adducor vt credam eum qui primus retulit (cùm non satis diligenter quod à me dictum est perpendisset) eos qui viginti duobus, aut tribus gradibus vltrà Aequatorē porrecti sunt (quos Touonpinambaultios esse planè constat) pane ex lignis attritis confecto vesci solitos, quod de radicibus istis de quibus agimus, est intelligendū,

Hist. Gen. Ind. lib. 2. cap. 92.

hallac

hallucinatum fuisse.

Vtraque verò farina pulmento conficiendo, quòd à Barbaris Mingant nuncupatur, præsertim si pingui quodam iure diluatur: tunc enim orizam refert, atque eo condita modo optimi est saporis. Mingant pulmentū & radicum farina.

Cæterū Toüoupinambaultij nostri, cùm virorum mulieres, nec non ipsi pueruli ab ineunte ætate huiusmodi farinam siccam panis vice edere consueuerunt. Cui rei adeò apti frequenti vsu sunt facti, vt summis digitis è figulinis vasis desumptam certa manu ne minima quidem excepta mica, eminùs in os coniiciant. Hunc morem imitari aliquoties tentauimus: at farinâ illâ vultum inspergebamus, in hoc nimirum negotio minùs exercitati, ac proinde, nisi mimicos moriones referre volebamus, cochlearibus vti necesse erat. Galli ad farinā in os iniiciendā inepti.

Porrò radices illæ Aypi & Maniot interdum recentes frustatim conciduntur, ex quarum farina humida quidem illa, pilæ amplæ à mulieribus compinguntur, è quibus intra manus compressis succum, lactis instar, candidum ac liquidum exprimunt. Eum vasis figulinis exceptum soli exponunt, cuius calore ad modum lactis coagulatur. Edendus verò in patellis testaceis infunditur, ac deinde, prout solemus oua frigere, excoquitur. Succus ex humida radice expressus esculentus.

Præterea radix Aypi non modò ex farina vsu probatur, sed etiam sub cinere cocta vti- Radix cinere cocta.

liter comeditur: quippe & tenerascit, & diffinditur, castaneæq; in prunis coctæ, cuius saporem refert, est persimilis: ac proinde ita parata edulis est maximè. At radicis quæ Maniot *dicitur, longè alia est ratio: nisi enim in farinam redacta erit atq; percocta, periculosissimè editur.*

Radicum caulis & forma.

Vtriusq; caulis, quæ forma inter se sunt persimiles, Iuniperi humilis magnitudinem æquat, foliisq; Pæoniæ similitudine. Quod verò in hisce Brasilicis radicibus, Aypi *&* Maniot *maximè est admirandum, totum in copia positum est, earum rami qui calamos cannabinos fragilitate adæquant, quanta copia perfringi, ac in terram quàm altissimè defigi possunt, nulla adhibita alia cultura, bimestri aut trimestri spatio radicum copiam gignunt.*

Mira ratio radices illas propagandi.

Mulieres quoq; amplum illud milium, de quo dictum est, quódque vulgò à nobis triticum Saracenum, à Barbaris Auati *dicitur, præacuto baculo in terram defixo serunt: ex eo item farina ab illis conficitur, quam eodem prorsus modo coquunt & comedunt quo superiorem diximus. Hucusque de moribus, cultu ac cibis Americanorum. Qui plura desiderabit, Indicam historiam consulat, imo ipsam I. Lerij Americanam: ex qua superiora excerpsimus.*

Auati, milium amplum.

FIDES

FIDES, RELIGIO, MORESQVE ÆTHIOPVM.

*

Sub Imperio Preciosi Ioannis (quem vulgò Presbyterum Ioannem vocant) degentium, vnà cum enarratione confœderationis ac amiciæ inter ipsos Æthiopum Imperatores, & reges Lusitaniæ initæ.

DAMIANO à Goës *Equite Lusitano auctore ac interprete.*

Aliquot item epistolæ ipsi operi insertæ, ac lectu dignissimæ, Helenæ auiæ Dauidis Preciosi Ioannis: ac ipsius etiam Dauidis ad Pontificem Romanum, & Emanuelem, ac Ioannem Lusitaniæ Reges, eodem Damiano à Goës, ac Paulo Iouio interpretibus.

Deploratio Lappianæ gentis, ipso etiam Damiano à Goes auctore.



DAMIANVS A GOES EQVES LVSITANVS.

Paulo Pontifici Romano tertio S. P. D.



NVLLA est res, in qua vberiùs niti debeamus, quàm vt totus terræ orbis (si id aliter fieri non poterit) labore, sumptu, martyrio, ac omnium nostrûm cruciatibus, ad Christi fidem alliciatur, allectusq; vt sub vnum ordinem, & viuendi ritum redigatur. Cuius rei cura, tibi Paule Pōtifex Maxime, qui vt primus Episcopus, & Christi vicarius, eius vniuersali Ecclesiæ præsides, cæteris nobis omnibus magis debetur. Quamobrem tuum esse officium (quod etiam iam cum magna spe omnium incœpisti) calamitatibus, quibus quotidie opprimitur, mederi, & opera & studio tuo efficere, vt vni soli Christo totus mundus pareat, ac credat: quum verò crediderit, vt tibi monitisque tuis veluti Petri successori, in omnibus, quæ ad salutem animarum spectant, obediat. Quod quum euenerit, dicemus te auctore, prophetiam vnius pastoris, & ouilis adimpletam esse. Cuius rei palmam si obtinueris, quis profectò Pontificum, te vel honore, vel felicitate, vel merito anteibit? vel cui triplicem tiaram

iam maiori iure concedemus quàm tibi? quam vt consequaris, tempora, licèt alioquin infelicia, magnas tibi occasiones nunc præstant, infelicia, inquam, ob eas calamitates, quas in Europa medendas habes. A nemine enim acriùs impetimur, quàm à vicino hoste. Nunc verò vt has molestissimas curas, quæ tibi (vt scio) perpetuò cordi sunt, omittamus, ad alias mitiores veniamus, quæ cum magna spe coniunctæ sunt, vt alter & nouus quodammodo orbis, cum Christi fide, tuæ sanctitatis maiestatem & imperium agnoscat. Quapropter, si hæc negotia ita tractaueris, vt te quasi gubernatore ecclesia, tum Europæa, tū Aethiopica, vitatis periculis & naufragijs, in portum salutis veniat, de te canemus illud propheticum Sapientiæ canticum, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino: videte quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem. Adest nunc demum tempus, in quo hanc prophetiam per te adimpletum iri confidimus. Adsunt hîc Aethiopes, gens magna & Christi auidissima, cuius sanctissimus Imperator amicitiam Europæorum Christianorum cupiēs, ad te & ad inuictissimos Reges Lusitaniæ, legatos misit, per quos, vt ex eius epistolis apparet, non tantùm sibi Christianam amicitiam, & charitatem cupit à principibus Europæis impertiri, verùm etiam eosdem (quos assiduè in

 acerbiss

acerbissimis discordijs nouit versari) ad Christianam concordiam pientissimè adhortatur. Res sanè ob quam omnes pudore affici debemus. Surrexit iam Regina Saba, & vocat nos in iudicium, errata nostra reprehendens. Adimplentur Christi prophetiæ, & quos ipse eligit, paulatim ab eius consortio dilabũtur, eiusq; præcepta & promissa deuoluuntur ad eos, qui Ethnici & à Christo alieni reputabantur. Is enim Aethiopum Imperator cum omnibus suis regnis, vt ex nostra enarratione apparebit, sub tua disciplina viuere cupit, nec quicquam magis optat. Nec etiam ignorat ex Apostolorum doctrina, quam in octo libris digestam habet, Episcopo Romano, omnium Episcoporum totius orbis principatum deberi, cui planè sanctéque parere vult, ab eóque in Christi Ecclesiæ institutis benè & sanctè instrui: ad quod viros doctos sibi dari orat, atque exorare audè affectat: nec eo contentus, vt suarum etiam postulationum in posterum exstet memoria, petit, vt huius rei fides maneat in Pontificum annalibus, vt sic ab historia Ecclesiastica eius epistolæ ac pijssima optata illuminentur, & posteritas intelligat quo tempore, sub quoque pontificè hæc gesta fuere. Viros autem doctos sacrarúmq; literarum disciplina, & aliarũ artium bene instructos, non dubito, quin tua sanctitas iã ad eum transmiserit, aut omnino sit missura. Quorum doctrina & industria, simul cum sermone & labore nonnullorum, quos

iam

iam serenissimi Reges Lusitaniæ Emanuel & Ioãnes eius filius miserũt, facies vt omnes Christiani in Aethiopiã & India degẽtes sensim legibus Romanorum Episcoporum (quos Christi vicarios non reformidant fiteri) pareant. Quibus tandem tua opera nobiscum per veram religionem coniunctis, ac in vno ouili simul, & sub vno pastore Christo congregatis, intelligemus super nos omnes domini misericordiã confirmatam, & eius regnum omnium seculorum, & dominationem eius omnium generationum esse: & tunc omnis caro benedicet nomini sancto eius in secula. Et ne prolixior sit exhortatio mea quàm oportet, præsertim ad eum, cuius vitæ ac doctrinæ omnes æmuli sumus, & esse debemus, ad exordiũ enarrationis me conferam, quam aliquantulo altiùs repetam, vt sic clariùs ostendã, quibus principijs hæc sanctissima Preciosi Ioannis & regum Lusitaniæ amicitia, & fœdera inita sint: sperans me, dum quæ vera & legitima sunt, enarro, animos legentium incendere posse, & ad huiusmodi munera allicere, quò Christi fides vberiùs in omnibus terræ angulis propagetur, prædicetúrque, colatúrque.

ANno ab ortu Seruatoris humani generis Christi M.CCCC.XXXIII. vita functo Ioanne Lusitaniæ Rege eius nominis primo cognomẽto bonæ memoriæ, qui Lusitaniam à Castellanorum incursionibus, oppugnationibusq́ue, quibus eam firmè totam populauerant, liberauit:

uit: inter alios, quos reliquit filios, Henricus cæteris omnibus in disciplinis, præcipuè Mathematicis, doctior fuit, qui propter sola astrorum studia cælebs vixit, ac, vt cursus stellarum accuratiùs meditaretur, vitam in sacro Promontorio, quod Caput sancti Vincentij dicitur, egit: quem locum propterea, quòd in eo cælum rarò turbidũ efficitur, elegit, ne nubibus interpositis instrumẽtis, quibus ad rationẽ eius muneris vtebatur, consideratio cælestium cursuum impediretur. Is autẽ Henricus, vt fructus studiorũ suorum capesseret, id quod iam ex multis vigilijs compertum habebat, nempe Atlanticum Oceanum in Indicum, rursus Indicũ in Atlanticum profluere, nauibus proprijs suis, ac sumptibus constituit inuestigare: quibus iterum atque iterum missis, bonam partem litoris Atlantici penetrauit, in quo oppida, & ciuitates, insulæq; permultæ repertæ sunt. Quibus in locis omnibus Christi fides eius opera innotuit, inibiq; templa quoq; erecta sunt, præsertim in insulis olim desertis: quarum prima insula Lignorum, quæ vulgo Madeira vocatur, nunc celeberrima & frugifera est. Tandem, vt sunt res mortalium instabiles, anno salutis nostræ M. CCCC. LX. die XXIIII. Octob. morte interceptus, has nauigationes, quoniã expers matrimonij erat, ad coronam regni, tanquam fundum hereditarium transmisit: quæ per manus traditæ ad tempus Ioannis secundi eius nominis, sine aliquo externorum

norum regum ac principum æmulatione aut inuidia deriuatæ sunt. Quo rege viuente, Columbus Genuensis, vir nauticæ artis peritus, ab ipso Rege, cui occidentalium Indiarum nauigationes ostendere pollicebatur, repulsus ac inauditus dimissusq́;, auxilio auspicioq́; Ferdinandi & Elizabet Regum Castellæ, illud iter fœliciter tentauit, ac prouincias illas amplissimas, & magni emolumenti primus reperit, & qua nauibus adiri poterant, commonstrauit. Is autem Ioãnes, quum diu animo voluisset res Orientaliũ Indiarum, de quarum vbertate scriptis antiquorum multa & varia prodita erãt, inter alios immensos labores & sumptus, quibus non pepercit, viros aliquot lingua Arabica edoctos, ad illas prouincias, præsertim ad Preciosum Ioannem mittere decreuit. Quorum duo fuerunt, Alfonsus à Pauia, natus ex Albo Castro: alter verò Ioannes Petrus à Couilham, vterque Lusitanus, Ii Schalabitano, VII. die Maij, anno à Seruatoris Christi ortu millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, iter suum facere auspicati sunt, & mercatores se semper simulantes, primùm Barchiona, inde Neapoli, postea Rhodo, demum Alexandria iter facientes, Cayrum peruenerunt: ibi mercatorum sodalitium nacti, versus Thor iter ceperunt. In quo loco naui cõscensa, ad quãdam vrbem, nomine Cuaquen, in litore Aethiopico sitam appulerunt. Posteà Adenem nauigant; inde Alphonsus iterum in Aethiopiam ad

ad Preciosum Ioannem, Ioannes verò Petrus in Indiam proficisci inter se constituunt. Ioannes autem Callecutio, Goa, ac toto Malabarorum litore peruestigato Zofalam nauigauit. Inde rursus Adenem, hinc rectà Cayrũ profectus est, vt sodali suo inuento, in Lusitaniam ad regem redirent (statuerãt enim quum Adene discessissent, certo quodam tempore ad eundem Cayri locum conuenire) quò quũ reuerterentur, à duobus Iudæis Lusitanis, quorum alter Rabbi Abraham vocabatur, Biensis, alter Ioseph Lamecensis, literas Regis Ioannis accepit, ab eisque intellexit collegam suum Alfonsum inibi vitam morte commutasse. Iisdem literis præceptum erat, ne in patriam redirent, nisi OromuZia perlustrata, ac precioso Ioanne salutato: de cuius statu Rex auidißimè cupiebat certior fieri. Qua de causa Ioannes Petrus, ignorãs quæ Alfonsus eius collega dum viueret, gesserat, iterum Adenem Rabbi Abraham socio repetit. Iosephum verò cum literis, quibus itinera sua actaq; significabat, ad Regem remittit: vnde quadam naui cõscensa, in OromuZiam nauigauit. In quo loco Abraham Iudæo relicto, cui literas quoque ad Regem tradidit, Mecham versus nauigare constituit, quam quum iam in oculis haberet, cupido eum inceßit montis Sinai videndi: inde discessum est Thor. Rursus nauigatione vsus, faucibus maris Erythræi transmißis Zeilam peruenit: reliqua deinde itinera vsque ad aulam Preciosi Ioan

Ioannis pedibus emensus est, qui tunc temporis Alexander vocabatur : cui humanissimè acceptus, literas quas habebat à Ioanne rege, tradidit, eiq; topographiam, quam vulgò Mappam vocant, quò nostras nauigationes perspiceret, in manus dedit. Is autem Alexander quū statuisset eum remittere, ne id faceret morte praeuentus est. Quo mortuo frater in eius locum successit, cognomento Nau, sed ab eo nunquam idem Ioannes Petrus potuit facultatem in patriam redeūdi impetrare: eoq; exstincto, idem illi à filio Dauide regni haerede denegatum fuit. Donatus igitur amplissimis muneribus, quae illi ad patriae desiderium leniendum concessa fuere (quādo exire prouinciam non licebat) vxorem nobilem duxit, ex qua quamplurimos filios suscepit. Hunc nostri oratores in ipsa aula Preciosi Ioannis inuenerūt, & alloquuti sunt. A qua discedentes, anno millesimo quingentesimo vigesimosexto salutis nostrae, cum libenter in patriam reduxissent, atque ipse quoque eò redeundi percupidus erat : sed id à Dauide obtinere nunquam valuerunt, respondente ad ipsorum preces, se illum virum, vnà cum regnis suis, à patre Nau accepisse, eúmque pari cura & amore cum ipsis regnis seruare velle: nec debere illum taedere Aethiopicae vitae, apud quos tum à patre, tum ex sua liberalitate amplas diuitias & ditiones accepisset. Is, vt nostri asserunt, omnium hominū ferme linguas callet, qua de causa, & praecipuè ob eius

ob eius prudentiam, quæ eximia erat, tam auidè ab Aethiopiæ Imperatoribus retentus fuit: vnde res Lusitanicas eorumq; nauigationes exactissimè cognouerunt: quibus sæpiùs recensendis, vt doctus & eloquens erat, Aethiopum nationem nobis conciliauit. Postmodùm Ioanne secundo Rege mortuo, in eiusq; locum Emanuele felicissimo succedente, classe, cui præerat Vascus à Gama, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, Vlyssippone soluente, capiteq; Bonæ spei primò superato, ad Indiam Orientalem nostri tandem peruenere. In qua varia bella gerentes, multas prouincias ac ciuitates sub nostrum imperium redegerunt. Quæ quum in Aethiopia tum per finitimos, tum per aliquot Lusitanos, qui ad aulam Preciosi Ioannis tunc temporis ex India venerant, renunciata essent: Helena Dauidis auia, quæ ob tenellam ipsius Dauidis ætatem, administrationem regnorum habebat, quendam Matthæum Armenium, virum multarum rerum atque linguarum peritum, in Lusitaniam ad Emanuelem Regem misit: & quò maior auctoritas & fides legationi esset, quendam nobilem iuuenem Abessynum misit, quos ego sæpiùs in aula nostra conueni, & familiariter alloquutus sum. Is enim Matthæus varijs itineribus, Goam ad Alfonsum Albuquercũ Proregem peruenit, à quo humanissimè acceptus ac liberaliter dimissus, nostris nauibus, anno millesimo quingentesimo decimotertio,

Vlyssip

Vlyßipponem appulit. Is coram Emanuele legatione sua exposita, crucem concinnatam ex eo ligno in quo Christus pepẽdit, Regi dedit, quam crucem frequentißime vidi, & veneratus sum, dum frater meus Fructus à Goës, Regis cubicularius, eam in sua custodia haberet. Literæ autẽ sui principis, quas secum ad Emanuelem Regem tulerat, sic loquebantur.

EPISTOLA HELENÆ AVIÆ Dauidis Preciosi Ioannis Æthiopũ Imperatoris, ad Emanuelem Lusitanorum, &c. Regem, scripta anno M. D. IX.

IN nomine Dei Patris, & filij, & Spiritus sancti, vnius solius in tribus personis dei, salus, gratia, & benedictio domini nostri, & redemptoris Iesu Christi filij Mariæ virginis, nati in domo Bethlehemitica, sit super dilectum fratrem nostrum Christianißimum. Regem Emanuelem, dominatorem maris, victorem ferorum incredulorúmque Maurorum. Dominus deus te bene fortunet, tibi victoriam de inimicis tuis donet, tuáque regna & ditiones, per deuotas preces nunciorum redemptoris Christi, nempe quatuor Euangelistarum, sancti Ioannis, Lucæ, Marci, & Matthæi, longè lateq; dilatet & extendat, quorum sanctitates & orationes te seruent. Certiorem te facimus, perquàm dilecte frater, ad nos vsque adpulisse ex magna illa

vestra & eximia aula duos nuncios, quorũ quidem alteri nomen erat Ioannes, qui se presbyterum aiebat, alteri verò Ioãnes Gomez, petijsséque à nobis commeatum & milites. Quare nos mittimus nostrũ Oratorem Matthaeum, fratrem nostri seruitij, cum venia patriarchae Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Hierosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrarum ditionum, columna fidei Christi, & sanctae trinitatis. Is de nostro mandato misit ad magnum vestrum ducem eorum, qui pro fide nostri Seruatoris Iesu Christi militãt in India, ad illi significandum, nos esse promptos ad mittendum tum cõmeatum, tum milites, si necesse fuerit. Proinde fama accepimus principem Cayri cogere magnã classem aduersus vestras copias, nimirùm vt sese vindicet de iniurijs damnisq́; per militiae tuae (quã in India habes) duces, sibi (vt verè nobis constat) saepe illatis, quod Deus sua sancta bonitate in dies magis magisq́; fortunare dignetur, vt cuncti tandem increduli penitus sub iugum mittantur.

Fuit olim prĩceps Cayri Sultanus quam ciuitatẽ nũc occupat magnus Turca.

Nos itaque aduersus illorum insultus missuri sumus militum copias, quae maneant ad fretum Mecha, scilicet BABEL MENDEL, aut certè, si id tibi cõmodius videbitur, ad portum Inda, aut Thor, vt tandẽ auferas perdasq́; huiusmodi Mauros, & incredulos à facie terrae, ita vt dona, & oblationes, quae afferũtur ad sanctum sepulcrum, deinceps nõ vorẽtur à canibus.

Iuda & Thor sunt ciuitates maritimae ad sinũ Arabicũ, quo Lusitani quot annis in Barbaros excursum faciunt.

Adest

Adest iam tempus illud promissum, quod, vt aiūt, Christus & mater eius Maria predixere, quòd scilicet in postremis temporibus oriturus esset è regionibus Francicis Rex quispiam, qui aboliturus esset vniuersum Barbarorū & Maurorum genus; & hoc ipsum quidem nunc tempus est, quod Christus benedictæ suæ matri futurum promisit.

Frācicis. i. Christianis Europæis: Indi enim & Mahometani ferè omnes Christianos Europæ generali nomine Francos vocant.

Porrò quicquid Orator noster Matthæus vobis dicturus est, id velut à nostra ipsorū persona profectum accipite, eiq; fidē adhibete. Est siquidem vnus inter nostræ aulæ præcipuos, atque ob id illum ad vos mittere voluimus. Cōmisissemus autem hæc vestris nunciis, quos huc legastis, sed cepit nos metus, ne nostra negotia, nō ex nostra sententia vobis nota forent.

Mittimus ad vos per hunc nostrum Oratorē Matthæum crucem vnam, factam haud dubiè ex frusto ligni, in quo Seruator noster Iesus Christus crucifixus fuit Hierosolymis. Id autem sacrosancti ligni frustū ex Hierosolymis ad nos allatum est. Porrò ex eodem duas fecimus cruces: earum altera quidem apud nos manet, alteram verò dedimus isti nostro Oratori ad vos perferendam. Lignum nigri coloris est, pendetq; ab exiguo argenteo annulo.

Ceterùm si vobis visum fuerit, aut vestras filias matrimonio iūgere nostris filiis, aut nostros filios dare vestris filiabus, id & nobis in primis pergratū erit, & vtrisque vtile, & fraterni inter

nos initium fœderis, quod quidem nuptiarũ cõnubium cùm in præsentiarum, tum etiam in futurum tecum inire percupimus. Reliquum est vt & salus & gratia nostri redẽptoris Iesu Christi, sanctæq; nostræ Dominæ Mariæ virginis, se extendat, tum super vos, tum super filios, filias, vniuersamq; vestram domum, Amen.

Ad hæc autem vos certiores facimus, si bella, exercitusq; coniungere velimus, satis virium nobis futurum esse ad (diuino accedente auxilio) abolendũ vniuersos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verùm nostra regna & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, vt nusquàm in maria possimus erumpere. Quare nihil nobis est potentiæ in mari, in quo (deo laus) vos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit vobis auxilio: res enim, quæ in India per vos gestæ sunt, sunt profectò magis miraculosæ, quàm humanæ. Quòd si mille velis armare naues, nos & commeatũ dabimus, & cuncta quæ ad eam classem opus erunt: abundè suppeditabimus.

Hanc epistolam cum aliquibus fidei, religionis, morum, statúsque Aethiopum articulis, quos Matthæus coram Rege Emanuele, & eius concilio explicuit, hortatu Ioannis Magni Gothi Archiepiscopi Vpsaliæ, in regno Sueciæ, cum quo in Prussia non vulgarẽ contraxi amicitiam, ex idiomate Lusitanico, in quo eam conscriptam habebam, Latinam feci, quæ posteà cũ ipsis quoque articulis, me inscio, Antuerpiæ excusa est.

His

His ex legatis Aethiopum cognitis, Emanuel, vt erat & prudentissimus, & propaganda fidei Christianæ auidissimus, legationē instituit grauissimis & ornatissimis viris instructam: cuius capita fuere Eduardus Galuanus, vir non minùs ætate, quàm prudētia, ac rerum vsu grauissimus: & Franciscus Aluarez sacerdos, ac Regi à sacris, & is quoq; senex, & moribus inculpatis: quos vtrosq; de facie nouimus. Ii cum Matthæo sub Lupo Soarez Prorege ad Indiam nauigant, ac tandē Didaco Lupez à Sequeira, Prorege, qui Lupo Soarez successerat, cū instructa classe, quam aduersus Turcas parauerat, ad portum Arquicū nomine, in litore Erythræo, ac in ditione preciosi Ioannis situm deducuntur: ad quem locum appulsa est nauis, anno salutis millesimo quingētesimo vigesimo, die secundo Aprilis: in quo itinere, in Camara maris Erythræi insula vita defunctus est Eduardus Galuanus: in cuius locum suffectus est Rodericus Limius, qui ab ipso Arquici portu, vigesimonono eiusdē mēsis cum socijs eiusdē legationis, duce simul ac comite Matthæo (nam Abesynus ille iuuenis, de quo superiùs mētionem fecimus, è viuis iam discesserat) ad aulā Preciosi Ioānis contendere cœpit, in quo itinere quoq; mortuus est Matthæus, ac in quodam celeberrimo cœnobio, nomine Bysain à nostris sepultus. Post cuius funebre officiū, ad institutā perfectionem redeunt, ac post maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula,

ad aulam Preciosi Ioannis perueniunt: à quo Rodericus cum collegis honorificè excipitur, ac tandem peractis mãdatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum suis Arquicum profectus, classem, cuius prætor Ludouicus Menesius erat, & quæ ea de causa appulerat, vt nos reduceret, non inuenit: quæ illos, quòd serius aduenerãt, exspectare nõ potuit propter vẽtorum importunitates, quæ in illis plagis, miro naturæ arcano, sex perpetuos menses ex vno cæli climate, deindè alteros illos sex menses ex aduerso spirãt. Arquici literas inuenit apud præfectũ oppidi, à prætore Ludouico relictas, ex quibus regis Emanuelis mortem cognoscit. Quamobrem iterum in aulam Preciosi Ioannis redeundum esse constituit: quo reuerso, Preciosus Ioannes ad Romanum Pontificem scribit, literásque Francisco Aluarez Romam ferendas committit. Ii omnes iam spatio sex annorũ in illis prouincijs commorati, tandem cum legato Aethiopico, quem Preciosus Ioannes ad Regẽ nostrum mittebat, Arquici aliam classem regiam, quæ eorum causa iterum venerat, conscendunt, idque anno millesimo quingentesimo vigesimosexto, mense Aprili. Inde soluentes Indiam petũt, ac tandem longis nauigationibus Vlyssipponem ad Regem Ioannem, anno millesimo quingentesimo vigesimoseptimo, mense Iulio, redeunt: qui oratorem Aethiopicum ob certas eius legationis causas, apud se annum millesimum quingentesimum
vigesim

trigesimumnonum vsque retinuit. Franciscumq; Aluarez ad Clementem Pontificem septimum cum literis Pretiosi Ioannis, cuius orator ex Aethiopia venerat, misit: quas ipse Pōtifex ex manibus eiusdem Francisci Aluarez Bononiae, anno salutis millesimo quingentesimo trigesimotertio, mense Ianuario, CAROLO *Quinto Impetore praesente, accepit. Quarum & aliarum ad Emanuelem & Ioannem Reges interpretatio Paulo Iouio viro erudito debetur, qui eas ex Lusitanico sermone, in quem tum versa erant, Latinas fecit, vt iam hîc videre licet.*

LITERAE SERENISSIMI DAVIDIS AETHIOPIAE Imperatoris ad Emanuelem Portugalliae, &c. Regem, scriptae anno millesimo quingentesimo vigesimoprimo, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris, vti semper fuit, cui non inuenitur principium. In nomine Dei filij vnici, qui est similis ei, antequàm sit visum lumen stellarum, antequàm poneret fundamenta maris Oceani, alio autem tempore conceptus fuit in vtero virginis, sine semine virili, & sine nuptijs. In hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti spiritus sanctitatis, qui scit cuncta secreta, quae sunt, vbi antea fuit, omnium scilicet altitudinum caeli, quod sine

columnis , & absque vllis fulcimentis sustinetur, qui amplificauit terram, quæ anteà non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occasum , & à Septemtrione ad Austrum. Nec iste est primus, vel secundus, sed est trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno tantùm consilio , & vno verbo, per secula seculorum. Amen.

Has literas mittis Atani Thingil, id est, Thus virginis, quod nomen est à baptismate. nunc verò in ipso suscepti regni initio, assumpsit nomen David, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iudæ, filius David, filius Solomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnē, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum , Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaligāze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahō, de Sabaym, vnde fuit regina Saba, de Bernagaës, & dominus vsq; ad Nobiam finem Aegypti. Hæ literæ diriguntur Regi potentissimo & excellentissimo, semper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide catholica, filio Apostolorū Petri & Pauli, Regi Portugalliæ & Algarbiorū, amico Christianorum, hosti, iudici, Imperatori, domitori Maurorum , & gentium Africæ, & Guienneæ à promontorio, atq; insula

Lunæ,

Lunæ, maris Rubri, Arabiæ, & Persidis, & Armuthæ, magnæ Indiæ, & omniũ locorum earum, & omniũ insularum, terrarum adiacentiũ profligatori Maurorũ, & fortium paganorũ, domino arcium & altorũ castellorum, & murorũ propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi Domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio Mauros occidis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis ducibus vndiq; tanquã infideles canes expellis. Pax sit cũ Regina vxore tua, amica Iesu Christi, serua Mariæ virginis, matris ipsius Saluatoris totius mũdi: pax sit filiis tuis, nunc: vti in virenti horto, & florentibus liliis, mensa esculẽtis parata: pax filiabus vestris, quæ sunt indumẽtis ornatæ, sicut palatia aulæis exornantur: pax affinibus tuis, ex sanctorũ semine procreatis, sicut dicit sacra scriptura, Filii sanctorum sunt benedicti, & magni foris & intra domũ: pax sit consiliariis & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicentibus, pax ducibus tuis castrorũ, & confinium, & omnium rerum munitarum: pax omnibus gentibus, populis, & vrbibus, & cunctis inhabitantibus præter Mauros & Iudæos: pax omnibus parochiis, & omnibus Christo & tibi fidelibus. Amen.

Cognoui Domine Rex, & mi pater, quòd quũ ad te nominis mei fama per Matthæu oratorem nostrum fuisset delata, statim Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Prælatorum magnum numerum aduocari iussisti, qui de ea legatione Deo Christo gratias agerẽt: ipsumq; Matthæum

 summo

summo cũ honore & hilaritate fuisse susceptum. qua de re mirificè sum lætatus, & gratias pariter Deo egi: et hocdeuotè fecit etiã populus meus. Dolui autem cùm ab his intellexi ipsum Matthæum in reditu suo, dum intraret fines meos, in monasterio de Bisayn fuisse mortuum. Eũ autẽ ego non miserã, quoniã adhuc puer eram vndecim annorum, vixdum suscepto regni sceptro, post mortẽ patris: sed Helena regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthæus mercator erat, Abraham vocatus: sed sibi nouũ nomẽ idcirco imposuerat, vt securiùs per fines Maurorũ iter faceret. Verùm is in Dabul à Mauris pro Christiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. Quod quũ significasset vestrorum exercituum Præfecto, is misit fortes viros, qui Christiánum hominem è teterrimo carcere liberarent, maximè quũ didicisset eum esse legatum meum. Itaq; illum ereptum è manibus inimicorum, curauit vestris nauibus ad conspectum vestrum transuehendũ. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mãdata exposuit, rescripsitq; se honorificè susceptũ fuisse, & cumulatè omniũ generis muneribus honestatũ: quod & nũcij pariter vestri affirmabãt, quos magnus vestræ classis præfectus Didacus Lopez de Sequeira ad nos misit, qui literas præsẽtarũt, quàs afferre debuerat Eduardus Galuanus, qui in insula Camoronis diẽ obierat: quibus cõspectis literis, magnopere sum gauisus: & Deo egi gratias: & tũ magnã

cepi

cepi voluptatem, quum pectora vestrorum nunciorum crucibus insignita conspicerem, & experiirer percunctando eos ritus tenere fidei Christianæ, qui essent verissimi: & illud me singulari deuotione iniecta vehementer permouit, quòd intelligerem iter in Aethiopiam inuentum esse non sine miraculo. Nam referebant præfectum classis, quum diu per mare Arabicum errasset, & propterea de inueniendo nostro portu desperasset, re infecta, redire in Indiam voluisse, maximè propter sæuas maris tempestates: sed in aurora opportunè rubram crucē in cælo apparuisse, qua salutata, à nautis proras in eam partem esse conuersas, monstrantéque Deo repertum esse portū nostrum: quæ res mihi pro miraculo visa est: & certè is classis præfectus Deo debet admodum esse dilectus, postquàm tātam ei felicitatem concessam videmus, quantam nemo ante eum à Deo impetrare potuerit. De hac autē mutua legatione antiquitus prædictū fuit à Propheta in libro de vita & passione sancti Victoris, & in libris sanctorū Patrū, quòd rex magnus Christianus, cum rege Aethiopiæ esset cū mutua pace cōuenturus: sed hoc nequaquam futurum existimabā diebus vitæ meæ. Verùm Deus certum sciebat, vt laudetur nomen eius, qui nuncium ad me detulit, vt ego pariter id mittere possem ad te patrem meū in Christo, & amicū, vt simus in vna fide, postquàm à nullo alio rege Christiano nunciū aut certā notitiam habuerim. Hactenus

circum

vestra & eximia aula duos nuncios, quorū quidem alteri nomen erat Ioannes, qui se presbyterum aiebat, alteri verò Ioānes Gomez, petijsséque à nobis commeatum & milites. Quare nos mittimus nostrū Oratorem Matthaeum, fratrem nostri seruitij, cum venia patriarchæ Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Hierosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrarum ditionum, columna fidei Christi, & sanctæ trinitatis. Is de nostro mandato misit ad magnum vestrum ducem eorum, qui pro fide nostri Seruatoris Iesu Christi militāt in India, ad illis significandum, nos esse promptos ad mittendum tum cōmeatum, tum milites, si necesse fuerit. Proinde fama accepimus principem Cayri cogere magnā classem aduersus vestras copias, nimirùm vt sese vindicet de iniurijs damnisq; per militiæ tuæ (quā in India habes) duces, sibi (vt verè nobis constat) sæpe illatis, quod Deus sua sancta bonitate in dies magis magisq; fortunare dignetur, vt cuncti tandem increduli penitus sub iugum mittantur.

Fuit olim prīceps Cayri Sultanus, quam ciuitatē nūc occupat magnus Turca.

Iuda & Thor sunt ciuitates maritimæ ad sinū Arabicū, quo Lusitani quotannis in Barbaros excursum faciunt.

Nos itaque aduersus illorum insultus missuri sumus militum copias, quæ maneant ad fretum Mecha, scilicet BABEL MENDEL, aut certè, si id tibi cōmodius videbitur, ad portum Iudæ, aut Thor, vt tandē auferas perdasq; huiusmodi Mauros, & incredulos à facie terræ, ita vt dona, & oblationes, quæ afferūtur ad sanctum sepulcrum, deinceps nō vorētur à canibus.

Adest

Adest iam tempus illud promissum, quod, vt aiũt, Christus & mater eius Maria prædixere, quòd scilicet in postremis temporibus oriturus esset è regionibus Francicis Rex quispiam, qui aboliturus esset vniuersum Barbarorũ & Maurorum genus; & hoc ipsum quidem nunc tempus est, quod Christus benedictæ suæ matri futurum promisit.

Frãcicis. i. Christianis Europæis: Indi enim & Mahometani ferè omnes Christianos Europæ generali nomine Francos vocant.

Porrò quicquid Orator noster Matthæus vobis dicturus est, id velut à nostra ipsorũ persona profectum accipite, eiq; fidẽ adhibete. Est siquidem vnus inter nostræ aulæ præcipuos, atque ob id illum ad vos mittere voluimus. Cõmisissemus autem hæc vestris nuncijs, quos huc legastis, sed cepit nos metus, ne nostra negotia, nõ ex nostra sententia vobis nota forent.

Mittimus ad vos per hunc nostrum Oratorẽ Matthæum crucem vnam, factam haud dubiè ex frusto ligni, in quo Seruator noster Iesus Christus crucifixus fuit Hierosolymis. Id autem sacrosancti ligni frustũ ex Hierosolymis ad nos allatum est. Porrò ex eodem duas fecimus cruces: earum altera quidem apud nos manet, alteram verò dedimus isti nostro Oratori ad vos perferendam. Lignum nigri coloris est, pendetq; ab exiguo argenteo annulo.

Cæterùm si vobis visum fuerit, aut vestras filias matrimonio iũgere nostris filijs, aut nostros filios dare vestris filiabus, id & nobis in primis pergratũ erit, & vtrisque vtile, & fraterni inter

nos initium fœderis, quod quidem nuptiarũ cõnubium cùm in præsentiarum, tum etiam in futurum tecum inire percupimus. Reliquum est vt & salus & gratia nostri redẽptoris Iesu Christi, sanctæq; nostræ Dominæ Mariæ virginis, se extendat, tum super vos, tum super filios, filias, vniuersamq; vestram domum, Amen.

Ad hæc autem vos certiores facimus, si bella, exercitusq; coniungere velimus, satis virium nobis futurum esse ad (diuino accedente auxilio) abolendũ vniuersos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verùm nostra regna & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, vt nusquàm in maria possimus erumpere. Quare nihil nobis est potentia in mari, in quo (deo laus) vos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit vobis auxilio: res enim, quæ in India per vos gestæ sunt, sunt profectò magis miraculosæ, quàm humanæ. Quòd si mille velis armare naues, nos & commeatũ dabimus, & cuncta quæ ad eam classem opus erunt: abundè suppeditabimus.

Hanc epistolam cum aliquibus fidei, religionis, morum, statúsque Aethiopum articulis, quos Matthaeus coram Rege Emanuele, & eius concilio explicuit, hortatu Ioannis Magni Gothi Archiepiscopi Vpsaliæ, in regno Sueciæ, cum quo in Prusia non vulgarẽ contraxi amicitiam, ex idiomate Lusitanico, in quo eam conscriptam habebam, Latinam feci, quæ posteà cũ ipsis quoque articulis, me inscio, Antuerpiæ excusa est.

His

His ex legatis Aethiopum cognitis, Emanuel, vt erat & prudentißimus, & propagandæ fidei Christianæ auidißimus, legationē instituit grauißimis & ornatißimis viris instructam: cuius capita fuere Eduardus Galuanus, vir non minùs ætate, quàm prudētia, ac rerum vsu grauißimus: & Franciscus AluareZ sacerdos, ac Regi à sacris, & is quoq; senex, & moribus inculpatis: quos vtrosq; de facie nouimus. Ii cum Matthæo sub Lupo SoareZ Prorege ad Indiam nauigant, ac tandē Didaco LopeZ à Sequeira, Prorege, qui Lupo SoareZ successerat, cū instructa classe, quam aduersus Turcas parauerat, ad portum Arquicū nomine, in litore Erythræo, ac in ditione preciosi Ioannis situm deducuntur: ad quem locum appulsa est nauis, anno salutis millesimo quingētesimo vigesimo, die secundo Aprilis: in quo itinere, in Camara maris Erythræi insula vita defunctus est Eduardus Galuanus: in cuius locum suffectus est Rodericus Limius, qui ab ipso Arquici portu, vigesimonono eiusdē mēsis cum socijs eiusdē legationis, duce simul ac comite Matthæo (nam Abesynus ille iuuenis, de quo superiùs mētionem fecimus, è viuis iam discesserat) ad aulā Preciosi Ioānis contendere cœpit, in quo itinere quoq; mortuus est Matthæus, ac in quodam celeberrimo cœnobio, nomine Bysain à nostris sepultus. Post cuius funebre officiū, ad institutā perfectionem redeunt, ac post maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula,

ad aulam Preciosi Ioannis perueniunt: à quo Rodericus cum collegis honorificè excipitur, ac tandem peractis mādatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum suis Arquicum profectus, classem, cuius prætor Ludouicus Menesius erat, & quæ ea de causa appulerat, vt nos reduceret, non inuenit: quæ illos, quòd serius aduenerāt, exspectare nō potuit propter vētorum importunitates, quæ in illis plagis, miro naturæ arcano, sex perpetuos menses ex vno cæli climate, deindè alteros illos sex menses ex aduerso spirāt. Arquici literas inuenit apud præfectū oppidi, à prætore Ludouico relictas, ex quibus regis Emanuelis mortem cognoscit. Quamobrem iterum in aulam Preciosi Ioannis redeundum esse constituit: quo reuerso, Preciosus Ioannes ad Romanum Pontificem scribit, literásque Francisco Aluarez Romam ferendas commisit. Ii omnes iam spatio sex annorū in illis prouinciis commorati, tandem cum legato Aethiopico, quem Preciosus Ioannes ad Regē nostrum mittebat, Arquici aliam classem regiam, quæ eorum causa iterum venerat, conscendunt, idque anno millesimo quingentesimo vigesimosexto, mense Aprili. Inde soluentes Indiam petūt, ac tandem longis nauigationibus Vlyssipponem ad Regem Ioannem, anno millesimo quingentesimo vigesimoseptimo, mense Iulio, redeunt: qui oratorem Aethiopicum ob certas eius legationis causas, apud se annum millesimum quingentesimum

vigesim

trigesimumnonum vsque retinuit. Franciscumq; Aluarez ad Clementem Pontificem septimum cum literis Pretiosi Ioannis, cuius orator ex Aethiopia venerat, misit: quas ipse Pōtifex ex manibus eiusdem Francisci Aluarez Bononiæ, anno salutis millesimo quingentesimo trigesimotertio, mense Ianuario, CAROLO *Quinto Impetore præsente, accepit. Quarum & aliarum ad Emanuelem & Ioannem Reges interpretatio Paulo Iouio viro erudito debetur, qui eas ex Lusitanico sermone, in quem tum versæ erant, Latinas fecit, vt iam hîc videre licet.*

LITERÆ SERENISSIMI DAVIDIS ÆTHIOPIÆ Imperatoris ad Emanuelem Portugalliæ, &c. Regem, scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimoprimo, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris, vti semper fuit, cui non inuenitur principium. In nomine Dei filij vnici, qui est similis ei, antequàm sit visum lumen stellarum, antequàm poneret fundamenta maris Oceani, alio autem tempore conceptus fuit in vtero virginis, sine semine virili, & sine nuptijs. In hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti spiritus sanctitatis, qui scit cuncta secreta, quæ sunt, vbi antea fuit, omnium scilicet altitudinum cæli, quod sine

columnis, & absque vllis fulcimentis sustinetur, qui amplificauit terram, quæ anteà non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occasum, & à Septemtrione ad Austrum. Nec iste est primus, vel secundus, sed est trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno tantùm consilio, & vno verbo, per secula seculorum. Amen.

Has literas mittit Atani Thingil, id est, Thus virginis, quod nomen est à baptismate, nunc verò in ipso suscepti regni initio, assumpsit nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iudæ, filius Dauid, filius Solomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnē, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaligāze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahō, de Sabaym, vnde fuit regina Saba, de Bernagaës, & dominus vsq; ad Nobiam finem Aegypti. Hæ literæ diriguntur Regi potentissimo & excellentissimo, semper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide catholica, filio Apostolorū Petri & Pauli, Regi Portugalliæ & Algarbiorū, amico Christianorum, hosti, iudici, Imperatori, domitori Maurorum, & gentium Africæ, & Guiemneæ, à promontorio, atq; insula

Lunæ,

Lunae, maris Rubri, Arabiae, & Persidis, & Armuthe, magnae Indiae, & omniũ locorum earum, & omniũ insularum, terrarum adiacentiũ profligatori Maurorũ, & fortium paganorũ, domino arcium & altorũ castellorum, & murorũ propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi Domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio Mauros occidis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis ducibus vndiq; tanquã infideles canes expellis. Pax sit cũ Regina vxore tua, amica Iesu Christi, serua Mariae virginis, matris ipsius Saluatoris totius mũdi: pax sit filijs tuis, nũc: vti in virenti horto, & florentibus lilijs, mensa esculẽtis parata: pax filiabus vestris, quae sunt indumẽtis ornatae, sicut palatia aulaeis exornantur: pax affinibus tuis, ex sanctorũ semine procreatis, sicut dicit sacra scriptura, Filij sanctorum sunt benedicti, & magni foris & intra domũ: pax sit consiliarijs & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicentibus, pax ducibus tuis castrorũ, & confinium, & omnium rerum munitarum: pax omnibus gentibus, populis, & vrbibus, & cunctis inhabitantibus praeter Mauros & Iudaeos: pax omnibus parochijs, & omnibus Christo & tibi fidelibus. Amen.

Cognoui Domine Rex, & mi pater, quòd quũ ad te nominis mei fama per Matthaeũ oratorem nostrum fuisset delata, statim Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Praelatorum magnum numerum aduocari iussisti, qui de ea legatione Deo Christo gratias agerẽt: ipsumq; Matthaeum

 summo

summo cũ honore & hilaritate fuisse susceptum. qua de re mirificè sum letatus, & gratias pariter Deo egi: et hoc deuotè fecit etiã populus meus. Dolui autem cùm ab his intellexi ipsum Matthæum in reditu suo, dum intraret fines meos, in monasterio de Bisayn fuisse mortuum. Eũ autẽ ego non miserã, quoniã adhuc puer eram vndecim annorum, vixdum suscepto regni sceptro, post mortẽ patris: sed Helena regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthæus mercator erat, Abraham vocatus: sed sibi nouũ nomẽ idcirco imposuerat, vt securiùs per fines Maurorũ iter faceret. Verùm is in Dabul à Mauris pro Christiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. Quod quũ significasset vestrorum exercituum Præfecto, is misit fortes viros, qui Christianum hominem è teterrimo carcere liberarent, maximè quũ didicisset eum esse legatum meum. Itaq; illum ereptum è manibus inimicorum, curauit vestris nauibus ad conspectum vestrum transuehendũ. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mãdata exposuit, rescripsitq; se honorificè susceptũ fuisse, & cumulatè omnis generis muneribus honestatũ: quod & nũcij pariter vestri affirmabãt, quos magnus vestræ classis præfectus Didaeus Lopez de Sequeira ad nos misit, qui literas præsẽtarũt, quàs afferre debuerat Eduardus Galuanus, qui in insula Cameronis diẽ obierat: quibus cõspectis literis, magnopere sum gauisus: & Deo egi gratias: & tũ magnã
cepi

cepi voluptatem, quum pectora vestrorum nunciorum crucibus insignita conspicerem, & experirer percunctando eos ritus tenere fidei Christianæ, qui essent verißimi: & illud me singulari deuotione infecta vehementer permouit, quòd intelligerem iter in Aethiopiam inuentum esse non sine miraculo. Nam referebant præfectum classis, quum diu per mare Arabicum errasset, & proptereà de inueniendo nostro portu desperasset, re infecta, redire in Indiam voluisse, maximè propter sæuas maris tempestates: sed in aurora opportunè rubram crucē in cælo apparuisse, qua salutata, à nautis proras in eam partem esse conuersas, monstrantéque Deo repertum esse portū nostrum: quæ res mihi pro miraculo visa est: & certè is classis præfectus Deo debet admodum esse dilectus, postquàm tātam ei felicitatem concessam videmus, quantam nemo ante eum à Deo impetrare potuerit. De hac autē mutua legatione antiquitus prædictū fuit à Propheta in libro de vita & paßione sancti Victoris, & in libris sanctorū Patrū, quòd rex magnus Christianus, cum rege Aethiopia esset cū mutua pace cōuenturus: sed hoc nequaquam futurum existimabā diebus vitæ meæ. Verùm Deus certum sciebat, vt laudetur nomen eius, qui nuncium ad me detulit, vt ego pariter id mittere possem ad te patrem meū in Christo, & amicū, vt simus in vna fide, postquàm à nullo alio rege Christiano nunciū aut certā notitiam habuerim. Hactenus

circum

circũ me Mauri erant, filij Mahometis, & gentiles, & reliqui sunt serui, qui Deum nõ agnoscunt, & alij qui ligna & ignẽ venerantur, & alij qui solem adorant, & alij qui serpẽtes Deos esse putant: cum his nunquã pacem habui, quoniam ad veritatẽ venire recusant, & frustra his prædicabam fidẽ: nũc verò conquiesco, & Deus quietẽ dono mihi dedit cũ hostibus meis & tuis. Nam in finibus meis quum armatus contra eos progredior, ipsi faciẽ & terga vertunt, & Duces & milites mei per cãpos de his victorias cõsequuntur. Neque mihi Deus irascitur, vt dicit Psalterium, & Deus vota eorum Regũ implet, qui iusta petũt, nec hoc ad laudẽ nostram pertinet. Nam Deo agendæ sunt gratiæ, is est qui mundum vobis dedit, & terram Gentilium perpetuò concessit, ac aliorum terras, quæ sunt à finibus vestris, ad initium Aethiopiæ: propterea ingentes Deo gratias ago, & prædico summam eius potentiã, quum sperem eorum populorum filios, qui in tuam ditionem venient, procuidubio fidei veritatem esse cogituros: quamobrem do gratias Deo, & spero quòd filij vestri & ego, & vos, de felicibus earum rerum successibus abundè lætabimur: & vos Deo debetis continuè supplicare, donec gratiam vobis det potiundi templi sancti in Hierusalem, quæ est in potestate hostium Christi, Maurorum, & Gentiliũ, & hæreticorum: & si hoc perfeceris, caput tuum omni laude plenissimum erit: cæterùm ex numero

legator

legatorum, qui ad me veniebant tum prædicto Matthæo, tres periere, & præfectus magnus vestræ classis deuenit apud Macua in colloquiū cū Rege de Bernagais, qui est imperio meo subiectus, & statim legatos ad me misit, & munera ingentia, quæ mihi charissima fuerunt. Verùm nomen vestrum omni gemma & thesauro mihi pretiosius videtur. Sed hæc transeamus, & agamus inter nos quomodo inuadere, & capere possimus infidelium terras. Ego certè dabo millies centena millia drachmarū auri, & totidem millia militarium virorum, itemq; materiā, & ferrum, & cuprum, in vsum ædificandæ & ornādæ classis: magnam etiam commeatus copiam: amicè vnà conueniemus: & quoniam non est consuetudinis & dignitatis meæ, ad petendam pacem legatos mittere, & tu primus à me eam syncerè quæsiuisti, ad verificanda Christi verba: Nam scriptū est, Beati pedes qui portant pacē. Et ego propterea sum ad id paratus, more Apostolorū, qui erant vnanimes, & vnius cordis. O rex, & pater mi Emanuel, vnus Deus te sospitē velit, & seruet, qui est Deus cæli, & sēper vnius substantiæ, nec iuuenescit, nec senescit. Is qui à te nunciū attulit, Rodericus Lima vocabatur, legationis optimorum virorum princeps, & cum eo Franciscus AlUareZ, quem propter vitæ probitatem, & singularem religionem, & iustitiam, valde charissimū habui, maximè quòd verissimis verbis, quū esset interrogatus de fide, aptissimè

simè respondebat. Et ita debetis eum exaltare & magistrum appellare, & dare ei officiū conuertendi populos de Matua, & de Dalaca, de Zeila, & omnium insularum maris Rubri, quoniam sunt in finibus regnorum meorum: & ego ei concessi crucem, & baculum, in signum potestatis: & ita vos iubete vt hæc ei concedantur, & creetur Episcopus illarum terrarum, & insularum, quoniam hoc meretur, & idoneus est in hoc officio administrādo: & tibi Deus plurimū benefaciet, vt semper sis fortis contra hostes tuos, & eos cogatis ad pedes vestros procidere: & Deus tibi vitā prolonget: & participem faciat regni cælorum in optimo loco, sicut ego pro me optarem. Audiui autem auribus meis multa bona de te, & oculis video, quæ videre nequaquā credebam, & Deus cuncta de bona in melius succedere velit: & ibi sit vester locus supra lignum vitæ, vbi est locus sanctorum. Amen.

Ego sicuti filius paruulus quæ iussistis feci, & faciam si venerint legati vestri, vt inuicem mutuis opibus adiuuemur. Singulis autem Oratoribus vestris, qui veniēt, sicut tum fecistis ad Mazua, aut Delacā, & ad portus intra angustias maris Rubri, ea tribuā, tribuiq; curabo, quæ fiēda significabitis; sicut maxime desidero, vt in cōsilio, & rerum actione prosperè cōiungamur. Nā quū ad ea litora copiæ vestræ peruenerint. mat nrè & ego cum meis exercitibus adero. Et quo niam in finibus meis nemo est Christianus. neque

neque templa Christianorum visuntur, concedā vestris hominibus habitandas illas terras, quæ sunt proximæ Maurorū ditioni: propterea opus est, vt cœptis vestris debitum finem afferatis. Interim mittitote ad me viros eruditos, atque etiam cælatores imaginū auri & argenti, & fabros cupri, & ferri, & stāni, & plumbi: itē artifices, qui literis nostræ linguæ pro ecclesia libros imprimāt: item aliquos, qui ex auro bracteolas facere, & cum his inaurare alia metalla sciunt. Hi erūt in domo mea honestissimè tractati, & si discedere voluerint, laborū suorum eis amplā mercedem soluam. Iuroq; per deum Iesum Christum Dei filium, me eos liberè, quum voluerint, esse dimissurum. Hoc autem peto fidentissimè, quoniā mihi vestra virtus spectata est, & bonitas maximè agnita, & scio me amari abs te plurimùm: & hoc agnoui certiùs, quòd Matthæum mei gratiâ honorificè & liberaliter suscepertis & remiseritis. Et ideò adnitor ea impetrare: neque hoc vobis pudorē afferat, nam omnia persoluā. Et id quod filius petit à patre, negari non debet: & tu es pater meus, & ego filius tuus, & simus cōiunctisimul: sicut laterculus cum laterculo in pariete copulatur, ita duo in vno corde, & amore Iesu Christi consentimus, qui est caput mundi, & qui cum eo sunt, assimilantur laterculis in muro coniunctis. Amen.

LIT.

LITERÆ EIVSDEM DAVIDIS ÆTHIOPIÆ

Imperatoris, ad Ioannem huius nominis tertium Portugalliæ Regem, scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis creatoris cæli & terræ, & omnium rerum factarum, visibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Christi, qui est filius, & consilijs & propheta patris. In nomine Dei spiritus sancti, paracleti Dei viri, æqualis patri, & filio, qui locutus est per os prophetæ, spirando super Apostolos, vt gratias agerent, & laudarent Trinitatē perfectā in cælo, & in terra, in mari, & in profundo sēper Amē.

Mitto has literas & nunciū ego Thius virginis, quod est mihi nomen à baptismate, nunc verò cum Imperij sceptro assumpsi nomen Dauid, dilectus Deo, columna fidei, stirps Iuda, filius Dauid, filius Salomonis Regum Israel, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, & filius Nau per carnē, maximo, & potentissimo, & altissimo Ioanni Regi Portugalliæ, & Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax sit tibi, & gratia domini nostri Iesu Christi sit semper tecum, AMEN.

Eo

Eo tempore quo ad me relatum est de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdissimi Mahumetis filios debellabat. Deo gratias ingentes egi, propter incrementum, & magnitudinem, & coronam conseruationis, in domo Christianitatis. Similiter summam cepi voluptatem ex legatorum aduentu, qui verba ipsius Regis ad me detulerunt: ex quibus singularis amor, & notitia, & amicitia inter nos effecta est, ad eradicandos, expellendosq; malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua meaq; regna. Dum essem in hac lætitia, audiui tuum, meumque patrem, prius esse vita defunctum, quàm hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrem gaudium meum in mœrorem subitò conuersum est, ita vt in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aulæ nostræ proceres, & Prælati Ecclesiastici, et qui in monasterijs sunt, omnesq; demum subditi nostri vehementissimum luctum fecerint, ita vt voluptas primi nuncij cum tristitia huius nouissimi exæquaretur. Domine, à principio regnorum meorũ hactenus nulla legatio, nullusq; nuncius, vel à Rege, vel à regno Portugalliæ ad me peruenit, nisi dum viueret Rex, tuus pater, qui Duces suos ad me misit, & proceres cum Clericis, & Diaconis, qui totum solenniũm missarum apparatum attulerũt. Et propterea maximè sum lætatus, & eos honorificè suscepi, et nõ multò post eos dimisi, vt reuerterentur cum honore, & pace: & postquam peruenerunt ad portum

maris, qui est in finibus meis in mari Rubro, non inuenere magnum Præfectum classis, quem pater tuus miserat: is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam non potuit exspectare, quum esset moris vestri, de triennio in triennium magnum classis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit: qua de causa longiorem, quàm opus esset, moram legati contraxerunt. Nunc verò mitto mandata mea per fratrem Christophorum Licanati, cui nomen à baptismate est Zaga Zabo, nẽpe gratia patris, qui desideria mea coram vobis explicabit: & item ad Papam Romanum mitto Frãciscum Aluarez, qui nomine meo præstet obedientiam, vt iustum est. O Domine Rex frater mi attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebrò mitte nuncios & literas: nam eas magnoperè videre desidero, vti à fratre meo: nam id æquũ est, quũ ambo simus Christiani, & Mauri qui mali sunt semper in sua secta concordes exsistunt: & nunc profiteor me nolle in posterum legationes Regis Aegyptij admittere, nec aliorum item Regum qui ad me sæpe legatos mittebant: sed solùm celsitudinis tuæ, quos venire maximè opto, quoniam Reges Mauri me loco amici non habent, propter religionis dissensionem: sed amicitiam simulant, vt tutiùs & liberiùs mercaturam in nostris regnis exerceant, vnde magnum commodum cõsequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius sunt
auidiss

auidißimi, è regnis meis exportant, quum parũ mihi sint amici, & commoda eorum nullam mihi offerát letitiam: sed hoc tolerandum fuit, quoniam superiorum regũ nostrorum vetus est institutum: & si eis nequaquàm bellum infero, & penitus profligo, temperandum in hoc mihi esse arbitror, ne illi contrà sanctum templum in Hierusalem violent, & diruãt, in quo sepultura est Iesu Christi, quam Deus in potestate fœdißimorum Maurorum reliquit: & pariter solo æquarẽt alia tẽpla, quæ sunt in Aegypto, & Syria: & hæc causa est cur eos non inuadã & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi faciliùs persuadeo esse faciendum, quum neminẽ Christianum Regem habeã finitimum, qui me adiuuet, & cor meũ exhilaret. Ego mihi Rex nequaquàm lætari possum de Christianis Europæis Regibus, quum eos audiam in vno corde minimè consentire, vigereq; inter eos bella. Estote simul omnes in vna concordia vnanimes. Deberetis enim inter vos certo fœdere esse contenti. Et certè si mihi Christianus Rex finibus esset coniunctus, nunquàm vna hora ab ipso discederem: & de hoc non planè scio quid dicam, aut omnino faciam, quũ hæc à Deo ordinata esse videantur. Domine mi mitte obsecro frequentes ad me nuncios: nam quum literas tuas video, vultum certè tuum intueor. Quoniam maior amicitia oritur inter longinquos, distantes, quam inter eos qui propinqui sunt, propter desiderium

quo tenemur. Nam is qui reconditos habet thesauros, quum eos oculis non videat corde semper & quidem vehementissimè diligit: sicut Dominus Iesus Christus in Euangelio dicit. Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum: ita cor meum apud te est, quum tu ipse meus sis thesaurus: & tu pariter me tuum thesaurum debes efficere, & cum meo tuum cor syncerè copulare. O Domine frater, serua verbum hoc, nam es prudentissimus, & (vt audio) patri in sapientia similis: & de hac re cognita, statim Deo gratias egi, abiectóque dolore, gaudium à me susceptum est, & dixi, Benedictus sit filius sapiens, & magni capitis filius Regis Emanuelis, qui sedet in cathedra regnorum suorum. Domine mi, caue ne defatigeris, quum sis fortis non secus ac pater tuus, nec ostēde debiles vires aduersus Mauros & Gentiles: nam eos cum Dei auxilio, adiuuāte virtute tua, facilè debellabis & destrues: & non dicas tibi esse à patre tuo vires exiguas. Nam eæ sunt certè satis magnæ, & Deus semper opem feret. Mihi adsunt viri, aurū, cōmeatus instar arenæ maris, & stellarum cæli. Nos simul coniuncti totam Maurorum barbariem destruemus: neque aliud à vobis peto, quàm peritos viros, qui meos milites in prælijs ordines seruare doceant. Et tu Rex vir integræ ætatis exsistis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis imperium suscepit, habuitq; magnas vires, & patre sapientior fuit. Ego quoque quum Nau pater meus excessit ab humanis,

puer

puer vndecim annorum remansi, ingressusq; sedē patris, Deo dante ampliores opes & vires eo sum cōsequutus. Nā in manu mea omnes finitimi & Regni gentes exsistunt: propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Prebe mihi aures frater, & Domine. Nam hoc vno verbo à vobis postulo, vt viri docti, atq; etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & omnis generis arma militaria fabricare sciant. Itemq; architecti, fabri lignarij, & Medici, qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere qui aurū in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregiè cælare valeant: ac etiam aurū & argentum è venis terræ eruere, & metallorum omnium fodinas exercere sciant. Præter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebūt: omnes denique artifices mihi vsui erunt, & præsertim sclopetorum. Adiuua me obsecro in his rebus, sicuti frater fratrem, & te Deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes & petitiones tuas, sicuti recepit sancta sacrificia in omni tempore: & in primis sacrificia Abel, & Noë, quādo fuit in arca: & illud Abrahā quādo fuit in terra Madiā: & illud de Isaac, quando discessit à fossa iuramenti: & illud Iacob, in domo Bethlehē: & Mosis in Aegypto, & Aaron in monte, & Ieson filij Naue in Galgala, & Gedeonis supra plagam, & Sampsonis,

quando sitim habuit in terra sicca: & Samuelis in Rhama prophetæ, & David Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte Carmelo, quando suscitauit filium viduæ mulieris è Richa supra puteum: & Iosaphat in prælio: & Manasse quando peccauit, & ad Deum est conuersus: & Danielis in spelunca leonum, & trium sociorum Sydrach, Misach, Abdenago in camino ignis: & Annæ ante altare, & Nehemiæ, qui fecit muros cum Zorobabel, & Mathathiæ cum filijs supra quartam partem mundi, & de Esau, supra benedictionem. Ita Domine, Deus recipiet tua sacrificia, & supplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruersitates in omni tempore, & singulis diebus. Pax sit tecum, & ego te amplector sanctitatis brachijs, & similiter singulos amplector qui tibi sunt à cōsilijs sanctis regni Portugalliæ. Itemq; Archiepiscopos, & Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos, virosq; pariter & mulieres. Gratia dei, & benedictio virginis Mariæ matris Dei sit tecum & omnibus.

AMEN.

LITERÆ EIUSDEM SERENISSIMI DAVIDIS Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis creatoris cæli & terræ, visibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Iesu Christi, qui est idem cum ipso, à principio mundi, & est lumen de lumine, & Deus verus, de Deo vero. In nomine Dei spiritus sancti, Dei viui, qui processit ex Deo patre,

Has literas is ego Rex mitto, cuius nomẽ leones venerantur, & Dei gratia vocor Athani Tinghil, id est, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Solomonis, filius Regis de manu Mariæ, filius Nau per carnẽ, filius sanctorum Petri, & Pauli, per gratiã: pax sit tibi iuste Domine, pater sancte, potẽs, pure, sacrate, qui es caput Põtificum omnium, & neminẽ metuis, quum nemo tibi possit maledicere: qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium, consecrate magister, & prædicator fidei, & earum rerũ hostis, quæ conscientiã offendũt, amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudãt, & benedicunt. O felix sancte pater, ego tibi

tibi reuerenter obedio, quum sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquũ, vt omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum. Hoc verè vestrum est: ita etiã præcipuũt, vt veneremur Episcopos, Archiepescopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, et loco Regis vereamur, & tibi vti Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis tibi pater sancte syncero admodum corde, quòd tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissime, cur neminem vnquam ad nos misisti, vt certiùs de vita saluteq; mea cognosceres, quum tu sis pastor, & ego ouis tua? bonus etenim pastor sui gregis nunquàm obliuisceretur: nec tibi à regionib. vestris nimiũ semotus debeo existimari, vt nuntij ad me nequeant peruenire: quũ ex remotissimis terrarum regni Portugalliæ Rex Emanuel filius tuus, oratores ad nos cõmodissimè miserit: et si Deus eum ad se in cælũ euocare distulisset, ea quæ tum agitabamus, proculdubio fœlicem exitum habuissent: nũnc verò maximè opto prospera & salutaria de sanctitate vestra per certos nuncios audire: neq; enim vnquam à sanctitate vestra verbum recepi, quum aliqua tãtùm à nostris, qui ex voto peregrinãtur, audierim. Sed hi quum neq; meo nomine proficiscantur, neq; quicquam literarum à vobis afferãt, incerta fide nobis percunctantibus, dicũt se ab Hierosolyma, deinde solutis votis, ad visitanda Apostolorum limina

mina Romam peruenisse: quũ intelligant ea loca facilè peti, quòd à Christianis teneantur, & certè summam capio ex eorum sermonibus voluptatem, quoniam dulcissima cogitatione sancti vultus tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ simillima videtur, & illã sicuti angelicã me diligere, venerariq; fateor. Sed profectò mihi esset gratius atque iucundius, verba tua, tuasq; literas deuotissimè contemplari. Atque ita nunc te oro, vt nũcium tuum cum benedictione ad me mittere velis ad exhilarandum cor meum: nam quum in religione & fide consentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, suppliciterque item oro, vt amicitiam meam, ad instar annuli quem induis in digitum, & torquis aurei, quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria nunquam ex animo vestro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maximè crescit, quum eam sancta pax cõplectitur, è qua omnis humana lætitia facilè prouenit. Quemadmodũ enim is qui vehementer sitit: frigidam maximè aquam desiderat, vt in sacris scripturis habetur: ita animus meus ex nunciis & literis, quæ ex remotissimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere solet: neque tantũmodo de sanctitate vestra, si aliqua audiero, verùm si certa de singulis terræ Christianæ Regibus referentur, mirum in modum lætabor: sicuti his accidit, qui præliãdo optima spolia reperiunt, & legunt: hoc enim facillimè fieri potest,

maris, qui est in finibus meis in mari Rubro, non inuenere magnum Præfectum classis, quem pater tuus miserat: is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam non potuit exspectare, quum esset moris vestri, de triennio in triennium magnum classis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit: qua de causa longiorem, quàm opus esset, moram legati contraxerunt. Nunc verò mitto mandata mea per fratrem Christophorum Licanati, cui nomen à baptismate est Zaga Zabo, nẽpe gratia patris, qui desideria mea coram vobis explicabit: & item ad Papam Romanum mitto Frãciscum Aluarez, qui nomine meo præstet obedientiam, vt iustum est. O Domine Rex frater mi attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebrò mitte nuncios & literas: nam eas magnoperè videre desidero, vti à fratre meo: nam id æquũ est, quũ ambo simus Christiani, & Mauri qui mali sunt semper in sua secta concordes exsistunt: & nunc profiteor me nolle in posterum legationes Regis Aegyptij admittere, nec aliorum item Regum qui ad me sæpe legatos mittebant: sed solùm celsitudinis tuæ, quos venire maximè opto, quoniam Reges Mauri me loco amici non habent, propter religionis dissensionem: sed amicitiam simulant, vt tutiùs & liberiùs mercaturam in nostris regnis exerceant, vnde magnum commodum cõsequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius sunt auidiss

auidißimi, è regnis meis exportant, quum parũ mihi sint amici, & commoda eorum nullam mihi offerat lætitiam: sed hoc tolerandum fuit, quoniam superiorum regũ nostrorum vetus est institutum: & si eis nequaquàm bellum infero, & penitus profligo, temperandum in hoc mihi esse arbitror, ne illi contrà sanctum templum in Hierusalem violent, & diruãt, in quo sepultura est Iesu Christi, quam Deus in potestate fœdißimorum Maurorum reliquit: & pariter solo æquarẽt alia tẽpla, quæ sunt in Aegypto, & Syria: & hæc causa est cur eos non inuadã & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi faciliùs persuadeo esse faciendum, quum neminẽ Christianum Regem habeã finitimum, qui me adiuuet, & cor meũ exhilaret. Ego mihi Rex nequaquàm lætari possum de Christianis Europæis Regibus, quum eos audiam in vno corde minimè consentire, vigereq; inter eos bella. Estote simul omnes in vna concordia vnanimes. Deberetis enim inter vos certo fœdere esse contenti. Et certè si mihi Christianus Rex finibus esset coniunctus, nunquàm vna hora ab ipso discederem: & de hoc non planè scio quid dicam, aut omnino faciam, quũ hæc à Deo ordinata esse videantur. Domine mi mitte obsecro frequentes ad me nuncios: nam quum literas tuas video, vultum certè tuum intueor. Quoniam maior amicitia oritur inter longinquos, distantes, quam inter eos qui propinqui sunt, propter desiderium

quo tenentur. Nam is qui reconditos habet thesauros, quum eos oculis non videat corde semper & quidem vehementissimè diligit: sicut Dominus Iesus Christus in Euangelio dicit. Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum: ita cor meum apud te est, quum tu ipse meus sis thesaurus: & tu pariter me tuum thesaurum debes efficere, & cum meo tuum cor syncerè copulare. O Domine frater, serua verbum hoc, nam es prudentissimus, & (vti audio) patri in sapientia similis: & de hac re cognita, statim Deo gratias egi, abiectóque dolore, gaudium à me susceptum est, & dixi, Benedictus sit filius sapiens, & magni capitis filius Regis Emanuelis, qui sedet in cathedra regnorum suorum. Domine mi, caue ne defatigeris, quum sis fortis non secus ac pater tuus, nec ostēde debiles vires aduersus Mauros & Gentiles: nam eos cum Dei auxilio, adiuuāte virtute tua, facilè debellabis & destrues: & non dicas tibi esse à patre tuo vires exiguas. Nam ea sunt certè satis magna, & Deus semper opem feret. Mihi adsunt viri, aurū, cōmeatus instar arenæ maris, & stellarum cæli. Nos simul coniuncti totam Maurorum barbariem destruemus: neque aliud à vobis peto, quàm peritos viros, qui meos milites in prælijs ordines seruare doceant. Et tu Rex vir integræ ætatis exsistis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis imperium suscepit, habuitq; magnas vires, & patre sapientior fuit. Ego quoque quum Nau pater meus excessit ab humanis, puer

puer vndecim annorum remansi, ingressusq; sedē patris, Deo dante ampliores opes & vires eo sum cōsequutus. Nā in manu mea omnes finitimi & Regni gentes exsistunt : propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Praebe mihi aures frater, & Domine. Nam hoc vno verbo à vobis postulo, vt viri docti, atq; etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & omnis generis arma militaria fabricare sciant. Itemq; architecti, fabri lignarij, & Medici, qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere qui aurū in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregiè caelare valeant : ac etiam aurū & argentum è venis terrae eruere, & metallorum omnium fodinas exercere sciant. Praeter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebūt: omnes denique artifices mihi vsui erunt, & praesertim sclopetorum. Adiuua me obsecro in his rebus, sicuti frater fratrem, & te Deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes & petitiones tuas, sicuti recepit sancta sacrificia in omni tempore: & in primis sacrificia Abel, & Noë, quādo fuit in arca: & illud Abrahā quādo fuit in terra Madiā: & illud de Isaac, quando discessit à fossa iuramenti: & illud Iacob, in domo Bethlehē: & Mosis in Aegypto, & Aaron in monte, & Ieson filij Nau in Galgala, & Gedeonis supra plagam, & Sampsonis,

quando sitim habuit in terra sicca: & Samuelis in Rhama prophetæ, & David Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliæ in monte Carmelo, quando suscitauit filium viduæ mulieris è Richa supra puteum: & Iosaphat in prælio: & Manasse quando peccauit, & ad Deum est conuersus: & Danielis in spelunca leonum, & triu sociorum Sydrach, Misach, Abdenago in camino ignis: & Annæ ante altare, & Nehemiæ, qui fecit muros cum Zorobabel, & Mathathiæ cum filijs supra quartam partem mundi, & de Esau, supra benedictionem. Ita Domine, Deus recipiet tua sacrificia, & supplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruersitates in omni tempore, & singulis diebus. Pax sit tecum, & ego te amplector sanctitatis brachijs, & similiter singulos amplector qui tibi sunt à cõsilijs sanctis regni Portugalliæ. Itemq; Archiepiscopos, & Episcopos, Secerdotes, & Diaconos, virosq; pariter & mulieres. Gratia dei, & benedictio virginis Mariæ matris Dei sit tecum & omnibus.

AMEN.

LITERÆ EIVSDEM SERENISSIMI DAVIDIS Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis creatoris cæli & terræ, visibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Iesu Christi, qui est idem cum ipso, à principio mundi, & est lumen de lumine, & Deus verus, de Deo vero. In nomine Dei spiritus sancti, Dei viui, qui processit ex Deo patre,

Has literas is ego Rex mitto, cuius nomẽ leones venerantur, & Dei gratia vocor Athani Tinghil, id est, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Solomonis, filius Regis de manu Mariæ, filius Nau per carnẽ, filius sanctorum Petri, & Pauli, per gratiã: pax sit tibi iuste Domine, pater sancte, potẽs, pure, sacrate, qui es caput Põtificum omnium, & neminẽ metuis, quum nemo tibi possit maledicere: qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium, consecrate magister, & prædicator fidei, & earum rerũ hostis, quæ conscientiã offendũt, amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudãt, & benedicunt. O felix sancte pater, ego

tibi reuerenter obedio, quum sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquũ, vt omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum. Hoc verè vestrum est: ita etiã præcipiuñt, vt veneremur Episcopos, Archiepescopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, et loco Regis vereamur, & tibi vti Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis tibi pater sancte syncero admodum corde, quòd tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissime, cur neminem vnquam ad nos misisti, vt certiùs de vita saluteq; mea cognosceres, quum tu sis pastor, & ego ouis tua? bonus etenim pastor sui gregis nunquàm obliuisceretur: nec tibi à regionib. vestris nimiũ semotus debeo existimari, vt nuntij ad me nequeant peruenire: quũ ex remotissimis terrarum regni Portugalliæ Rex Emanuel filius tuus, oratores ad nos cõmodissimè miserit: et si Deus eum ad se in cælũ euocare distulisset, ea quæ tum agitabamus, proculdubio fœlicem exitum habuissent: nunc verò maximè opto prospera & salutaria de sanctitate vestra per certos nuncios audire: neq; enim vnquam à sanctitate vestra verbum recepi, quum aliqua tãtùm à nostris, qui ex voto peregrinãtur, audierim. Sed hi quum neq; meo nomine proficiscantur, neq; quicquam literarum à vobis afferãt, incerta fide nobis percunctantibus, dicũt se ab Hierosolyma, deinde solutis votis, ad visitanda Apostolorum limina

mina Romam peruenisse: quũ intelligant ea loca facilè peti, quòd à Christianis teneantur, & certè summam capio ex eorum sermonibus voluptatem, quoniam dulcißima cogitatione sancti vultus tui imaginem intueor, quae mihi Angeli formae simillima videtur, & illã sicuti angelicã me diligere, venerariq; fateor. Sed profectò mihi esset gratius atque iucundius, verba tua, tuasq; literas deuotißimè contemplari. Atque ita nunc te oro, vt nũcium tuum cum benedictione ad me mittere velis ad exhilarandum cor meum: nam quum in religione & fide consentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, suppliciterque item oro, vt amicitiam meam, ad instar annuli quem induis in digitum, & torquis aurei, quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria nunquam ex animo vestro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maximè crescit, quum eam sancta pax cõplectitur, è qua omnis humana lætitia facilè prouenit. Quemadmodũ enim is qui vehementer sitit: frigidam maximè aquam desiderat, vt in sacris scripturis habetur: ita animus meus ex nuncijs & literis, quae ex remotißimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere solet: neque tantũmodo de sanctitate vestra, si aliqua audiero, verùm si certa de singulis terrae Christianae Regibus referentur, mirum in modum lætabor: sicuti his accidit, qui præliãdo optima spolia reperiunt, & legunt: hoc enim facillime fieri potest,

postquàm Rex Portugalliæ totũ id iter aperuit, qui ad nos iampridem legatos suos misit cum strenuissimis equitibus. Dum autem pater meus adhuc esset in humanis, neq; tum, aut demum à quoquam alio rege Christiano, vel ipso Pontifice, aut nuncium, aut omnino literas recepimus. Quanquàm in nostris Archiuis proaui nostri, earum literarum memoria cõseruetur, quas Papa Romanus nomine Eugenius, ad has terras misit, quum regnaret semẽ Iacob, Rex regũ in vniuersa Aethiopia, Rex metuendus. Præscriptio autem literarum hæc erat: Eugenius, Romanus Pontifex, filio dilecto nostro Regi, ex semine Iacob, Regi Regũ in vniuersa Aethiopia, maximè metuendo, &c. In summa autem literarũ significabat filium suum Ioannẽ Palæologum qui biennio antè esset mortuus, Regẽ Regũ Romæorum, ad sacrosanctam synodum celebrandam euocatum fuisse, & cum eo Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum venisse cum magno numero Archiepiscoporum, & Episcoporum, & omnis generis Prælatorũ, in quibus etiam fuissent Procuratores Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani. Qui omnes se quũ sãctæ fidei, & Religionis amore firmiter cõiũxissent, cõstitutaq; vnitate Ecclesiæ, sublatas fuisse antiqui tẽporis difficultates, non sine diuino auxilio, qui erroneæ, & religioni contrariæ videbãtur: quibus rebus ritè sancitis, et constitutis, ipse Papa omnibus singularem lætitiam peperisset.

Hunc

Hunc autem librum Papæ Eugenij ad vos mittimus, quem incorruptum seruauimus, totum etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & potestatem misissemus, nisi harũ rerum nimis magnum volumen esse videretur, quum magnitudine librũ Pauli ad gentes omnino superet. Legati verò, qui hæc à Pontifice ad nos detulerũt, fuere Theodorus, Petrus, Midymus, & Georgius, serui Iesu Christi. Tu verò, sanctissime pater, rectè feceris, si euolui vestros libros iusseris, vbi harum rerum, de quibus scribimus, vti facilè arbitror, aliqua memoria reperiatur. Itaq;, sancte pater, si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato, cuncta in nostros libros diligentissimè fore conscripta, vt posteris nostris earum rerũ sempiterna memoria relinquatur. Et certè is mihi beatus esse videtur, cuius memoria custodita literis, in vrbe sancta Roma, et in sede sanctorum Petri & Pauli conseruatur. Hi enim sũt domini Regni cælorum, & totius mundi iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto literas, vt mihi gratia paretur apud sanctitatem vestram, & vestrum sanctissimum Senatum, vt inde sancta benedictio mihi proueniat, & bonorum omnium incrementum. Obnixè etiam precor sanctitatem vestrã, vt mihi mittere velit aliquas Sanctorum imagines, & præcipuè beatæ Mariæ virginis, vt sæpissimè sit in ore, atq; memoria mea nomen vestræ sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem.

Idcir

Idcirco etiam vehementer postulo, vt mihi viros sacrarum literarum doctos, atq; etiam artifices mittatis, qui imagines fabricent, atque ita enses, & arma bellica omnis generis, itemq; cælatores auri atq; argenti, & fabros lignarios, præcipuè architectos, qui domos ex lapide construant, & tegulas ex plumbo cuproq; ducere sciant, quibus domorum tecta protegantur: ad hos etiam nobis admodùm chari erunt, qui vitrum conflare, organáque musica scitè facere, & doctè pulsare sciant, itemq; fistulatores & tibicines. Hos verò artifices ex domo vestra præcipuè mihi mitti vellem, vel si horum domi vestræ exigua erit copia, ab aliјs regibus filiјs vestris eos sanctitas vestra poterit impetrare, quoniam vestris imperiјs & nutibus fácilè obediunt. Hi quum ad me peruenerint: pro meritis summo in honore habebuntur ex liberalitate mea mercédem amplam accipient: & si domum aliquis redire concupiscet, præmiјs abundè ornatus abibit, vti placuerit, quando nec inuitum quenquam sim retenturus, quum fructum aliquem exeius industria percepero. Nunc ad alia transeundum est: & iam à te postulo, sanctissime pater, cur non hortaris Reges Christianos filios tuos, vt arma deponant, & vti fratres decet, concordes inter se esse velint, postquàm ipsi oues tuæ sunt, & tu ipse pastor earum? Optimè quidem tua sanctitas nouit, quid Euangeliũ præcipiat, quod dicit: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Nam si Reges animis,

& fæd

& fœdere certo consentiēt, facillimè Mahumetanos omnes delebunt, & pseudoprophretæ sepulchrū felici irruptione disturbabunt, & diruēt. Ob hanc rem da operam pater sancte, vt inter eos bona pax fiat, & certum fœdus amicitiæ percutiatur: hortareq; eos, vt mihi adesse, atque opem ferre velint, quū in regnorum meorum finibus à Mahumetanis Mauris pessimis hominibus sim ex omni latere circumdatus. Ipsi autem Mauri Mahumetani inter se mutuis auxilijs vtuntur, Regesq; cum Regibus, & Reguli cum Regulis, aduersus nos syncerè & constantissimè conueniunt. Mihi Maurus quidam admodùm vicinus est, cui finitimi alij Mauri arma, equos, atq; instrumenta bellica suppeditant. Hi sunt Reges Indiæ, Persidis, Arabiæ, atque Aegypti. Quibus de rebus singularem animo in dies capio molestiam, quum hostes Christianæ religionis, fraterna charitate inter se coniunctos, pace frui conspiciam. Reges verò Christianos, fratres meos, nihil omnino istis iniurijs commoueri, neq; vllam mihi opem afferre, vti certè deceret Christianos: postquàm fœdissimi filij Mahumetis inter se mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is sum, qui ad id militares copias postulem, quum milites mihi supersunt. Orationes, & supplicationes tantùm peto, locumq; gratiæ apud sanctitatem vestram, & Reges fratres meos exopto: quærenda enim mihi est hæc vobiscum amicitia, vt copiosè his rebus, quas suprà postulaui,

laui, ad terrorem Maurorum sim instructus: & Christiani nominis hostes vicini mei intelligant, Reges fratres meos singulari studio mihi fauere, atq; opem ferre. quod certè ad comune decus pertinet, postquàm in vna religionis & fidei veritate consentimus: & in eo consilio sumus permãsuri, quod firmum atque absolutum erit cum eo, quod vtilius eueniet. Deus itaque desideria vestra impleat, super laudibus Iesu Christi & Dei patris nostri, quem omnes laudãt per omnia secula. Et tu domine pater sancte cõplectere me, cum omnibus sanctis Iesu Christi, qui sunt Romæ: & pariter in hos amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Aethiopiam inhabitãt, et reddatur gratia domino Iesu Christo cum spiritu vestro. Has verò literas sanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis regis Portugalliæ, filij potentissimi Regis Emanuelis, per Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

ALIÆ LITERÆ EIVSDEM DAVIDIS ÆTHIOPIÆ Imperatoris, ad Pontificem Romanum scriptæ anno millesimo quingentesimo vigesimoquarto, Paulo Iouio interprete.



Elix sancte pater, qui à Deo effectus es Gentium consecrator, & sancti Petri sedem obtinens. Tibi datæ sunt claues regni cælorum, & quodcumq;

cumq; ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum, vel solutum in celis, sicut dixit Christus, & ita in Euangelio Matthæus scribit, Ego Rex, cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Athani Tinghil, id est Thus virginis vocor, quod nomen est à Baptismate, nunc verò ipso suscepti regni initio assumpsi nomen David, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau per carnem, imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum. Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaligaze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vagemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahom, de Sabaym, vnde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & dominus vsque ad Nobiam, finem Aegypti. Hæ prouinciæ omnes in mea potestate sunt, & pleræque aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nunc à me nequaquam numerantur: neque regna, & prouincias suis nominibus expreßi, veluti superbia, & vana gloria inductus: verùm ob id, vt summus Deus magis ac magis laudaretur, qui singulari benignitate, tot ampliſsimorum regnorum Christianæ religionis, superioribus meis Regibus imperia tribuisset: sed profectò me clariore gratia inter alios reges dignum fecit, vt religioni continuè inseruirem. Quoniam me Adel dominum fecerit, hostem

Mau

Maurorum, & Gentilium qui adorant idola. Mitto ad deosculandos pedes sanctitatis vestræ more cæterorum Christianæ fidei regum, fratrum meorum, quibus neq; religione, neq; potentia sum inferior. Ego etenim in regnis meis sum columna fidei, neque externis innor auxilijs, quum in solo Deo spem & opem reponam, qui me sustinet & gubernat, ab eo tempore quo Angelus Dei alloquutus est Philippum, qui fidem doceret Eunuchum potentis Reginæ Candacis, Reginæ Aethiopiæ, quæ ab Hierosolima Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchū, & Eunuchus demum Reginam, cum magna parte familiæ, & populi eius, qui nunquam desierunt esse Christiani, omniq; sequenti tempore perstiterūt fortes in fide. Prædecessores verò mei, nulla alia ope adiuti quàm diuina fidē in latißimis regnis propagarunt, quod & ego quotidie efficere cōtendo. Maneo etenim inter maximos regnorum meorum fines, vt leo ingenti sylua circumdatus, & septus aduersus Mauros obsidentes & alias nationes fidei Christianæ inimicißimas, quæ nolunt audire verbū Dei, neq; cohortationes meas: & ego gladio accinctus eos persequor, & paulatim extrudo, diuino scilicet fretus auxilio, quod nunquam mihi deest. Quod secùs accidit regibus Christianis: nam si regnorum suorum fines extēdunt, id facilè possunt assequi: quoniam alter alteri opem ferre posset, & auxilia subministrarē, iuuari q; benedictione vestræ sanctitatis, cuius

part

participeps ego sum, quũ in libris meis habeant ur literæ, quas superioribus temporibus Eugenius Papa cum benedictione misit ad regem semen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione, ego fruor, & magnoperè lætor. Cæterùm ego in magna habeo veneratione sanctum templum in Hierusalẽ, ad quod sæpißimè mitto oblationes debitas per nostros peregrinãtes. Et multò plures & pinguiores mitterem, nisi itinera à Mauris & infidelibus obsiderentur. Nã præter illud, quòd dona nostra, & thesauros nuncijs eripiunt, etiã eos liberè pertransire non sinunt. Quòd si paterent itinera, in familiaritatem & commercium Romanæ Ecclesiæ deuenirem, vti fit à cæteris Christianis regibus, quibus in religione Christiana non sum inferior. Et ita vti illi credũt, vnam fidem rectam, & vnam ecclesiam cõfiteor: credoq; syncerißimè in sanctam Trinitatem, & in vnum Deum, & virginitatem dominæ nostræ virginis Mariæ, & articulos fidei teneo, & obseruo, vti ab Apostolis conscripti fuerũt: Nunc Deus optimus manu potentißimi & Christianißimi Regis Emanuelis iter patefecit, vt per legatos conueniremus, & in fide coniuncti Christiani cum Christianis Deo inseruiremus. Sed dũ in aula mea eius oratores essent, allatum est eum vitam cum morte commutasse, filiumq; eius fratrem meum Ioannem paterni regni sceptrum accepisse. Vnde, sicuti ex patris morte summum senseram dolorẽ, ita ex filij felici in

regnum assumptione mirificè sum lætatus, adeò vt sperem nos communibus copijs & viribus per regiones Maurorum pessimorum, terra mariq; iter aperturos, atque eos magno terrore illato, sedibus & regnis esse depulsuros, vt commodo, pacatoq; itinere, Christiani Hierosolymitanum templum petere, & liberè commeare possint. Atq; ego in primis, sicuti vehementer exopto, diuini amoris particeps esse possim in templo Apostolorum Petri & Pauli. Cupio autem ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem à vicario Domini nostri Iesu Christi. Nam proculdubio sanctitas vestra Dei est vicarius. Et quum à peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hierusalem, atque inde Romam non sine miraculo eunt, & redeunt, multa de sanctitate vestra ab his audio, ea mihi incredibilem afferunt voluptatem & gaudium: Sed multò maiorem omnino caperem lætitiam, si mei Oratores breuiore itineris compendio vti possent, & noua referrent. Sicuti antequàm moriar, aliquando allaturos spero non sine gratia Dei omnipotentis, qui vos in sanitate & sanctitate conseruet. AMEN. Exosculor autem pedes sanctos, & supplex oro, vt benedictionem ad me mittat. Has quoque literas sanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis Portugalliæ, per eundem Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

Has

Has Epistolas à Paulo Iouio versas, huic nostro opusculo ob maiorem huius historiæ cognitionem adiunximus, nec in eis aliquid mutauimus (quanquam in quibusdam locis mutatione indiguissent) præter pauca, quæ ex Arabico & Abessynico idiomate, in Lusitonicum sermonem, omninò malè interpretata, mutato epistolarum ordine, fuerunt. Idem Iouius quoq; in harũ epistolarum enarratione, volumen quod Franciscus Aluarez de situ, moribus, cultúq; Aethiopũ cõposuit, in quo etiam totum suũ iter explicat, pollicitus est Latinum facere, cuius voluminis vnũ exemplar penes me habeo: quod si Iouius à vertendo supersedeat, non abhorrerẽ ab eius rei tractatione: quãquam id prouinciæ nõ libẽter suscepero, nisi id tuo, sanctissime pater, mãdatu mihi imperatũ cognouero, quo tutior esse possim aduersus calumniosos, quibus videri possim nõ studio Reipublicæ Christianæ, sed æmulatione gloriæ Iouianæ hoc onus subijsse. Ad quod cum fide tractandum, me non parũ instructum arbitror. Nã quum perfunctus Germanicis & Sarmaticis legationibus, è Belgica ad Regem meum Ioannẽ eius nominis tertium redeo, cuius plurimã in me excipiendo & humanitatẽ & munificentiã expertus sum, Vlyssipone in colloquiis Aethiopici legati incido, viri et Episcopali dignitate venerabili, et fide, doctrina, ac eloquentia Chaldaicæ et Arabicæ linguæ admirabilis, & in suma idonei, qui à potentissimo Aethiopũ imperatore, ad

maximos principes de maximis rebus mittereiur. Huic autem nomen fuit Zaga Zabo: cum eo post initã inter nos firmissimã & cõstantissimã amicitiam, sæpiùs sermonẽ miscui, variasq; disputationes habui, præsertim de moribus, & religione Aethiopũ Christianorũ: cupiebam enim eas res non ex verbis interpretantiũ peregrinorum. sed ab indigena, coràm & ore tenus cognoscere. Inter cætera epistolam quoq; per Matthæum legatum in Lusitaniam missam ei ostendi, quam ego iampridẽ cum articulis, quos corã Rege Emanuele exposuerat, in linguam Latinã (vt dictũ est) transtulerã, multaq; ex illius admonitu castigaui, vbi interpretatio non plenè rei fidem, aut indolẽ assecuta erat, quod tum mihi, tum Iouio non rarò accidisse affirmabat: habebam enim iam mecũ ipsius Iouij epistolas, quas summa cum diligentia contulimus. Postmodùm vigente inter nos iam vera Christi charitate & amicitia, ausus sum ab eo petere planã & legitimã Aethiopum fidei & religionis enarrationem, eamq; sua manu describi: quod mihi summa cum alacritate cõcessit. illamq; statim describere incœpit: sententiam summa fide in Latinã linguam refudi, vt ex sequentibus patebit. Id vero conscientia vrgente eò ardentiùs aggressus sum, quòd non ignorarem, si hæc apud me perijssent, à nemine mortaliũ vnquam in lucem prodiiura fuissent.

Inde quòd sic digesta & composita ad phrasim Chaldaicam & Aethiopicam essent, vt vix

à quop

à quopiam intelligi potuissent, nisi à me, qui ea omnia tam ex ore, quàm ex scripto ipsius Aethiopici Oratoris, per multam familiaritatem consequi iam poteram.

IN NOMINE DOMINI nostri Iesu Christi, AMEN.

HAEC SVNT QVAE DE FIDE & religione apud nos Aethiopes habentur, & obseruantur.



Redimus in nomen sanctae trinitatis, patrem, filium, & spiritum sanctum, qui vnus est dominus, tria quidem nomina, vna diuinitas, tres facies, vna verò similitudo, aequalis trium personarum coniunctio, aequalis, inquam, in diuinitate, vnum regnũ, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum & vnus spiritus. Verbum autem patris, & filij, verbũ spiritus sancti, & filius est idẽ verbum, & verbũ apud Deum, & apud spiritum sanctũ, & apud semetipsum sine defectu vllo, aut diuisione filius patris, & filius ipsius patris sine principio, nempe primo sine matre filius patris. Nemo enim nouit secretum & mysteriũ eius natiuitatis, nisi pater & filius, & spiritus sanctus. Is autẽ filius in principio erat verbum, & verbũ erat verbũ apud Deũ, & Deus erat verbũ. Spiritus patris, spiritus sanctus, spiritus

Hoc posteà explicat.

Huius nostri oratoris scripta in hoc loco ambiguã habebãt significationem: eã, quae magis catholicae ecclesiae cõgruit textui inseruimus, aliam hic in mar-

 filij,

x imò expli candam duximus, quæ frequēs est, Sine defectu vllo aut diuisione filius patris, & filius sui & principium sui, nempe primo sine matre filius patris, &c.

filij, spiritus sanctus est: spiritus autem sanctus spiritus sui, sine vlla diminutione, aut augmentatione. Is etenim spiritus sanctus, paracletus, deus viuus, qui ex patre & filio procedit, locutus est per ōs prophetarū, & in flāma ignis descendit super Apostolos in atrium Sion. Qui per totum terrarū orbē denunciarūt, ac prædicarūt verbū patris, quod verbū erat ipse filius. Præterea neq; pater est primus, inde quòd pater sit, nec filius postremus, inde quòd filius sit: sic spiritus sanctus neq; primus, neq; postremus est. Tres personæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico suo consilio cūcta creauit. Postea verò filius sponte propter nostram salutem, ipso patre volente, spiritu sancto consentiente, ex altissimo suo domicilio descendit, & incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgine: quæ Maria duplici ornabatur virginitate, vna spirituali, altera verò carnali, Et natus est sine aliqua corruptione, ipsa Maria matre post partū virgine permanente, & magno cū miraculo, & arcano igne diuinitatis afflata, sine sanguine & doloribus peperit filiū suū Iesum Christū, qui homo innocens & sine peccato fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, vnū solūmodo habēs aspectū. Adoleuit sensim vt infans, sugens lac Mariæ virginis matris suæ: & quum attigisset trigesimum annum baptiZatus est in Iordane. Et vt cæteri homines ambulauit: fuitq; lassus, sudauit, esuriuit, & sitiuit, Hæc omnia passus est spōte & volunt

luntariè, plurimáque fecit miracula. Atque per suam diuinitatem cæcis visum restituit, claudos sanauit, leprosos mundauit, mortuósque suscitauit. ipséq; postremò volens captus est, & flagellatus, ac colaphis verberatus, & crucifixus, & languit, & mortuus est propter peccata nostra, & sua morte vicit mortem ac diabolum, & sua viua ægritudine dissoluit peccata nostra, & languores nostros tulit, & baptismo sanguinis sui, qui baptismus mors eius fuit, baptizauit patriarchas, prophetas, descenditque ad inferos, vbi erat anima Adæ, & eius filiorum, atque anima ipsius Christi, quæ est ab Adam: quam animam Adæ ipse Christus accepit ex sancta Maria virgine, & in splẽdore & potentia diuinitatis suæ & crucis fortitudine fregit æneas ac igneas inferorum portas, & catenis ferreis Satanam colligauit, & redemit Adam, & eius filios. Hæc omnia Christus fecit propterea quòd plenus diuinitate erat, & ipsa diuinitas erat cum ipsius anima, & erat etiam cũ ipsius sanctissimo corpore, quæ diuinitas virtutem dedit cruci. Quam quidem diuinitatem is cum patre in trinitate, & vnitate semper habuit & habet communem. Nec enim ipse Christus obambulans in terris, caruit oculi momento diuinitate vel dignitate sua. Tum demum sepultus, tertia die ipse Iesus Christus, princeps resurrectionis, Iesus Christus dulcissimus, Iesus Christus princeps sacerdotum, Iesus Christus

Hoc infra litè explicat.

Rex Israël, cum magna potentia & fortitudine resurrexit. Et postquam omnia fuerunt adimpleta, quæ sancti prophetæ prædixerunt, ascendit in cælum cũ gloria, & sedet à dextra patris, & venturus est cum gloria. ferens ante faciem suam crucem, & in manu gladiũ iustitiæ, iudicare viuos & mortuos. cuius regni non erit finis.

Credo vnam sanctam catholicã, & Apostolicam ecclesiam, credo vnum baptisma, qui est remißio peccatorum, spero resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. AMEN.

Credo dominã sanctã Mariam virginẽ, virginem, inquam spiritu, & carne, quæ vt dei mater, charitas omnium gentiũ est, sancta sanctorum, & virgo virginum, quam modis omnibus veneror. Credo sanctum lignum crucis, lectum ægritudinis Domini nostri Iesu Christi filij Dei esse, qui Christus salus nostra est, propter quem salui sumus, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Nos verò prædicamus, & credimus fortitudinem crucis Domini nostri Iesu Christi, quẽadmodum sanctus Paulus doctor noster præcepit. Credo sanctum Petrum, petram legis esse, quæ lex ædificata est super sãctos prophetas, fundamentum, & caput Ecclesiæ catholicæ & Apostolicæ Orientalis, & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri Iesu Christi. Cuius Ecclesiæ potestatem Petrus Apostolus habet, ac claues regni cælorũ. quibus claudere, & aperire, soluere, & ligare potest. Is autem sedebit

cum

cum alijs Apostolis eius socijs super duodecim sedes, cum honore & laude apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui in die iudicij sententiam est de nobis laturus. Quæ dies gaudij quidem Sanctis: dolorū autem, & stridorū dentiū, peccatoribus erit, quum deijcientur in ardentes flammas inferni cum eorum patre diabolo. Credo sanctos Prophetas, & Apostolos, Martyres, & Confessores, veros Christi imitatores fuisse: quos cum sanctissimis Dei Angelis veneror, & honoro, parique modo etiam omnes illorum sectatores complector & deosculor. Deinde confessionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciēdam esse apud sacerdotem, cuius precibus, per Christum dominum nostrum, salutem animæ meæ spero me consecuturum. Prætereà Pontificem Romanum tanquam primum Episcopum, & pastorem ouium Christi agnosco, ac omnesq; Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, quorum ille caput est, quibus tāquam ipsius Christi ministris pareo, ac obedio.

Hæc est fides & lex mea, & populi Aethiopiæ, qui est sub ditione Preciosi Ioannis, quæ fides atque Christi amor ita sunt apud nos confirmata, vt ea nec per mortem, nec per ignem, nec per gladium, fretus auxilio Saluatoris nostri Iesu Christi nunquàm sim abnegaturus: quam fidem omnes portaturi sumus in die iudicij, ante faciem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda

disciplina, & doctrina, ac lex, quæ Apostoli in sanctis Synodorũ libris, & Canonũ (quos Manda, atque Abethilis vocamus) nobis præceperunt. Sunt enim ij sanctæ Ecclesiæ legum libri octo, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati, scripserunt. De quibus habita inquisitione cum quibusdã doctoribus, postquàm in Lusitaniam veni, neminem reperi, qui horum memoriã teneret. Obseruationes verò, quas sancti Apostoli nobis in his libris præscripserũt, hæ sũt:

Primò oportere nos ieiunare singulis diebus Mercurij in memoriam consilij Iudæorum, quo die ab eis decretum & consultum fuit, Christum occidendum esse. Prætereà ieiunandum esse singulis diebus Veneris: quo in die Christus Iesus crucifixus & mortuus est pro peccatis nostris. Et in his duobus diebus præceptum est ieiunare vsque ad occasum solis. Quadraginta verò diebus quadragesimalibus, pane & aqua ieiunandum iniunxerunt. Septem diei ac noctis horis incumbere rebus diuinis. Ex ijs edictis quoque tenemur & sacrum celebrare diebus Mercurij ac Veneris tempore vespertino: quoniam tunc expirauit dominus noster Iesus Christus in sancto ligno crucis. Diebus autẽ Dominicis omnes vna nimiter vt cõgregaremur in sacra æde hora tertia diei ab ortu solis ad legendum & audiendũ prophetarum libros voluerunt: atque posteà, vt sanctum Euangelium prædicemus, sacrum quoque faciamus. Præterea nouẽ dies festo in Christi

sti memoriam celebrandos constituerunt, scilicet Annunciationis, Natiuitatis, Circumcisionis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi, Transfigurationis. Dominicæ palmarum, vsq; ad octauam Veneris sancti (vt vocamus) qui dies duodecim sunt: Ascensionis quoque atque Pëtecostes cum suis etiam ferijs. Et ex horū librorū præceptis, sine aliqua exceptione à festo Paschæ vsque ad Pentecosten singulis diebus vescimur carnibus, nec per hos dies vsq; ad octauā Pëtecostes ieiunare tenemur: id quidē propter maiorem venerationē & honorē Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Item voluerunt vt diem mortis, & assumptionis Mariæ virginis cum omni honore celebraremus. Prætereà præter Apostolorū præcepta quidam Preciosus Ioannes nomine Semen Iacob constituit in honorem eiusdem beatæ virginis, singulis annis triginta supra tres dies etiā celebrandos. Deinde propter Christi Saluatoris natiuitatē celebrari iussit de vnoquoq; mēse diem vnū, qui dies vigesimus quintus semper est. Constituit quoque ex singulis mensibus vnum diem propter sanctū Michaelem celebrandum. Vlteriùs ex indicto Synodorum Apostolorum, diem martyrij sancti Stephani, ac aliorum martyrum celebramus. Ex institutione quoque Apostolorum celebrare tenemur duos dies, scilicet Sabbati & Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Diem verò Sabbati ob id, quòd Deus in eo mundi perfecta

facta creatione quieuisset, seruamus: quē vt vocari voluit Sanctum sanctorum, ita planè videretur contra ejus voluntatem & præceptum fieri, qui cælum & terram potiùs, quàm suū verbū perire vult, si cum magno honore ac religione is dies non celebraretur: præsertim quum ipse Christus non ad soluendū legem, sed ad implendum venerit. Quapropter non ad imitationē Iudæorum, sed iussu Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Apostolorum eum seruamus, quorū Iudæorū gratia in nos Christianos translata est. In quo die Sabbati, excepto tempore quadragesimali, carnes sēper comedimus. Id tamen in regno Bernagaes, ac Tigri Mahon non seruatur, quorū duorum regnorum indigenæ ex veteri cōsuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominici quadragesimalibus vescuntur. Diem autem Dominicū, vt cæteri Christiani, in memoriā Christi resurrectionis celebramus. Diem tamen Sabbati ex legis libris, & non ex Euangelio celebrandum esse scimus. Nihilominus Euangelium finem legis, ac Prophetarum esse, non ignoramus. In quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum in purgatorio minimè cruciari. Quam quietem Deus in sanctissimis diebus animis concedit, donec inde (finito termino suarum pœnarum pro facinoribus in hoc seculo meritarū) penitus emergant. Ad quas pœnas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro defunctis factas credimus,

credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maximè prodesse. Ad quarum animarum remißionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad solum Deum, ac pœnarum tẽporis constitutionẽ credimus spectare. Nullos quoque dies indulgentiarum Patriarcha concedit.

Ex Euangelij lectione sex tantùm tenemur seruare præcepta, quæ Christus ore proprio ita explanauit: Esuriui, & dedistis mihi mãducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me: Infirmus, & visitastis me: In carcere eram, & venistis ad me. Quæ verba Christus in die iudicij solummodò est prolaturus: quoniam lex, teste Paulo, peccata nobis ostendit, quam legem, excepto Iesu Christo nemo custodire potuit. Ipso Paulo quoq; teste, Omnes ex peccato nati sumus propter Euæ matris nostræ transgreßionem, & propter eius maledictionem. Præterea, inquit ipsemet Paulus, nos propter Adam mori, & propter Christi vitam viuere: qui Christus ob suam immensam misericordiam, nobis hæc sex præcepta dedit, vt quũ venerit in sua maiestate iudicatũ viuos & mortuos, saluemur. Quibus verbis ac præceptis in ipso tremẽdo iudicij die, bonis gloriam sempiternam, malis ignem, & perpetuam damnationem denunciabit. Et quinque tantùm peccata mortalia (vt vocant) annumeramus, id quidem ex vltimo Apocalypsis capite, vbi dicitur, Foris autem canes, & venefici & impudici & hom

& homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Item constitutum est à sanctis Apostolis in Synodorum libris, clericos vxores licère ducere, id quidem postquàm cognitionem aliquã habuerint rerum diuinarum. Deinde inito matrimonio in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quem nisi post annum trigesimum nemo recipitur: nec spurij, nec nothi aliqua ratione ad eundem sacratißimum ordinem intromittuntur: qui ordines à nemine, nisi ab ipso Patriarcha dãtur. Mortua tamẽ prima vxore Episcopi aut clerici aliam ducere non possunt, nisi patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquãdo indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisi se voluerint à sacris abdicare: quod si fecerint, res diuinas ampliùs tractare non possunt. Et hoc tam strictè seruatur, vt ij presbyteri, qui secũdò vxorem duxerint ne candelam quidem vnam Ecclesiæ consecratam in manum auderent accipere. Quòd si inuentum fuerit Episcopũ, aut clericum filium spurium habere, ab omnibus beneficijs ac sacris ordinibus abdicatur: quorum bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Ioãnem, & non ad Patriarchã veniũt. Et id quod presbyteri apud nos vxores poßideãt, ex Paulo accepimus, qui mauult clericum & laicum nubere quàm vri. Is quoq; inquit, oportere Episcopum virum vnius vxoris esse, & irreprehensibile, sobrium: pariq; modo vult esse Diaconos. Atque etiam

etiã vt Ecclesiastici perinde atq; seculares proprias vxores ex legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen vxores non ducunt. Et tã laici quàm clerici vnam tantùm possident vxorem; & matrimonium non contrahitur pro foribus sacræ ædis: sed in priuatis domibus Paranymphorum. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, vt si sacerdos fuerit comprehensus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falsum testimoniũ tulerit, vt à sacris ordinibus destituatur, ac vt cæteri malefici puniatur. Rursus ex eorum Apostolorum instituto, Si aliquis siue Ecclesiasticus siue laicus cum vxore congressus fuerit, vel in somnis pollutus fuerit, spatio quatuor & viginti horarum templum non ingreditur. Nec id quoq; menstruatis mulieribus licet, nisi septimo quoq; die à menstruo, id quidem omnibus vestibus ablutis, quibus tempore menstrui vtebatur, ipsaq; bene lota, atque à sordibus repurgata. Item mulieri parienti masculum, non conceditur venire in templũ, nisi post quadragesimum diem: parienti verò fœminam, post octogesimum. Hanc consuetudinem ex veteri lege ac ex noua Apostolica habemus, quas leges, instituta, ac præcepta diligenter in omnibus, quatenus fieri possit, obseruamus. Deinde prohibitũ est apud nos, ne aut sues, aut canes, aut alia huiusmodi animalia in templa nostra intrent. Item non datur potestas nobis adeundi templum nisi nudis pedibus: neq; licet nobis in ipso tem-

plo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec spuere, aut screare in ipso templo. Quia Ecclesiæ Aethiopiæ non sunt similes terræ illi, vbi populus Israel comedit agnum paschalem, decedens ab Aegypto, in quo loco Deus iussit eos comedere indutos calceamentis, & Zonis accinctos propter terræ pollutionem. Sed similes sunt monti Sinai, vbi Dominus locutus est Mosi dicens, Moses Moses, exue calciamēta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt, sancta est. Et hic mons Sinai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem, ita vt Apostoli ex Prophetis, & nouum testamentum à vetere. Præterea nec sacerdoti, nec laico, vel alij personæ cuiusuis cōditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia licet expuere, à tempore matutino vsq; ad occasum solis: & si spuerit, grauissima pœna multatur.

Item in memoriam Christi baptismi, singulis annis, omnes in Epiphanijs domini baptizamur. id quidem facimus, non quòd ad salutem spectare credimus, sed propter Seruatoris nostri laudem ac gloriam. Neq; vberius atq; refercius spectaculis, iocis, & ceremonijs vllum aliud festum celebramus: quoniam in hoc die primò manifestè apparuit sanctissima Trinitas: quū Dominus noster Iesus Christus baptizaretur in flumine Iordane, quū spiritus sanctus in specie columbæ super caput eius descenderit & vox de cælo dixerit, hic est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacuit.

cuit. Qui spiritus sanctus apparens in specie albæ columbæ, cum facie & figura patris & filij apparuit in vna diuinitate. Pariq; modo Christus visus est à sanctis prophetis per multas similitudines & formas. Primùm in specie arietis albi propter salutem Isaac filij Abrahæ, eoq; modo nominauit Iacob, Israël & Iacob, Iudam catulum leonis, cui super alios fratres potestatem tribuit dicens, Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens occubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Item manifestauit se Mosi in monte Sinai in specie flammæ igneæ ostendit se sancto Danieli prophetæ in similitudine petræ. Ezechieli quoque filio hominis apparuit, et Isaiæ in forma infantis. Manifestauit etiam se Regi Dauidi, & Gedeoni in rore super vellus. Præter has recensitas formas, in multis alijs visus est à sanctis prophetis. Tametsi tam varijs formis fuerit visus semper similitudinem patris et spiritus sancti repræsentauit. Et quũ Deus etiã creasset mũdum, dixit, Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostrã: & fecit Adam ad suã imaginem & similitudinem. Propterea nos dicimus patrẽ, filium, & spiritum sanctum, esse tres vultus, in vna similitudine et diuinitate. Habemus quoque à temporibus Reginæ Saba circumcisionem quam ad hunc vsq; diem seruamus. Erat autem huic Reginæ Saba nomen proprium Maqueda, quæ more maiorum colebat idola. Ad cuius aures fama sapientiæ Salomonis quum perue-

 nisset,

nisset, quendam virum prudentem Hierosolymam misit, vt re omni explorata certior de Regis prudentia redderetur. Quo reuerso, & re explanata, subitò se ad iter Hierusalem versus cōposuit. Atq; quū eò peruenisset, præter multa alia, quibus à Salomone erudita est, legem ac prophetas didicit, eaq; in patriam (facultate impetrata abeundi) proficiscens, in itinere filium, quē ex Salomone conceperat, peperit, qui vocatus est Meilech, quem ipsa Regina in Aethiopia vsque ad vigesimum ætatis annum apud se educauit, ac posteà ad Salomonem eius patrem remisit, vt ab eo scientiam & sapientiam disceret, quē per literas obsecrauit, vt filium Meilech coram arca fœderis testamenti Domini Regē Aethiopiæ consecraret, ac crearet: néue vlteriùs fœminæ ius regnandi in Aethiopia haberēt, vt tū in more erat, sed vt recto tramite masculi in regnum succederent. Qui quum Hierosolymam venit, à patre facilè matris postulata obtinuit, ac pro Meilech vocatus est David: quem iam abūdè in lege, atq; in alijs disciplinis edoctum, pater Salomon constituit ad matrem remittere, id quidem cum maiore ornatu, regioq; apparatu. Ad quod munificentiùs conficiendum, comites illi nobiles, ac primorum virorum filios tradidit, qui ei pro regio more inseruirent. Præterea decreuit cum eo mittere Azariam principem sacerdotum filium Sadoch principis quoq; sacerdotum. Quod quum Azarias intellexisset, Dauidem hortatus est,

est, vt ei à patre impetraret potestatẽ sacrificãdi, pro successu itineris, ante arcã fœderis domini. Qua re à Salomone impetrata, Azarias subito tabulas quàm secretißimè potuit, ad imitationem tabularũ fœ ieris domini dedolare curat. Quibus perfectis ad sacrificandũ se componit in ipsoq; sacrificio clãculum, atq; mira arte, veras fœderis Domini tabulas ex arca surripuit, pro eisq; adulterinas, quas secum portauerat, reposuit, se solo ac Deo conscio. Hæc narratio apud nos Aethiopes sanctißima & probatißima habetur, vt ex historia ipsius Regis Dauidis (quæ iucundißima lectu est) apparet. Cuius historiæ liber tantæ craßitudinis est, quantæ omnes Pauli epistolæ.

Cæterùm quũ iam Dauid ad fines Aethiopiæ peruenisset, Azarias eius tentoriũ ingressus, id quod semper apud se occultum tenuerat ei reuelat, nẽpe tabulas fœderis Domini penes se esse. Qua re audita, subitò Dauid ad tentorium vbi Azarias tabulas fœderis Domini habebat, accurrit: ibiq; præ nimio gaudio ad exemplum aui sui Dauidis, ante arcam, in qua tabulæ erãt, incœpit saltare: quo à suis viso, & re intellecta, omnes pari modo gaudia & lætitiam ingentẽ celebrauerunt. Tandem peragrata magna Aethiopiæ parte ad suam matrem peruenit. Quæ statim ei imperium omnium prouinciarum detulit, omnemq; administrandi regni curã in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore fermè iam

inde vsq; in hunc diem elapsis interim bis mille-nis, sexcentenis annis, regnum Aethiopiæ recto tramite, de masculo semper ad masculum transfertur. Et ab his temporibus legem domini, & circumcisionem seruamus, vt ante dictũ est. Ab eodem quoq; tempore hucusq; ministeria, quæ Salomon filio suo Dauidi ad aulã suam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familiis, quo tunc tẽporis erãt, conseruantur: nec aulica ministeria ex alia stirpe deligere fas habet vel ipse Imperator. Insuper iussu & decreto ipsius Reginæ Maqueda, mulieres quoque circumciduntur. Ad id ea ratione deducta est, vt quemadmodum viri præputium habent, eodem quoq; modo mulieres etiã quandam glandulosam carnem, quam Nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri circumcisionis. Id quod fit tam in masculis quàm in fœminis ad octauum diem: & post circumcisionem masculi baptiZantur ad quadragesimum diem, mulieres verò ad octogesimum, nisi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus sit festinatione: quòd si ante tempus constitutum baptiZentur, infantibus non licet lacte matris lactari, sed nutricis tantùm, id quidem donec matres purificentur. Et aqua in qua baptiZantur, exorcismis consecratur, & benedicitur: & ea ipsa die qua pueri baptiZantur, venerabile corpus Domini accipiunt sub exigua specie panis. Nos fermè priùs cæteris Christianis omnibus baptismum

simum ab Eunucho Cădacis Reginæ Aethiopiæ, cui nomen erat Indich, accepimus, ita vt in Actis Apostolorum traditur: quem vnà cum circumcisione (quă tum temporis, vt priùs dictum est, habebamus) sanctè & Christianè obseruamus, & Deo adiutore sumus perpetuò obseruaturi. Nec quicquam præter ea, quæ in lege & Prophetis, & in Euangelio, atq; in libris Synodorum Apostolorum sunt, seruamus, aut admittimus: & si quæ alia præter hæc recepimus, ea seruantur interim, quòd ad ordinem & pacem Ecclesiæ videntur spectare, id tamen sine aliquo peccati vinculo. Quamobrem circumcisio nostra immunda non est, sed lex & gratia data patri nostro Abrahæ est, quam à Deo tanquam signum accepit, non vt propter circumcisionem saluus fieret, cui filius eius, sed vt ipsi filij Abrahæ à cæteris nationibus dignoscerētur. Et id quod symbolo circumcisionis latenter ostēditur, eximiè seruamus, nempe vt corde circumcisi simus. Nec ob circumcisionem gloriamur, nec etiam cæteris Christianis putamus nos ob id nobiliores, nec Deo acceptiores esse, apud quem nulla est acceptio personarum, teste Paulo: qui etiam ostendit nos saluos fieri non propter circumcisionem, sed propter fidem: quia in Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura. Is autem Paulus non prædicauit ad destruendam legem, sed ad stabiliendam, qui circumcisus quoque

fuit, & ex semine Beniamin, is quo
motheum iam Christianum factum ex
Hebræa, & ex patre Gentili natum ci
dit; sciens Deum circumcisionem ex fide,
putium per fidem iustificare. Et, vt ipse m
factus est omnibus omnia, vt omnes face
nos. Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos
retur. Iis qui sub lege erant, quasi sub leg
quum ipse non esset sub lege, vt eos qui s
erant lucrifaceret. Iis qui sine lege erai
quam sine lege esset, quum sine lege Dei
set, sed in lege Christi, vt lucrifaceret eos,
ne lege erant. Et factus est infirmus, vt in
lucrifaceret: id quod fecit vt ostenderet,
circumcisione, sed ex fide nos salutem cõsec
ros. Vnde quum Hebræis prædicasset, ta
Hebræus varijs sermonibus loquutus est,
Multifariè, multisq; modis olim Deus lo
est patribus nostris in Prophetis, ostendens
ipsis prophetis Christum ex semine Daui
cundùm carnem: deinde Christum eis pr
uit cum patribus nostris in tentorijs, in a
fuisse, eosq; in terram promißionis introd
per manum Iosuæ. Præterea idem quoque
lus inibi testatur, Christum principem fui
cerdotum, ac in nouum tentorium intrasse,
est sanctum sanctorum, & sacrificio sui
ris & sanguinis, sanguinem hircorum, a
rorum, quo nemo accedentium poterat i
cari, aboleuisse: & sic multis modis loq

est Iudæis, multis quoq; ritibus sancta & incorrupta fide se à fr.is coli patitur,

Prætereà apud nos habentur semichristiani pueri illi, quos hîc audio Paganos ab Romana Ecclesia vocari. Qui quoniam sine baptismo moriantur, semichristiani debent appellari: quoniã filij sacrati sanguinis parentu ex baptismo, & ex spiritu sancto, et ex sanguine Domini nostri Iesu Christi, nati sunt, ex quibus tribus testimonijs omnes Christiani reputantur. Quoniam tres sunt, qui testimonium dãt in terra Spiritus, Aqua, & Sanguis, teste Ioanne in sua prima Canonica, etiam vt Euangeliũ dicit, Bona arbor fert bonos fructus, mala verò arbor, malos. Ideóque filij Christianorum non sunt vt filij Gentiliũ, & Iudæorum, atq; Maurorũ, qui sunt arbores aridæ sine aliquo fructu. Christiani autẽ sũt electi in vtero matrum suarum, vt sanctus Hieremias Propheta, & sanctus Ioannes Baptista fuerunt. Insuper infantes Christianarũ mulierũ sunt electi et consecrati ex corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nã fæminæ grauidæ, quũ assumunt venerabile corpus Domini nostri Saluatoris Iesu Christi, infans capiens inde nutrimentum, fit sacratus. Quoniam sicut infans exsistens in vtero, ex eius matris affectibus contristatur ac lætatur sic etiã ex matris nutrimento nutritur. Et vt ipse dominus ait in suo sãcto Euangelio, Si quis comederit corpus meum, & biberit sanguinem meum, non

gustabit mortem in æternum. Rursus, si quis gustauerit meum corpus, & biberit meum sanguinem, erit mecum. Ad hæc Paulus doctor Gētium ait, Vir infidelis iustificatus est per mulierem fidelē, & mulier infidelis sanctificata est per virū fidelē, alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quod si ita est, vt filij matris infidelis sanctificentur in patris fidelitate, multò sacratiores esse debent illi qui ex patre & matre fidelibus nati sunt. Ob quam rem longè magis pium erit vocare infantes, antequàm baptizati sunt, Semichristianos, quàm Paganos. Id quoq; dixerunt apostoli in suis Synodorum libris, Omnes qui habent fidem, & non acceperunt baptismum, meritò possunt dici semichristiani: qui etiā dicūt in memoratis libris, Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidem accipere voluerit, non esset ilicò admittēdus, sed voluerunt eum priùs venire ad valuas templi, ibiq; audire conciones, & verba Seruatoris Christi, vt qui priùs ad fidem incitatus ac quasi arreptus fuit, iugum legis cognoscat: quod quum fecerit, vocari possit semichristianus, quāquam baptizatus nō sit quēadmodùm Euangelium docet, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et est etiam moris apud nos, vt mulieres grauidæ ante partus tempus sēper confiteantur, ac vt corpus Dominicum cōfessa accipiant: & eæ quæ hoc non faciunt, ac puerorum patres, si eas ad id non impulerint, habentur

bentur

bentur impij & mali Christiani. Prætereà sciendum, apud nos confirmationem, & chrisma, siue extremam olei vnctionem, pro sacramento non haberi, nec in vsu esse, vt video hîc ex Romanæ ecclesiæ consuetudine fieri. Item ex lege Mosi, ac apostolorũ instituto non licet nobis cibos immundos comedere: id facimus ad omnem legis ac scripturarum obseruationem, quarum octoginta & vnum libros, tã veteris, quàm noui testamenti annumeramus scilicet ex veteri quadraginta & sex, et ex nouo triginta & quinque: quem numerum singulorum librorum computatione expressum habemus ab ipsis Apostolis, quibus libris veteris & noui testamẽti nihil addere, nec minuere licet, quanquàm Angelus de cælo id nobis persuadere conaretur. Et qui talia auderet tentare, pro anathemate reputaretur. Quare nec Patriarcha, nec Episcopi nostri per se, nec in concilijs putant, aut opinantur vllas leges se cõdere posse, quibus ad mortale peccatũ obligari quis possit. In ipsis etiã Synodorum libris constitutum à sanctis Apostolis est, oportere nos confiteri, atq; quam pœnitentiã, pro magnitudine singulorum peccatorum, à confessore accipere debemus. Instruunt quoq; nos, quomodo orãdum, & ieiunandum sit, & charitas exercenda. Prætereà hoc familiarissimè vtimur, quod statim ad pedes confessoris, quum peccatum cõmissum est, accurrimus: & hoc faciunt omnes tam masculi, quàm fœminæ cuiuscũq; cõditionis sint.

Et quotiescumq; confitemur, assuminius corpus Domini, & id quidem sub vtraq; specie, in pane azymo triticeo. Quòd si singulis diebus confiteamur, singulis quoq; diebus accipimus venerabile sacramentum: & id tam apud clericos, quàm apud laicos in vsu est. Et sacramentum Eucharistiæ non seruatur apud nos in templis: vt fit hîc apud Europaeos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt nisi dum conualuerint: id fit, quoniam omnes tam laici, quàm clerici consueuerunt illud ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere templum accedunt: quippe nemini datur nisi in ipso templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi precioso Ioãni. Vtimur etiam semper vno confessore, nec alium accipimus, nisi eo absente: quo reuerso, ad ipsum redimus. Et confessores omniũ peccatorum dant nobis ex Ecclesia potestate absolutionem, nullo casu Episcopis aut patriarchæ reseruato, quamuis grauissimo. Vlterius presbyteri non possunt audire confessionem eius, cui confitemur. Præterea presbyteri, & monachi, & omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore viuũt. Quippe ecclesia nullas habet decimas, nec accipit: habet tamen prouentus, & agros, quos ipsi clerici & monachi fodiunt, aut sua, aut aliena opera colunt: & nullas alias habent eleemosynas, præter eas, quæ gratis in templis offeruntur pro exsequijs mortuorum, & alijs pijs rebus. Nec eis licet vicatim mẽdicare, nec à plebe aliquid eleemosynarum

mosynarum extorquere. Item in nostris templis singulis diebus vna tantùm celebratur missa, quam sacrificij loco habemus, nec plures ex veteri instituto celebrare licet, Pro qua quidem missa nullum pretium aut mercedem accipimus: in quo ministerio sacramentum Eucharistiæ non ostenditur, vt hic video fieri: inibiq; omnes sacerdotes, & Diaconi, Subdiaconi, & templum accedentes corpus Domini accipiunt: & nullam pro remissione animarum facimus missam, sed mortui cum crucibus & orationibus sepeliuntur in certo loco, super quos mortuos, præcipuè inter alias orationes initium Euãgelij Ioannis dicimus, & sequenti die à sepulto mortuo, eleemosynas pro eis offerimus: id etiam posteà facimus certis diebus, in quibus omnibus epulis funebribus indulgemus. De fide ac religione nostra diximus. Nunc verò, quoniam postquàm in Lusitaniam venimus, crebras disputationes ac contentiones cum doctoribus quibusdã, præsertim cum Magistris nostris, Didaco Ortysio, Episcopo insulæ sancti Thomæ, atque Regis sacelli decano, & Petro Margalho, de delectu ciborum habuimus, de hac re aliquid dicere non erit incongruum. Primùm sciendum est, nos ex veteri testamento delectum ciborum seruare, qui delectus ab ipso verbo Dei constitutus est, quod verbum posteà natũ est ex Maria virgine, & ambulauit atq; versatũ est cum suis Apostolis. Id quoque verbum Dei semper viuũ, integr

tegrum, inuiolatum sermonem ac verbum habui. Nec id quod olim ex immunditia prohibuit comedere, postea in aliquo sui Euangelij loco dixit esse comedendum. Id verò quòd in Euangelio ait, Quod per os intrat, hominem non coinquinare, sed ea quæ ex ore procedunt, non ea de causa dixit, vt frangeret id quod anteà constituerat, sed vt refutaret superstitionem Iudæorũ, qui arguebant Apostolos, quòd illotis manibus panem manducarent. Imò nec Apostoli id temporis, quando versabantur tum Domino nostro Iesu Christo, vnquam vsi sunt immundis, nec gustauerunt ea, quæ in lege prohibita sunt, nec vllus eorum eam transgressus est. Nec ijs temporibus, quæ passionẽ Domini insequuta sunt, cùm Euangelium cœperunt prædicare Apostoli, vllis apud nos scriptis probari potest, eos edisse, aut occidisse immunda. Verum tamen est Paulum dicere, Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Postea, Si quis vos vocat infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponetur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Rursus, Si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter eum, qui indicauit, & propter conscientiam, &c. Omnia hæc dicit Paulus, vt placeret ijs, qui in fidem nõ erãt admodum confirmati, quoniam inter hos & Iudæos variæ consurgebant disputationes ac contentiones, quas vt sedaret, Christianis nondum

satis

satis confirmatis indulgentiùs morigerabatur, & acquiescebat. Id tamen faciebat, non quòd legẽ frangere vellet, sed vt plures ita in ceremonijs relaxãdis gratificando ad fidem alliceret. Idem Apostolus quoq; ait, Is qui manducat, nõ manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet: quoniam is qui manducat, domino manducat: & qui non manducat, domino non manducat. Quamobrem indignum est, peregrinos Christianos tam acriter ac hostiliter reprehendi, vt ego de hac re, & de alijs, quæ minimè ad veram fidem spectabant, reprehensus fui. Sed multò consultius erit, huiusmodi Christianos homines, siue Græcos, siue Armenios, siue Aethiopes, siue ex quauis septem Christianorum Ecclesiarum, in charitate & Christi amplexibus sustinere, & eos sine contumelijs permittere inter alios fratres Christianos viuere, ac versari: quoniam omnes filij baptismi sumus, & de vera fide vnanimiter sentimus. Nec est causa, cur tam acriter de ceremonijs disceptetur, nisi vt vnusquisque suas obseruet, sine odio & insectatione aliorum: nec commercijs Ecclesiæ ob id includendus est, si peregrè in alienis prouincijs domesticos ritus obseruet. Id præterea quod in Actis Apostolorum habemus, nempe quo pacto Petrus vidit cælum apertum, & vas descendere quoddam, veluti linteum magnum quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erãt omnia quadrupedia, & serpen-

tia terræ, & volatilia cæli. Cui vox dixit, Surge Petre, occide, & manduca: cui Petrus, Absit Domine, quoniam nunquàm manducaui omne commune, aut immundum. Cui vox iterum, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Quod vbi quum tertiò repetitis vicibus cõtigisset, statim illud vas in cælum receptum est. Quibus peractis, spiritus misit eum in Cæsareã, ad Cornelium virum pium, & timentem Deum. Apud quem, loquente Petro, cecidit super omnes, qui verbum Dei audiebant, spiritus sanctus: quo spiritu sancto accepto, Petrus totam familiam Cornelij baptizari iußit. Quod quũ cæteri Apostoli ac fratres, qui in Iudæa erant, Corneliũ esse baptizatum audiuissent, Petro, quòd dedisset baptismum, & verbum Dei Gentilibus, succensere cœperunt, dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Qui à Petro tota visione exposita, placati sunt, atq; Deo gratias egerunt, dicentes, Ergo & Gẽtibus pœnitentiam dedit ad vitam: & recordati sunt verbi Domini, quod in cælum ascendens dixit, Ite per omnẽ terram, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Tunc Apostoli cœperunt prædicare Euangelium per totum mundũ omni creaturæ, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, atq; per omnem terram exiuit sonus eorum. Et hanc visionem, in qua munda & immunda

appar

apparebant, in Aethiopia exponimus, munda animalia fuisse populum Israel, immunda autem populum Gentilium. Ideò verò Gentiles sunt vocati immundi, quòd idolorum cultores essent, & inseruirent operibus diabolorum, quæ immũda sunt. Quod autẽ vox illa dixit, Petre occide, id apud nos in hunc modũ interpretatur, Petre baptiza: & quod dixerit, Petre comede, interpretamentũ habet, ac si dixisset, doce, & prædica fidẽ, et legem Domini nostri Iesu Christi populo Israel, & Gẽtibus. Ad hæc certissimũ est, nusquàm in scripturis reperiri, Petrum aut alios Apostolos immunda occidisse, aut comedisse, post hanc visionem. Porrò sciendum est, quum scriptura loquitur de pane, non intelligendum esse cibum, nec corporale nutrimentum: sed explicationem ac expositionem Christi, & scripturarũ doctrinæ. Consultum profectò esset omnes doctores, & prædicatores de hoc linteo, quod ostensum fuit Petro, sublimia & alta docere, & non illa quæ infima sunt, & quæ nihil ad salutem videntur pertinere: ac non inde documenta aucupari, quasi fas & licitum esset nobis immunda comedere, quãdo ex scriptura id minimè colligere possunt. Quid quòd ipsi Apostoli in suis Synodorũ libris præceperunt nobis, ne comedamus animalia suspẽsa, suffocata, lacerata, neq; semesa ab alijs bestijs, nec sanguinem? quoniam Dominus amat munditiam & sobrietatem, & odit gulam, & immunditiam. Et plurimum etiam eos Dominus

dilig

diligit, qui abstinent à carnibus: & multò magis eos, qui ieiunāt pane & aqua, & herbis, vt Ioānes Baptista eremita vltra Iordanem fecit, qui semper vsus est herbis. Et S. Paulus eremita, qui octoginta annis semper ieiunans, commoratus est in deserto: atq; S. Antonius, & S. Macarius, ac plurimi alij filij eius spirituales, qui nunquam gustauerunt carnes. Ideoq;, fratres mei, non oportet nos contemnere, neq; insectari proximos nostros, quoniam Iacobus ait, Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Paulus quoq; docet, melius esse vnumquemque viuere cōtentum suis traditionibus, quàm cum fratre Christiano de lege disputare. Rursus, non plus sapere, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quapropter indecēs est, cum fratribus de lege, aut de delectu ciborum disputare: quòd esca nos non commendet Deo: præsertim quum ipse Paulus Apostolus dicat, Nec si manducauerimus abundabimus, nec si non manducauerimus deficiemus. Idcircò altiora, & cælestem cibum quæramus, & has infimas & inanes disputationes omittamus.

Hæc omnia quæ de traditionibus scripsi, non ad disputationem, nec contentionem scripsi, sed vt meos quatenus fieri potuit, protegerem, ac defenderem contra acerbissimas multorum reprehensiones, quibus nulla fuit reuerentia, quò minùs potētissimum Preciosum Ioannem, ac nos eius

eius subditos conuicijs proscinderent, ac Iudaeos, & Mahumetanos appellarent: eò quòd circumcisionem seruamus, & Sabbatum sanctificamus, vt Iudaei. Deinde quòd veluti Mahumetani, ad occasum solis vsque ieiunamus, id hominem Christianum minimè decere asserentes. Id quoque acerbissimè obijciunt, sacerdotum coniugia, vt laicorũ, licita esse apud nos. Prætereà nec id sine morsu omittitur, quòd primò baptismo quasi diffisi, singulis annis rebaptizamur, quòd præter viros etiam mulieres circumcidantur, more nec apud Iudaeos quidem recepto. Denique quòd delectum ciborum sanctissimè obseruatum volumus. Postremò quòd infantes, qui ante baptismum Pagani vocari solent, Semichristianos nuncupemus. Quibus obtrectationibus coactus sum talia dicere, vt nostros purgarem ab huiusmodi calumnijs, & vt Doctores sacræ Ecclesiæ Romanæ redderem nobis affabiliores. A quibus (nescio quam piè) mihi interdictum est sumere corpus Dominicum, postquàm in Lusitaniam veni, quod spatium est septem annorum; & (id quod non sine dolore ac lacrymis dicam) reputor inter fratres Christianos tanquam Ethnicus & Anathema. De quibus rebus ille, qui omnia vegetat, videat, cuius iudicio omnia committo.

Ego autem non sum missus à potentissimo domino meo, Imperatore Aethiopum, ad Romanum Pontificem, & serenissimum Ioannem

Lusitaniæ Regem, ad disputationum & contentionum rixas: sed ad amicitiam & societatem contrahendam, non autem ad traditiones humanas vel augendas, vel diminuendas. Sed vt de erroribus Arrij principis hæreticorum diligenter exquirerem, & intelligerem, an Europæi Christiani cum nostris, ad huius hominis opiniones deuicendas conuenirent. Propter cuius errores Niceæ, sub Iulio Papa congregatum fuit concilium trecentorum octodecim Episcoporum. Ac deinde vt scirem, an id apud Europæos Christianos seruaretur, quod Apostoli in suo Synodorum libro præcipiunt, scilicet vt singulis annis bis in Ecclesia Christi concilium celebretur, in quo de rebus fidei rationem habendam statuerunt. Quorum primum voluerunt cogi ad festum Pentecostes, secundum decima die Octobris.

Deinde vt intelligerem, quomodo inter nos conueniret de erroribus Macedonij, cuius causa sub Damaso Papa congregatum fuit Constantinopoli concilium centum quinquaginta Episcoporũ. Præterea de erroribus Nestorij propter quem sub Celestino Papa congregatum fuit in Ephesio concilium ducentorum Episcoporum.

Postremò vt etiam scirem de quarto ac magno concilio Chalcedoniensi, in quo propter errores Eutychis, congregati fuerunt sexcenti triginta duo Episcopi, quo tempore Pontificatum obtinebat Romanum S. Leo, ex quo concilio varijs

disceptationes

disceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Ecclesiæ constituto, atq; re infecta, omnes discesserunt, vnusquisque suam retinens opinionem. Quarum Synodorum libros, & aliarũ, quæ posteà celebratæ fuere, potentissimus Dominus meus Aethiopum Imperator penes se habet: & de hac Zizania, quam aduersarius veritatis Diabolus seminauit inter Christianos, Dominus meus plurimum dolet, vnà cũ omnibus suis subditis Christi fidelibus. Nostri certè ab exordio primitiuæ Ecclesiæ Romanum Pontificem vt primum Episcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Christi vicario pareimus. In cuius curia frequentissimè essemus, nisi obstarent magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ transitum impediunt, ita vt susceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. Quanquam prudentissimus & inuictissimus Rex Emanuel felicis memoriæ, qui primus non sine cælesti numine itinera Orientalium Indiarum suis nauigationibus aperuit, magnam spem præbuit, id in posterum commodius futurum. Is enim superato Oceano Rubrum mare suis classibus edomuit, nihil deterritus magnitudine sumptuum, quò & Christi fidem augeret, & ad vsum nostræ amicitiæ quasi viam patefaceret: & id quoniam iam factum est, & vtraque gens alterius opibus vti potest, breui speramus fore, vt ab Lusitanis, vnà cum nostris armis omnes Mahumetani, cæteriq; Ethnici, ex toto mari Ery-

thraeo, ac vniuersa Arabia, Perside, ac
pellantur. Itidem & illud futurum c
pace inter omnes Europaeos Christiano
ta, vt etiam ex Mediterraneis locis, P
que prouincijs, inimici crucis profligen
iuxta Christi verba, super faciem terr
& vnum ouile, & vnus pastor. Cuius
duo habemus, alterum ex prophetia
ris, alterum ex sancto Synoda eremit
extremis Aegypti cautibus, quorum
ab altero dissentit. Et ex quo Dom
potentissimus legatos serenissimi & p
simi Regis Emanuelis accepit, videtur
culorum ad euenta properare. Cert
noster princeps nihil magis cogitat, co
armis meditatur, quàm vt Mahume
cie terrae deleantur. His de causis, a
coram serenissimo Rege Ioanne Ema
exposui, istuc missus sum à domino me
simo, non ad friuolas & inanes disp
Atque vtinam instituta atque conat
pis nostri, pro quibus legatus sum, De
maximus ad finem optimum, & ad
riam perducat. AMEN.

His omnibus explicatis, obiter &
 inè aliquid de statu nostri Pa
ac Imperatoris exponam. Primùm
solennis ritu Patriarcham nostrum
rosolymitanis Monachis nostris, qu

sepulchrum Domini habitant, suffragijs creari, idq; hoc modo: Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator noster Preciosus Ioannes nuncium aliquem expeditum mittit Hierosolymā ad Monachos ibidem agentes, vt dictum est, qui nuncio accepto, ac muneribus, quæ Imperator Dominus noster ad sanctum sepulchrum dono mittit, continuò alium Patriarcham suffragijs plurium eligunt. Sed fas non est alium quàm Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, suffragia sua obsignant, eaq; legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is statim Cayrum contendit: quò vbi ventum est, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi semper sedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus destinatum cum legato in Aethiopiā mittit: qui ex veteri instituto Monachus ordinis diui Antonij eremitæ debet esse, cum quo in Aethiopiam confestim nuncius proficiscitur: vbi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negotio aliquando annus vnus & alter transigitur: interimq; Preciosus Ioānes de prouentibus ipsius Patriarchæ pro libitu dispensat. Præcipuum autem Patriarchæ officium est, sacros ordines dare, quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut auferre potest. Cæterùm nullum Episcopatum, aut Ecclesiæ beneficium in vllos confert: id solum ad Preciosum Ioannem spectat, qui omnia pro suo arbitrio dispensat.

Mortuoq; Patriarcha, cuius ditiones
tus amplißimi sunt, ex solido omnium
norū fit hæres. Est prætereà Patriarch
excommunicationibus aduersus cōtum
cedere: quarum tam arcta obseruatio est
uaricatori pœna perpetuæ inediæ vsq; ad
infligatur. Indulgentias nullas dat, neq; c
Nec pro vllo delicto quantumcumq; mag
quam sacramenta Ecclesiæ interdicuntur
tantum propter homicidia. Ipsum nomē pa
chatus, nostro idiomate Abuna dicitur.
rum qui nunc hoc solium tenet, proprio no
quod ex baptismate accepit, Marcus voca
vir centum annorum, aut vltrà. Sciendum
apud nos Calendis Septembribus annum i
pere, qui dies semper incidit in vigiliam Ioa
Baptistæ. Reliqui dies festi, vt natalis D.
schæ, aliiq; deinceps eodem tempore apud nos
lebrantur, quo in Ecclesia Romana. Id quoq
dißimulanter prætereundum non est, apud n
diuum Philippum Apostolum Euangelium &
fidem Seruatoris Christi prædicasse.

Quod si libeat sciscitari de agnomine nostri
Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum per-
petuò appellari Preciosum Ioannem, & non
Presbyterū Ioannem, vt hîc falsò paßim iacta-
tur. Scribitur enim nostro sermone his characte-
ribus ጃን፡ቤላል፡ quod sonat Ioannes
Belul, hoc est, Ioannes preciosus siue altus: &
in Chaldaica lingua sic scribitur ጃን፡

ዐንቆዕ: quod est, Ioannes Encoe, id si interpreteris, etiam Ioannis preciosi siue alti significatum habet. Nec est nominandus, vt Matthaeus falsò indicauit, Imperator Abesynorum, sed Aethiopum. Matthaeus enim quoniam Armenius erat, non poterat res nostras perspicuè scire, praesertim eas, quae ad fidem spectabant. Idcirco multa coram prudentissimo felicis memoriae Rege Emanuele exposuit, quae minimè apud nos habentur. Id autem fecit, non quòd mentiri voluerit, quippe vir bonus erat, sed quòd in rebus religionis nostrae non admodum erat edoctus.

Regnorum autem & Imperij successio, non in filium maximum natu trāsmittitur, sed ad eum, in quem pater id conferre vult. Et is qui modò imperium tenet, ordine nascendi tertius est, quod pia quadam reuerentia emeruit: quum enim filij à patre moribundo in regijs solijs sedere iuberētur, caeteris id facientibus, solus id facere recusauit. Absit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra domini mei sedeā. Qua pietate à patre circumspecta, ei regna ac imperiū, tradidit. vocatur is autem Dauid. Cuius imperij ditiones tam Christianorum, quàm Ethnicorū mirae amplitudinis sunt. In quibus multi Reges, & reguli, comites, barones, ac proceres, multaq; nobilitas inest, ad eius mandata obtemperantissima. In cuius omnibus ditionibus nulla praeter peregrinam habetur moneta. Aurum verò & argentum pondere datur ac accipitur. Oppida & ciuitates apud nos per-

multæ sunt, sed non tales, quales hîc in Lusitania videmus: id magna ex parte inde venit, quòd Preciosus Ioannes semper in castris & tẽtorijs versetur. Quæ consuetudo ideò recepta est, vt Nobilitas continuè & perpetuò se in rebus militaribus exerceat. Nec illud prætereundum videtur, nos ab omnibus lateribus circumdatos esse ab hostibus nostræ fidei, cum quibus crebrò confligimus, semper secundo Marte vsi: quas victorias numinis auxilio imputamus.

Ius autem scriptum apud nos in vsu non habetur: nec litigantium querelæ libellis, sed ore peraguntur: id fit, ne lites auaritia iudicum & patronorum in longum protrahantur.

Id quoq; admonitione dignum videtur, Matthæum non fuisse ab Imperatore nostro Dauide missum ad inuictissimum potentissimumq; Regẽ Emanuelem, fœlicis memoriæ, sed ab Regina Helena vxore Imperatoris, cognomento Manus Mariæ, qui huius Dauidis, de quo loquimur, auus fuit: quæ tunc temporis, ob tenellam Dauidis ætatẽ, regnorũ gubernacula administrabat, mulier haud dubie prudentissima & sanctissima. Eadẽ ista Helena duos composuit libros sermone Chaldaico, vt erat doctissima. Quorũ vnus dicitur EnZera Chebaa, id est, Laudate Deum in organis, in quo de Trinitate doctissimè disputat, & de matris Christi Mariæ virginitate. Alter vocatur Chedale Chaay: hoc est Radius solis, in quo acutissimè de lege Dei disceptationes habet.

Omnia hæc de fide, religione, ac patriæ nostræ statu, ego Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Episcopus & sacerdos, ac Bugana Raz, nempe miles ac Prorex prouinciæ, quæ Bugana dicitur, nec tibi in Christo filiolo meo charissimo Damiano petenti, nec vlli homini talia flagitanti denegare potui, aut negare licuit duabus de causis: quarum prior est, quòd in mandatis habeo à potentissimo domino meo Precioso Ioanne, Aethiopum Imperatore, omnibus me interrogantibus de fide, religione, ac prouincia nostra, ne quid clàm haberem, sed ex fide veritatem rerum, scriptis & verbis exponerem. Secunda, quòd operæ pretium existimarem, moras, ritus, instituta nostra, & locorum situs in publicam notitiam venire. Quas res nemini ad hunc vsque diem scripsi, nec verbis exposui, non quòd ad id laboribus meis parcere vellem, sed quòd nullus Christianorum hominum, postquàm in Lusitaniam veni, à me talia cognoscere appetiuit. De qua re non potui nec possum satis mirari. Te verò, quem rerum nostrarum cupientissimum multis argumentis iudico, per Christi plagas, ac crucem oro, vt hanc nostram fidei ac religionis cōfessionem, in linguam Latinam conuertas, vt per te liceat omnibus pijs Europæis Christianis, ritus ac integritatem morum nostrorum intelligere.

Porrò, si tibi inter tuas peregrinationes, Romam petere contingat, tunc nomine meo Pon-

tificem, ac venerandos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; bonos Christi cultores, per Iesum Christum in osculo pacis salutes, petoq; ab ipso Pontifice, vt ad me remittat Franciscum AlvareZ literis illis suis instructum, quibus Domino meo potentissimo Aethiopum Imperatori respondeat, quò tandem in patriam redeam, meosq; lares inuisam: nimiũ enim diu hîc detentus fui, vt ante obitum meum, qui ex nimio senio prô foribus est, mandata perferã: reliquias deinde vitæ, transacta hac legatione, Deo consecrem, diuinisq; rebus totus vacem. Cæterùm te oro, si aliqua in nostris scriptis non fuerint satis composita, aut ordinata, vt ipse tu id ad phrasim Latinam coaptes, sed ita, vt nihil de sẽsu immutes. Postremò te obsecro, vt inter vertendum exquiras diligenter vetus & nouum testamentum, vt intelligas, ex quibus locis meas auctoritates excerpsi, quò certiùs vertas. Quòd si omnia non fuerint tam feliciter tractata, quàm forsitan aliquis curiosus, aut scrupulosus exigat, id condonandum erit inopiæ, & penuriæ librorum Chaldæorum, quos penes me nõ habeo: quos enim habui, iniquitas fortunæ in itinere perdidit. Quamobrem destitutus omnium librorum auxilio, nihil nisi quod recens memoria adferebat dictare potui, sed ea omnia certissima fide. Vale filiole in Christo dilectissime. Vlyssippone, vigesimoquarto Aprilis, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimoquarto.

Post

Postquàm hæc omnia scripsi, venit mihi in mentem locus ille, vbi dico Christum descendisse ad inferos, pro anima Adæ, atque pro anima ipsiusmet Christi, quam ipse Christus acceperat ex sancta Maria virgine matre sua. De qua re habemus testimonium verißimum in libris, quos regiminis vocamus, quos Christus Iesus Seruator noster Apostolis tradidit, in quibus habentur hæc verba, quæ mysteria doctrinarum appellantur. Quorum auctoritate & testimonio omnes sine vlla hæsitatione in hac sententia versamur. Ego tamen postquàm in Lusitaniam veni, deprehendi Theologos diuersa tradere, contra nostrûm omnium opinionem, quæ tam certa est, vt non hoc solùm, sed etiam omnium hominum animas ab Adam profluxisse asseramus, & vt caro nostra est ex seminio carnis Adæ, ita quoque anima nostra, quasi lucerna in anima Adæ accensa, originem suam & naturam ex Adam trahit. Ex quo apparet nos omnes semen esse Adæ ex carne & anima.

Hisce characteribus manu propria ipsius
Oratoris omnia suprà scripta
subsignata erant.

ሰገና፡ፈልክ፡ሊቀ፡ካህናት፡ደብረ፡ዘሊባ፡
ቀለ፡ሐዳ፡ዘገርሰ፡ክፍል፡ሐዲ፡ወበለ፡
ደንገበ፡

D I P

DEPLORATIO LAPPIANÆ GENTIS

Damiano à Goës auctore.



ON indignū puto, Pōtifex Maxime, in calce huius nostri opusculi, quoniā ad fidem, & vnionem Ecclesiæ hæcquoq; spectant, Ioannis Magni Gotthi Archiepiscopi Vpsaliæ in regno Suetiæ (vt ab eo ad miserandam Lappianam gentem veniamus) aliquam mentionem facere. Is autem Ioannes Magnus Gotthus, vir est optimis parētibus ac diuitibus natus, sacrarum literarum non vulgariter peritus, probitate vitæ spectatissimus, Ecclesiæ Romanæ ita addictus, vt eius causa amplissimū Vpsaliæ archiepiscopatum cum prouentibus plus minus quadraginta millium aureorum in singulos annos, vnà cum fundo paterno amiserit. cuius dignitatis, ac bonorum iactura, ab fluctibus fortunæ agitatus, in Prussia, Gedani diu tenuiter victitans, delituit. Vbi (interim quòd mihi regis mei negotia in illis Germaniæ partibus tractanda erant) cum eo, ac cum Olao Magno Gottho eius fratre, indissolubilem contraxi amicitiam. Hos inopinatè postea Vicentiæ reperi multò tenuiùs quàm antea degentes, quem locum ex illis vltimis terrarum oris, propter promulgatum Cōcilium, ex quo nonnihil spei sibi ac suis calamitatibus

tatibus conceperant, adeundum esse proposuerant. Concilio tandem intermisso, ij boni viri iam à suis facultatibus planè destituti, quibus dum ampliores essent, sæpiùs in Aquilonaribus illis partibus, pro Romana Ecclesia pugnauerant, & adhuc (si res successisset) pugnaturi essent, Venetias emigrant, vel aliena liberalitate, vel suis laboribus, præsertim docendo ac instituendo, victum quæsituri: nullis enim alijs subsidijs niti poterant, nisi quod in numinis auxilio totam spem reposuerant: quò quum peruenissent, solùm ab Hieronymo Quirino Patriarcha Veneto, in ipso Patriarchatu humanissimè accepti hospitantur, vbi ad hunc vsque diem dilatum Concilium exspectantes hærent. Sub huius Vpsaliensi archiepiscopatu, pars illius vastæ Lappianæ prouinciæ habetur. Cuius indigenæ Christi Seruatoris nostri leges minimè norunt, id quidem vt à multis, tum bonis, tum fide dignis viris, dum in illis Prouincijs versarer, ob turpissimum Prælatorum & nobilium quæstum ac auaritiam accidere intellexi. Nam si Christiani essent, liberi essent ab illis vectigalibus & tributis, quibus ipsi, vt Ethnici, multantur, nobilitas contrà cum Episcopis ditescit. Vetant igitur eos Christianos fieri, ne subditi suaui iugo Christi, aliquid lucelli eorum tyrannidi & rapacitati subducant, & aliquid ex vectigalibus decrescat, quibus gens illa miseranda, ab ipsis Monachis turpiter & insatiabiliter premitur & torquetur: qui impatientissimè ferunt,

ferunt, si illi Christiani facti, non longè plus vectigalium ipsis penderent quàm cæteri Christiani suis principibus pendunt: ac proinde desertinē istum & sacrilegum quæstum fidei ac religioni Christianæ, contempta tot animarum salute, anteponunt: verè habentes claues, quibus nec ipsi intrant nec alios intrare sinunt. Auaritiam sanè inexplebilem, & impietatem intolerabilem, ac à pijs pectoribus, armis & scriptis. denique totis viribus expugnandam, quam proculdubio sopitam hoc tempore habuissemus, si hic bonus vir in pristinum suum honorem restitutus esset: nihil enim magis cupit, nihil acriùs meditatur, quàm quo pacto hæc gens ad Christi fidem reduci possit: nihil flebiliùs deplorat, quàm quòd se auctore (id quod sæpe animo voluerat) hæ miserandæ pecudes adhuc propter impiam religionem, per Christianam fidem Christi oues factæ nō sint, nec tam queritur se ab archiepiscopatu, vel bonis auitis depulsum, quàm quòd careat neruis, auxilio, & facultatibus, quibus hanc Lappianā plagam, & medicari, & sub Christi iugum mittere, & Romanæ Ecclesiæ coniungere poßit. Id quidē posteà mihi sæpiùs per literas confirmauit, quibus nondum ipse placatus, acrem huius negotij, in fine illius primæ Preciosi Ioannis legationis (quam ipsi Ioanni Magno Gottho consecraui) mentionem feci; ne tum quidem mihi ipsi in hoc negotio satis[illegible]feci, sed cū Erasmo Roterodamo meis literis egi, vt cau[illegible] istius rei scriptis cōmendaret.

ret. Postmodum in illius cōtubernio agens, quod mihi cum eo Friburgi Brisgoiæ ad quinque mē-ses fuit, præsens cum præsente verba super eodem negotio feci. Quibus rebus impulsus, constituerat de hac re iustum volumen emittere, mortis tamē interuentu operis materia, quam iam congesserat, dissoluta est. Nihilominus in suo Ecclesiaste tam nefandam impietatem non obticuit, quæ sanè talis est, vt omnes Christianos, quibus potentia, & doctrina à Deo concessæ sunt, posset quodammodo reos facere, & ab eis in vltimo iudicio coram iusto Christo iudice vindictā petere.

Videant iam Christianorum Monarchæ, quam rationem, quem calculum tantarum perditarum animarum in nouissimo die ad Christi tribunal, vbi nec gratiæ, nec indulgentiæ locus est, nec blandimenta, nec assentationes recipiuntur, reddituri sint. Tu tamen, Pontifex maxime, si iam solus es, qui huic morbo mederi potes. Tu iam is es, qui huic genti vias domini demonstrare potes, & vt rectè in ijs ambulent, dirigere. Tu solus eas de inferno inferiore redimere valebis: per te paruulis Christum accedere licebit, & in virtute dexteræ tuæ à dæmonum catenis, ac insidijs liberari, & copiosa Christi in hoc, & in alio seculo redemptione frui. Vide quam palmam obtinebis, si messis illa multa, te operario, in horreum Christi comportetur. Nec dubium est, quin comportabis, modò incipias. Sunt hodierno die cum Gostauo Suetiæ & Gothiæ

rege

rege aliquot Magnates, ab Ecclesia Romanæ reiecti. Sunt in ipsis quoque regnis, qui omnino ex diametro dissentiunt: possis ad vtrosque literas pro tua dignitate, & pastorali officio dare, eosq; per Christi plagas (hunc enim omnes, quãquam ab ipsa Romana ecclesia dissentiunt, filium Dei, & Seruatorem nostrum fatentur) obtestari vt hanc orientalem & occidentalem Lappiam, cum Fimmarchia, Scricfinia, & Biarmia, amplissimis prouincijs, quarum maior pars Christum non nouit, ad eius suauissimum iugum venire permittant, ab eisq; tantum aucupentur & extorqueant, quantum alij Christiani principes à suis subditis, vel iure postulare, vel precarijs exactionibus obtinere consueuerunt. Ad id non tantùm literæ, sed viri quoque docti, & sanctitate vitæ probati mittendi videntur, vt hæ prouinciæ Romanæ Ecclesiæ per Christi fidem coniungantur. Quibus per te vnà cum Aethiopica gente, ad veram Christi legem adductis, & si populi irascantur, Dominus sedens super Cherubim regnet, & terra moueatur, ipsaq; exsultet, & insulæ multæ lætentur. Vale, Pontifex Maxime, in Christo Iesu. Amen.

Ex Louanio Cal.
Septemb.
Anno
M. D. X L.

EIVSDEM DAMIANI DE LAPPIAE SITV, & eius regionis incolis.

LAppia mari Botnico interiecto in orientalem, & occidentalem diuiditur, cuius aequoris extremum, Tornia est. Ab oriente lacum album tangit: ad Septentrionem varias prouincias amplectens, ad incognitum se extendit: ad occidentem Islandiam respiciens, parti Noruegiae est contigua: ad meridiem, ab altera Noruegiae parte, Suetia, Finlandia, ac ab vtraque Botnia cingitur. Lappia enim orientalis Ecclesiam diui Andreae in gradu eleuationis poli octogesimoquarto habet, quae magnifico & sumptuoso templo, ac doctis, & sacrarum literarum eruditis viris ornatur. Ecclesia haec Archiepiscopo Vpsaliensi obedit, & obtemperat, sub cuius dioecesi sita est. Nihilominus eius circumuicini siue incuria, siue auaritia Praelatorum, & Magnatum (vt dictum est) Christum non agnoscũt. Lappia Latino sermone interpretatur inepta, siue secors prouincia. Nomen puto inditum inde, quòd ex nimio & intenso frigore, solum tanquam stupidum, minimè aptum sit, nec ad recipiendum, nec ad procreandum fruges. Indigenae istius prouinciae neruosi, & mediocris staturae sunt, mirè dexteri & agiles in arcubus & sagittis tendis: quam artem iaculandi ab incunabulis sic exercent, vt puero à scopo erranti

cibus non detur tantisper, donec in eum rectè sagittam dirigat. Pellibus non ineleganter contextis loco vestium præcipuè vtuntur, quibus se à frigoris iniuria tutantur: quod ita etiam pati assueuerunt, vt dum opus sit, id sine aliquo pellium munimine expugnare valeant. In tabernaculis habitant, nec domus eis alicui vsui sunt, quippe sæpius hinc inde migrant. Aliam viuendi rationem quàm venationis, aucupij, & piscationis non habent, in quibus plurimùm præstant. Est enim prouincia illa istarum rerum ferocissima. Agrum non colunt, nauiculis vtuntur sine aliquo ferreo clauo compactis, quibus piscibus aëre exsiccatis, ac pellibus onustis ad vicinos nauigant, vt permutatione tantùm annonam & pecuniam, nullo sermone adhibito, sed solis nutibus agentes acquirant. Id solùm accidit ob linguæ barbariem, & asperitatem, quæ à vicinis nullo pacto intelligitur, alioqui in suis permutationibus sagaces & expertissimi sunt. Gens bellicosa & animosa est. Loco equorum vtuntur animalibus, quæ Raingi suo sermone vocant, magnitudinem & colorem asini, vngulas bifidas, formam atque cornua ceruorum habentibus, sed cornua lanugine quadam cooperiuntur, & humiliora, & ramis rariora ceruis (vt ipsi vidimus) sunt. Hæc tanta sunt velocitatis, vt spatio XII. horarum vehiculum ad XXX. milliaria Germanica proripiant. In quorum progressu, lento vel celeri, ex tibiarum articulorum


ticulorum agitatione, ad instar nucum collisionis crepitus auditur. Religio istius gentis est, & ignem, & statuas lapideas pro dijs habere. Ex quauis re animata in mane occurrente, totius diei euentum iudicant & augurantur. Matrimonium obseruant, & mirè sunt Zelotypi. Incantamentis sic pollent, vt inter multa alia dictu mira quæ prætermitto, naues in medio cursu retineant, sic vt nulla vi ventorum amoueri possint. Quod malum solo virginum excremento foris nauium ac transtris illitis, curatur, à quo spiritus illi, vt ab incolis accepi, naturâ abhorrent.



DE ÆTHIOPIBVS

EXCERPTA QVÆDAM EX IOS. SCALIGERI LIBRO VII. de emendatione temporum,

*




HRISTIANORVM Æthiopum nomen nunc non primùm ad nos peruenit. Eorum enim Ecclesiæ nō solùm Hierosolymis, & Const[antin]opoli sunt, sed & Romæ, ac Venetijs sacra ritu suo obire illis per

aliquod tempus licuit. Lusitanorum q
uigationibus, & Francisci Aluare
libro, qui in Aethiopiam penetrauit
illis, illorumq; ritibus, cognoscere licuit
ctenus nomen tantùm Aethiopiæ a
Mirum verò Imperatoris Aethiopia
moria proauorum nostrorum prius ex
tum nobis, quàm ex ipsa Aethiopia.
hos trecentos annos Reges Aethiopes
præsertim in Drangiana finibus Susi
dia, & Sinis, latè imperarunt, done
res Tartarorum eos imperio Asiæ
Nam Abyssini victi & ex Sinaru
pulsi primum à Cingi Tartarorum Re
cto Vucam magno Aethiopum Imper
inde Cincan filius Cingis, & eius fili
Can omnes Abyssinos penitus ex M
narum regno expulit, & in Africam
pulit. Sanè non semel mirati sumus q
nauticæ rei penitus ignaram adeò terr
potentem fuisse, vt ab Aethiopia ad S
imperij fines propagarit. Ab illis
eius imperatoris notitia ad nos peruen
mine Prestegiani. Quod Persica ling
tota ferè Asia hodie locum habet, vt
te Latina, significat Apostolicum. Q
Christianum Regem & orthodoxu
constat. Nam Persicè פרסתגאן nu
rali, ἀπόστολοι, gentilitium פרסתגאני
...ἀος ...νός. פרשת פרתגאני, Padesha

ni, Rex apostolicus, hoc est rex Christianus, Arabicè מליך רסולי, *Melich ressuli, Aethiopicè* נגוש חוריוי, *Negusch Chavvariavvi. Magnum & latum ipsorum Aethiopum in Asia fuisse imperium indicio sunt cruces Aethiopicæ, quæ in Giapan, Sina, & alibi visuntur. Quin templum Thomæ apostoli in regione Maabar situm nihil nisi Aethiopicum habet, cruces, structuram, & multa alia, &, quod mirerus, nomen.*

*

FINIS.



CAPITVM HVIVS OPERIS INDEX.

*

LIBRO I.

LIBRO III.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS RERVM IN HOC OPERE CONTENTARVM.

*

Colum

Gam

Hom

Leges


Mil

519

Saty

Xan-

FINIS.






BIBLIOTECA
ROMA


A R T
S O D I E



Vittorio Emanuele II

Opera - 6.4.A.17
Laboratorio - Il Laboratorio s.r.l., Firenze
Anno restauro - 2004-2005 N17

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo numerazione delle carte, scucitura volum
con pennello, pulizia a secco delle carte, misurazio
valore 5,41, lavaggio in acqua deionizzata, deaci
soluzione semisatura idrossido di calcio, rinsaldo
Tylose MH300p al 2%, risarcimento strappi e la
giapponese Vangerow 20517, velo Vangerow 2
Tylose MH300P al 4 %, imbrachettatura con ca
Vangerow 20503, nuova cucitura su 2 nervi in
capitelli infilati in lino naturale su anima in
indorsatura in carta giapponese e cotone, nuo
pergamena semifloscia, custodia per legatura origi
durevole per conservazione Vangerow grammatura

DATA COLLAUDO 16-05-05